BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

SUMMORUM PONTIFICUM

CLEMENTIS XIII. CLEMENTIS XIV. PII VI.
PII VII. LEONIS XII. PII VIII.
ET GREGORII XVI.

CONSTITUTIONES, LITERAS IN FORMA BREVIS
EPISTOLAS AD PRINCIPES VIROS, ET ALIOS
ATQUE ALLOQUUTIONES COMPLECTENS

QUAS COLLEGIT

USQUE AD PONTIFICATUM PII VIII.

ANDREAS ADVOCATUS BARBÈRI

CURIÆ CAPITOLII COLLATERALIS

ADDITIS SUMMARIIS, ADNOTATIONIBUS, INDICIBUS

OPERA, ET STUDIO

RAINALDI SEGRETI I. C.

TOMUS DECIMUS TERTIUS

CONTINENS PONTIFICATUS

PII VII.

ANNUM SEPTIMUM AD SEXTUM DECIMUM

ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ

1847.

INDEX RUBRRICARUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUAE

IN HOC TOMO CONTINENTUR

PII VII.

ANNO SEPTIMO

ID.

D.

DI.

DII.

DIII.

DIV.

DV.

DVI.

DVII.

DVIII.

DIX.

DX.

ANNO NONO

INDEX
VOCABULORUM INITIALIUM
OMNIUM CONSTITUTIONUM
QUAE
IN HOC TERTIO DECIMO TOMO CONTINENTUR

PII VII.

F

F

I

M

N

PIUS VII.

ANNO SEPTIMO

Dat. die 18 martii 1806 anno VII.

CCCCXV.

Facultas gestandi crucem, seu numisma pro altaristis primae, et secundae erectionis in capitulo cathedralis basilicae minoris civitatis Recinatensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni beneficiati altaristae nuncupati primae, et secundae erectionis cathedralis basilicae minoris civitatis Recinatensis, quod quamquam dictae ecclesiae canonici per hanc sanctam Sedem nonnullis honorificentiis decorati reperiuntur, ipsi tamen altaristae sine ulla speciali externa decoratione adhuc remanent: ideoque ad majorem Dei gloriam, et Christi Domini in Cruce patientis, Deiparaeque, ac sancti protectoris ejusdem civitatis memoriam jugiter in suis animis excitandam sacrum numisma cruci insertum collo appensum gestare posse plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus primae, et secundae erectionis beneficiatis altaristis praedictis, ut sacrum numisma ad instar altaristarum alterius minoris basilicae Lauretanae, non tamen eadem forma, cruci insertum, et suprapositum serico funiculo nigroflavo cum flocculo simili alligatum, in cujus numismatis antica insculpta sit almae domus Lauretanae effigies cum inscriptione « *Non fecit taliter omni nationi* »: in postica vero s. Flaviani ipsius civitatis protectoris imago cum alia inscriptione » *Protector Noster aspice* » tam in ecclesia praedicta, quam extra eam ad instar eorumdem altaristarum Lauretanorum palam gestare, eoque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque beneficiatos altaristas desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava martii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo. Derogatio contrariorum.

Dat. die 27 martii 1806 anno VII.

CCCCXVI.

Divisio, et dismembratio oppidi Saltae existentis in provincia Tucumana, illiusque erectio in dioecesim Cordubensem.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Procemium.

§. 1. Regalium principum erga populos eorum ditioni subjectos praeclara dilectio, qua animarum eorumdem populorum salutem pari pietate procurant, ita excitat cor Nostrum, ut in prosequendis religiosis hujusmodi votis etiam Nos manus Nostras adiutrices extendamus, unde quae optata disgnoscuntur suum plenarium sortiantur implementum.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut accepimus charissimus Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex pro catholicae religionis in dies augendae studio magis magisque incensus, et sollicitus maximam aspiciens Tucumanae dioecesis amplitudinem in Ameca meridionali existentem, utpote quadrigentarum a septemtrione ad meridiem, et centum octoginta circiter ab oriente ad occasum, respective leucarum, itaut unus tantum pastor singulorum Christifidelium suae pastorali curae creditorum vultus inspicere nequeat, optime illarum animarum saluti consultum esse existimet, si praefata dioecesis Tucumana, cujus praesul in civitate Cordubensi Nova nuncupata residet, aliqua in parte infrascripti illius territorii dismembratione minueretur, ac Saltae oppidum civitas nuncupatum in episcopatum apostolica auctoritate infrascriptis etiam modo, et forma erigeretur, quemadmodum ipse Carolus rex per dilectum filium Antonium equitem de Vargas y Laguna ejus apud Nos, et apostolicam Sedem plenipotentiarium administrum Nobis significare curavit.

Erectio oppidi Saltæ in civitatem, et constitutio novæ sedis.

§. 3. Nos omnibus mature perpensis antedicti catholici regis votis clementer indulgere, eosdemque Christifideles quantum in Domino possumus specialibus favoribus, et gratiis prosequi, eorumque spirituali bono consulere volentes ex certa scentia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictum oppidum Saltae in ipsa Tucumana provincia existens, ab eadem dioecesi Tucumana, ut infra, etiam in posterum Cordubensi nuncupanda penitus, et perpetuo dicta apostolica auctoritate tenore praesentium dividimus, et separamus, ipsumque oppidum Saltae sic divisum, et separatum, juxta canonicas sanctiones, episcopalis civitatis titulo, et honore, apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo decoramus, et ecclesiam in in eodem oppido, per Nos civitatis titulo, ut praefertur, decorato existentem ab infrascripto praesentium Nostrarum literarum exequutore designandam de apostolicae potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem Saltensem, pro uno episcopo Saltensi, qui omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, et praerogativis eisdem modo, et forma quibus caeteri episcopi praesertim in praedicti catholici regis Americae ditionibus perfruuntur, et gaudent cum omnimoda episcopali jurisdictione, in civitate Saltae, ejusque dioecesi ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat; atque in eadem ecclesia in cathedralem erigenda, dignitates, canonicatus, et beneficia, pro totidem presbyteris, seu clericis, adeo ut capitulum dictae ecclesiae, ut praefertur, designandae, atque in ecclesiam cathedralem, ut praefertur, erigendae tot individuis, quot necessarii erunt sit compositum de simili plenitudine potestatis apostolicae etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

Assignatio novæ dioecesis.

§. 4. Eidemque futuro, et pro tempore existenti episcopo Saltensi pro sua dioecesi territorium integrum, et superintendentiam praedictae civitatis Saltae pertinentem, nec non attento quod Taryae etiam territorium ad superintendentiam provinciae de Potosi nuncupatae spectantem, et ad dioecesim archiepiscopalis ecclesiae de Plata pertinentem, summopere distat a residentia archiepiscopi, et per episcopum novae ecclesiae Saltensis una cum regio superintendente melius in posterum dirigi valet apostolicum collegium missionariorum in praedicto Taryae oppido ad catholicae religionis propagationem per provinciam nuncupatam Chacô, suasque reductiones erectum a praedicta dioecesi archiepiscopi de Plata abdicando, et separando ad novam Saltensem dioecesim, per praesentes perti-

nere statuimus, et eidem assignamus; novamque dioecesim antedictam ex duobus territoriis praedictis efformatam esse volumus, et declaramus.

Dotatio ecclesiae.

§. 5. Pro dictae ecclesiae Saltensis vero dote, ad hoc ut ab illius praesule episcopalis dignitas decenter tueatur, et capitulo necessaria congrua praebeatur jus exigendi redditus decimarum, ad formam privilegii usque ad praesens ab episcopo de Tucuman in praedicta Cordubensi civitate commorante gavisi, in territorio eidem novae Saltensi dioecesi assignato, servata tamen consuetudine, illas tres in partes distribuendi donec, et quousque alio meliori quo fieri poterit modo eisdem Saltensis ecclesiae redditus adaugeantur, eadem apostolica auctoritate modo constituimus, et assignamus.

Divisio provinciae Tucumanae.

§. 6. Cum autem provinciam Tucumanam usque ad praesens ab uno antistite gubernatam, cujus ecclesia sub ipsius provinciae titulo denominabatur, in duas partes dividi statuerimus, illarumque unam episcopo residenti in civitate Cordubensi, alteram vero episcopatui Saltensi noviter erecto respective assignaverimus ad hoc ut unicuique ex praedictis dioecesibus denominatio propria conveniat, praevia tituli, et denominationis ecclesiae de Tucumana suppressione, ecclesiam sic usque ad praesens, ut praefertur, denominatam, in posterum Condubensem de Tucumana, alteram vero Saltensem per praesentes erectam in provincia praedicta respective existentes, denominari volumus, atque mandamus.

Indemnis redditur episcopus Tucumanus ab omni damno patiendo in divisione.

§. 7. Ne postmodum dismembratio praedicta, et nova hujus episcopalis ecclesiae Saltensis erectio, maximum episcopo Tucumano, in posterum Cordubense, ut praefertur nuncupando detrimentum afficiat ultra districtum intendentiae, ac provinciarum hujus nominis, et illius pariter nuncupati della Rioja provinciam de Cuyo nuncupatam ad praesens dioecesi s. Jacobi de Chile pertinentem, eidem Cordubensi dioecesi uniri, et incorporari infrascriptis de causis optimum esse cognovimus. Ea propter cum provincia praedicta de Cuyo a reliqua parte dioecesis sancti Jacobi de Chile ita a montibus separata existat, ut valde difficile sit episcopo illam visitandi, ac moderno ipsius ecclesiae antistiti usque adhuc ad illam accedere minime permissum fuerit, idcirco ne ejusdem provinciae habitatoribus spiritualia auxilia deficiant opportunum videtur, ut praevia illius disjunctione, separatione, et divisione praefata a dioecesi s. Jacobi de Chile, eidem ecclesiae Cordubensi de Tucumana incorporetur, prout per praesentes Cordubensi dioecesi antedictae adjungimus, et incorporamus.

Favore regis, et successorum reservatur jus nominandi episcopum.

§. 8. Dictique Caroli regis favore, suisque in regnis successoribus regiis jus nominandi, seu praesentandi infra tempus a jure praefixum Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam episcopalem ecclesiam Saltensem de Tucumana, per Nos, ut praefertur, erectam, a primaeva illius erectione vacantem tam pro prima vice, quam etiam in posterum in futuris illius vacationibus pari prorsus modo quoad nominationem seu praesentationem eamdem episcopi aliarum ecclesiarum in praefatis regnis existentium a Sede apostolica praedicta praefici consueverunt, cum ea tamen lege, quod episcopus cathedralis ecclesiae Saltensis de Tucumana, per Nos ut praefertur erectae ordinariae jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi de Plata uti ejus metropolitani subjectus esse debeat apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo reservamus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 9. Ut denique omnia in praesentibus Nostris literis disposita, et ordinata observentur, et ipsius Caroli regis vota optime ad exitum perducantur, idoneam personam episcopali charectere insignitam, vel in alia ecclesiastica dignitate constitutam a memorato rege eligendam in earumdem praesentium Nostrarum literarum executorem deputamus, ut ipse certioratis venerabilibus fratribus archiepiscopo de Plata, et de Corduba de Tucumana, ac s. Jacobi de Chile episcopis eorumdem consensibus de more requisitis, et acceptis, novam cathedralem ecclesiam Saltensem erigat, respectivarum dioecesium limites assignet, ac statuat, omniaque alia etiam quoad s. Jacobi de Chile, et Cordubensem dioeceses ut supra statuta opportunis modo, et forma exequi curet, ad quem effectum ei omnes

necessarias, et opportunas tribuimus facultates.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 10. Praesentes quoque Nostras literas apostolicas, et in eis contenta quaecumque de necessitate juris vel facti omnino nullo unquam tempore, et quacumque etiam legittima causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes suspendi, revocari, restringi, limitari, aut alias etiam motu pari concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus unquam posse, sed eas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, et quosvis alios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et potestate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non quatenus opus sit Lateranensis concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus; vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque de Plata, s. Jacobi de Chile, et Tucumana respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et causas, etiam quamtumvis pias, et privilegiatas praesentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, expressis, ac specificatis habentes illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, harum quoque serie derogamus, ac sufficienter derogatum esse, et censeri etiam decernimus, contrariis quibuscumque.

Præceptum de inscribendis fructibus ecclesiæ in libris cameræ.

§. 12. Volumus autem quod cathedralis ecclesia Saltensis de Tucumana per Nos, ut praefertur, erecta ad florenos triginta tres cum uno tertio taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 13. Praeterea volumus, ut hujusmodi Nostrarum literarum exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 14. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae divisionis, separationis, erectionis, unionis, incorporationis, reservationis, facultatis, impertitionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, quinto kalendas aprilis pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 27 martii 1806 anno VII.

CCCCXVII.

Ampliatio privilegiorum, et confimatio providentiarum captarum pro incremento decoris regiae cappellae villae Vizosae Elborensis dioecesis.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, quamvis nullis meritis Nostris in beati Petri cathedra constituti ecclesiis omnibus praesidentes, illud inter caetera permagna, et ampla apostolicae procurationis Nostrae munera studiose curandum putamus, ut in omnes agri Dominici partes divinus cultus quanto magis fieri potest, semper augeatur. Ea propter Romani pontifices pro paterna erga universos Christifideles benignitate eorum interponere auctoritatem saepe consueverunt ad ea statuenda, quae ad majorem omnipotentis gloriam, et christianae religionis incrementum, atque splendorem conducere prospiciebant.

Expositio omnium meliorамentorum inductorum in regia cappella cura regentis regni Portugalliae, et Algarbiorum.

§. 2. Cum itaque dilectus filius eques, ac commendator ordinis militaris Domini Nostri Jesu Christi Josephus Emmanuel Pinto, dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, ac regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis, apud Nos, et Sedem apostolicam orator, nomine ipsius Joannis principis, ac regentis exposuerit, quod inter eximia praestantissimorum hominum gesta in Ecclesiae fastis recensita regalis illa cappella in villa Vizosa Elborensis dioecesis, a praeclarissimis Brагantiae ducibus fidelissimorum regum illustribus avis erecta, variisque redditibus dotata, praecipuum praestat monumentum; neque minus laude dignum videtur fuisse studium, quo successores duces veterum suorum vestigia sectando, illius cappellae regimini, et gubernio, reique oeconomicae administrationi peculiariter incubuere, ita ut quidquid illius cappellae conservationi, et incremento, tum illius vetera statuta moderando, tum ampliando, profuturum dignoverint, huic non destiterint, implorata Sedis apostolicae auctoritate, strenuam dare operam, ac manum admovere opportunam. Et quamvis cappella isthaec non satis amplo patrimonio potiatur, cum illius redditus annuam dumtaxat summam sex millium circiter cruciatorum monetae illarum partium, sive millium, et quadrigentorum circiter ducatorum auri de camera attingant, ex industri tamen, perspicacique illorum administratione factum est, ut nihil unquam divini cultus honori defecerit, nec illum in aliquo decrevisse apparuerit. Verum cum in ipsa cappellanorum coetus, qui in primaeva ejus institutione sexdecim tantum numero constabat, ad quinquaginta cappellanorum numerum fuerit ampliatus; huic vero accedat, quod jam anteactis temporibus necessitas exigit, ut a singulis beneficiis juris patronatus regiae domus de Brагantia, tertia pars fructuum, apostolica auctoritate perpetuo respective distracta, ac separata, illaque patriarchali ecclesiae Lisbonensi, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo fuisset applicata, quia eorumdem beneficiorum indemnitati aliter consultum fuerit, res modo ita se habeat, ut praedicta dotatio mille, et quadrigentorum circiter ducatorum hujusmodi impar omnino sit ad congruum personarum ecclesiasticarum numerum in ea servandum, atque manutenendum. Ea propter Joannes princeps, ac regens praefatus, qui non inferiori quidem studio, animique alacritate suorum majorum curam, vigilantiam, atque sollicitudinem, quas illi de ipsius cappellae divinique cultus decoris conservatione gerebant, aemulari contendit, cupiens quammaxime ejusdem cappellae decori, reique illius oeconomicae ita prospicere, ut illa nedum in eo, quo semper effulxit splendore permaneat, sed novis etiam honorum augumentis, atque praerogativis illustretur; optimum fore consilium duxit, si regia ipsa cappella in insignem collegiatam ecclesiam erigatur, ac suppressis in illa singulis ad praesens extantibus beneficiis, seu cappellaniis duae in ipsa collegiata sic erigenda dignitates, quarum prima decanatus, secunda vero thesaurariatus major nuncupandae, ac quatuordecim cappellaniae canonicatus nuncupandae, nec non sexdecim beneficiati, et unus

magister musices, cum cantorum choro, respective instituantur. Atque ut expensis tum pro ipsius cappellae, in collegiatam ecclesiam sic erigendae fabricae, tum cantorum chori, et seminarii regii nuncupati in dicta villa, intuitu servitii supradictae cappellae existentis manutentione, tum quoque pro dignitatum, et singularum cappellaniarum canonicatuum, ut praefertur nuncupandarum, ac beneficiatorum aliorumve erigendarum, et erigendorum respectiva dotis assignatione necessariis facere satis possit, nullum aliud ad id magis opportunum fore medium arbitratus est, quam si praevia tum perpetui simplicis archidiaconatus de Regoa nuncupati beneficii ecclesiastici, seu dignitatis forsan residentialis in cathedrali ecclesia Portugallensi, quo ad praesens vacat, et ex cujus fructibus, redditibus, et proventibus universis alias per fel. rec. Clementem pp. XII. praedecessorem Nostrum tres ex quatuor illorum partibus apostolica auctoritate perpetuo dismembratae, ac dignitatibus, nec non canonicatibus, et praebendis patriarchalis ecclesiae Lisbonensis apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo applicatae fuerunt, tum alterius pariter perpetui simplicis thesaurariatus majoris nuncupati de Barcellos, dictae Portugallensis, seu alterius dioecesis, personalem forsan residentiam requirentes modo similiter vacantis, nec non aliorum viginti perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum in sancti Salvatoris, sancti Joannis, et sancti Jacobi respectivis collegiatis ecclesiis civitatis Beiensis, alias ex tunc, prout ex ea die postquam per obitum illorum respective possessorum, aut alias vacare contigisset apostolica auctoritate suppressi, et illorum redditus ad efformandam mensam nuper erectae cathedralis ecclesiae Beiensis, respective applicati reperiuntur, qui ut asseritur, in praesentiarum fere omnes vacant, et quorum fructus modici agnoscuntur ad consulendum sumptibus necessariis pro hujusmodi mensae constitutione, ac dotatione, ad quam opportunis providendam subsidiis idem regius princeps alia in posterum efficaciora media excogitare minime praetermittet, nec non aliorum perpetuorum simplicium, ac personalem residentiam non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum, libere ordinariae collationis, in quibusvis ecclesiis civitatum, et dioecesium regnorum Portugalliae et Algerbiorum hujusmodi respective existentium primo loco vacaturorum, quot una cum antedictis archidiaconatu, ac thesaurariatu, et viginti simplicibus memoratarum ecclesiarum satis sint ad efformandam annuam summam triginta millium cruciatorum monetae Portugalliae, quae una cum praedictis cruciatis sex mille circiter, a memorata cappella jam possessis opportune dignoscuntur ad praemissas omnes expensas congrue supplendas, ita ut bona, res, proprietates, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, tam ad praedictum archidiaconatum vacantem quoad superextantem unam ex quatuor partibus fructuum praefatorum, ad eumdem archidiaconatum modo spectantem, quam ad thesaurariatum et singula beneficia primo et secundo dicta, ut praefertur, vacantia, et vacatura, quomodocumque pertinentia, in ejusdem cappellae in insignem collegiatam ecclesiam, sic erigendae, illiusque respective fabricae, ac seminarii, nec non singularum, dignitatum, et cappellaniarum, ac beneficiatuum respective erigendarum, et erigendorum ac magistri musices, cum cantorum choro, dotem respective perpetuo, quoad archidiaconatum videlicet thesaurariatum, et beneficia vacantia, usque ex nunc, et quoad beneficia vacatura praefata in illorum respective vacationis eventus, ab eadem Sede apostolica unirentur, atque applicarentur.

Preces porrectae pro approbatione dispositionum a regente captarum.

§. 3. Cumque dictus Josephus nomine praedicto enixas Nobis detulerit preces, ut providas hasce praefati Joannis principis, ac regentis dispositiones, deque ipsius cappellae regiae sublimitate, ac splendoris incremento capta consilia, apostolicae Sedis patrocinio ac favore prosequi dignaremur.

Suppressio nonnullorum beneficiorum pro summa annui redditus scutorum termille octingentorum septem.

§. 4. Nos igitur omnibus circumstantiis consideratis, ipsius Joannis principis ac regentis pie conceptis votis, pontificiae benignitatis memores quantum in Domino possumus favorabiliter annuere volentes; ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, infrascriptis tamen

modo, ac forma juxta speciale mandatum venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Elborensi, sive in casum vacationis illius sedis archiepiscopalis venerabili fratri episcopo titulari sancti Ludovici de Maragnano, ipsius Elborensis archiepiscopatus moderno provisori commissum, omnes et singulas in dicta regia cappella nunc existentes beneficia, sive cappellanias, illarumque naturam et essentiam, ac similiter archidiaconatum, et thesaurariatum praedictos, ac illa beneficia ex primodictis viginti, ut praefertur vacantia respective ex nunc, ac insuper reliqua pariter ex primodictis ad praesens nondum vacantia, et alia perpetua simplicia ordinariae liberae collationis beneficia in posterum vacatura, usque dum insimul conficiatur summa sexmillium octingentorum quinquaginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi et juliorum duorum monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis, respondentium antedictae summae triginta millium cruciatorum monetae Portugalliae cum primum beneficia hujusmodi per cessum, vel decessum nunc respective obtinentium, aut alias quovis modo ex eorum personis dispositioni apostolicae specialiter reservata vel affecta existant, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, Sedique praefatae quomodolibet reservatis, salvo tamen, atque integro semper in posterum remanente apostolicae Sedis jure, admittendi pro libitu beneficiorum resignationes, quavis remota limitatione seu ordinariis collatoribus etiam per constitutiones apostolicas, et cancellariae regulas, seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta concessa competentibus vacare contigerit: illorumque pariter respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam archidiaconatus, thesaurariatus, et beneficiorum collativorum, ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinant, et uti talia in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut, impetrari vel alias de illis quovis modo disponi amplius nequeat, apostolica auctoritate perpetuo respective supprimimus, et extinguimus.

§. 5. His enunciato modo suppressis praefatam regiam cappellam ad Dei omnipotentis laudem, et honorem, divinique cultus augumentum in saecularem atque insignem collegiatam regiam nuncupandam ecclesiam, cum suis capitulo, mensa capitulari, arca, bursa, et sigillo communibus, omnibusque aliis collegialibus signis, insigniis, privilegiis, liberatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, et gratiis, aliis secularibus, et insignioribus collegiatis, in eodem regno existentibus ecclesiis, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus: et in ea unum decanatum, qui inibi principalis pro uno presbytero iis praedito qualitatibus, quae juxta canonicas leges requiruntur, futuro in ea decano, ac per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad episcopalem ecclesiam in partibus infidelium promovendo, qui praedictae cappellae, in collegiatam ecclesiam sic erigendae, caput existat, atque in ea ordinariam jurisdictionem, ut infra exerceat, nec non in choro, capitulo, processionibus, aliisque actibus capitularibus, tam publicis, quam privatis praeeminentiam, ac primum locum habeat, et unum thesaurariatum majorem nuncupandum, qui inibi secunda respective dignitates existant, pro uno presbytero, seu clerico, futuro in ipsa thesaurario majori nuncupando; et quatuordecim cappellanias, canonicatus respective nuncupandas, pro totidem similiter presbyteris, aut clericis futuris itidem in illa cappellanis, canonicis nuncupandis, quorum quatuor, pariterque futurus deinceps thesaurariatus in theologia vel utroque jure baccalauri gradus in universitate Colimbriensi decorati existant, nec non sexdecim beneficia pro totidem quoque presbyteris vel clericis, beneficiatis nuncupandis, atque unus magister musices, cum cantorum choro, qui omnes apud collegiatam hujusmodi, statutis diebus personaliter residere, ibique horas canonicas, diurnas, et nocturnas, caeteraque divina officia solita, et consueta, et cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastisa disciplina recitare, decantare, et psallere, nec non missam conventualem, seu majorem juxta sacrorum rituum formam

Erectio cappellae in insignem collegiatam.

celebrare, ac alias eidem regiae cappellae, in collegiatam ecclesiam, ut infra, erigendae in divinis laudabiliter deservire, et in ea canere respective teneantur, apostolica auctoritate praefata perpetuo erigimus, atque instituimus.

Insitutio capituli.

§. 6, Capitulum vero hujus insignis collegiatae ecclesiae ex decano, thesaurario, et quatuordecim cappellanis, canonicis nuncupandis, qui soli vocem, et votum in eo habeant, et gaudeant, constitui, et efformari decernimus.

Consulitur fabricae, et seminario ejusdem regiae cappellae in collegiatam erectae.

§. 7. Ut autem fabricae, ac seminario saepedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, per Nos sic, ut praefertur, erectae, ac dignitates, et singulas cappellanias, canonicatus, ut praefertur nuncupandas, nec non beneficiatus pro tempore respective obtinentibus, ac magistro musices, cum cantorum choro, pro onerum unicuique eorum incumbentium supportatione, congruae, convenientisque dotis fundamenta valeant constitui; omnia et singula, tam praedicti archidiaconatus de Rogoa, pro reliqua ei superextante una ex quatuor partibus omnium, et singulorum fructuum praefatorum tantum salvis, et firmis remanentibus reliquis tribus partibus, eisdem dignitatibus, et canonicatibus, et praebendis ejusdem patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, alias, ut praefertur, in perpetuum applicatis, eisdemque dignitatibus, et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae ad formam literarum apostolicarum dicti Clementis praedecessoris annuatim persolvendis, et dicti thesaurariatus de Barcellos, nec non beneficiorum praefatorum ad praesens vacantium ex nunc, quam aliorum omnium, et singulorum beneficiorum praedictorum per Nos in illorum, ut praefertur, suppressorum, vacationum, eventus, respective, bona, res, proprietates, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, quovis nomine nuncupata, ac cujusvis generis, et speciei, et in quibusvis rebus consistentia una cum singulis, tum archidiaconatus de Regoa, et thesaurariatus de Barcellos, tum singulorum beneficiorum hujusmodi respective fundationum oneribus, massae reddituum praedictae regiae cappellae in collegiatam, ut praefertur, erectae, ita quod liceat futuris, ac pro tempore existentibus illius capitulo, dignitatibus, canonicis, et beneficiatis, vel quibusvis aliis personis, per se, vel alium, seu alios ejusdem regiae cappellae in collegiatam erectae nomine, tam archidiaconatus, ac thesaurariatus praefatorum, quam singulorum beneficiorum hujusmodi, per Nos, ut praefertur, suppressorum, illorumque respective bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum praefatorum, veram, realem, corporalem, et actualem possessionem libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus quoque, redditus, et proventus praefatos percipere, exigere, levare, ac satisfactis tamen prius (excepto servitio chori) omnibus et singulis dictarum fundationum oneribus, ac solutis pensionibus annuis, quatenus illae super aliquo ex hujusmodi beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur suppressis apostolica auctoritate quomodolibet reservatae reperiantur, in supradictos usus, et utilitatem convertere, eadem apostolica auctoritate itidem perpertuo unimus, annectimus atque applicamus.

Assignantur redditus pro distributionibus quotidianis.

§. 8. Ea tamen lege quod pro rata millium, et sexcentorum ducatorum auri de camera, summam septem millium cruciatorum illius monetae constituentium in fabricae ipsius cappellae manutentione; pro rata vero quatuorcentum quinquaginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum duorum monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis, summam bismillium cruciatorum dictae monetae efformantium in seminarii puerorum praedicti assignatione, atque pro reliqua superextanti rata quatuor millium octingentorum ducatorum auri de camera parium viginti unius millium cruciatorum similium efficientium, quibus addendi erunt alii sex mille circiter cruciati ab ipsa regia cappella in collegiatam insignem erecta jam antea obtenti, detracta prius mensuali rata officialibus, cantoribus, aliisque ministris, ipsius cappellae servitio addictis assignata, in massae capitularis confectione, atque in usum distributionum quotidianarum capitularibus ipsis respective dividenda assignata remaneat,

cum hoc tamen quod assignatio sexdecim beneficiatis facienda, medietatem tantum congruae decano, thesaurario majori, quatuor canonicis baccalaureatus laura decoratis, et magistro musices statuendam constituat.

Concessio privilegiorum, et immunitatum pro canonicis, et dignitatibus.

§. 9. Et insuper eidem regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, illiusque dignitatibus, canonicis, et beneficiatis pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi, eorumque officiales, et ministri, res, bona, et proprietates, omnibus, et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae saeculares, et insigniores in eodem regno collegiatae ecclesiae, earumque capitula, canonici, et dignitates in eis existentes, et ministri, ac illorum bona, res, et proprietates, de jure, usu, consuetudine, aut privilegio utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus, et per omnia, ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere possint, et valeant, dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et indulgemus. Jus autem nominandi, seu praesentandi ad, si quae sint, beneficia ecclesiastica, quod archiadiaconatum de Regoa, thesaurariatum majorem de Barcellos, et beneficia supradicta tam ex tunc alias, quam ex nunc prout ex tunc post quam vacaverint, per Nos suppressa, et extincta respective obtinentibus forsan competebat, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus eisdem futuris capitulo, et cappellanis canonicis, ut praefertur nuncupandis, praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae concedimus, atque tribuimus. Sed accedentes ad obbligationes tam praedicti archidiaconatus de Regoa, et thesaurariatus de Barcellos, quam beneficiorum vigore praesentium suppressorum, et supprimendorum, et respective onera eisdem annexa, praeter servitium chori, quae necesse videatur, ut per aliquam personam exacte adimpleantur; praesentium Nostrarum literarum exequutori decernendi, disponendi, et statuendi meliori, quo aextimetur modo, super hac re, plenam, et omnimodam facultatem impertimur.

Regraenti regni conceditur facultas condendi statuta pro regimine ecclesiae, et capituli.

§. 10. Eidem vero Joanni Brasiliae principi ad praesens regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regenti pro ejusdem insignis collegiatae ecclesiae, ut supra erectae, illiusque capituli, sacrarii, ac omnium rerum, et bonorum prospero, et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque respective incumbentium supportatione, ac distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, reparatione, divisione, poenarum per onera, et munera eis incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, officialibus, et ministris in dicta regia cappella in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erecta necessariis deputandis servitiis, et ministeriis per ipsos obeundis, eisque salariis, et stipendiis praestandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis; quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis praefatis minime contraria edere, et edita declarare, et interpretare, et ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alias etiam in posterum, quatenus opus foret, de novo, ac, ut praefertur, eisdem sacris canonibus, ac decretis concilii hujusmodi, et constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, et ab eis, ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda concedere, et postquam condita fuerint tam per ipsum Joannem Brasiliae principem, quam per regios illius successores, toties quoties pro rerum, et temporum conditione, et qualitate expediens videbitur illa in toto, vel parte corrigere, mutare, et in melius reformare, etiam libere, et licite possint et valeant, dummo-

do tamen correctio, immutatio, et reformatio hujusmodi sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis contraria, ut praefertur non sint; eadem apostolica auctoritate, licentiam, et facultatem tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Regiae domui de Bragantia reservatur jus patronatus.

§. 11. Demum considerantes, quod regia domus de Bragantia, jure nominandi, et deputandi cappellanos dictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, per Nos, ut praefertur, erectae hucusque gavisa est, de speciali Sedis apostolicae munificentia eidem regiae domui de Bragantia, illiusque pro tempore existentibus regiis successoribus jus nominandi personas idoneas, tam ad decanatum, et thesaurariatum, quam ad singulos canonicatus, et beneficiatus per Nos ut supra erectos, et institutos, tam pro hac prima vice a primaevis illorum erectione, et institutione hujusmodi respective vacantes, quam in singulis futuris illorum respective vacationibus, et quoties decanatum, ac thesaurariatum, et singulos canonicatus, et beneficiatus praefatos, ubicumque, quandocumque, et quomodocumque, ex personis illos pro tempore respective obtinentibus quovis modo vacare contigerit, scientia, et potestatis plenitudine paribus, apostolica auctoritate praefata in perpetuum quoque reservamus, concedimus, atque assignamus.

Exemptio ecclesiae a jurisdictione episcopi Elborensis.

§. 12. Cumque felicis recordationis Clemens pp. VIII. praedecessoris Nostri per alias in simili forma expeditas literas incipientes «*Ex injuncto*» ac quatuordecimo kalendas octobris datas anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, circa ordinariam jurisdictionem a moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Elborensi in regia ipsa cappella exercendam nonnulla disposuerit; hinc est, quod Nos praedicti Clementis dispositiones confirmantes, eamdem cappellam in insignem collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectam, cum suis capitulo, seminario, beneficiis ecclesiasticis cujusvi speciei, ac dignitatibus, canonicis, beneficiatis, aliisque ministris quovis nomine nuncupatis, et officialibus eidem cappellae inservientibus, et addictis, ab omnimoda subiectione, superioritate, correctione, visitatione, et potestate pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis, ita quod ipse nunquam in posterum aliquam spiritualem jurisdictionem in capitulum, seminarium, seu personas eidem cappellae addictas exercere possit, apostolica auctoritate, ac de potestatis plenitudine perpetuo exemptam, et totaliter liberatam declaramus.

Decano ejusdem capituli conceduntur jura episcopalia.

§. 13. Dictaeque postmodum cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, sic a quacumque jurisdictione archiepiscopi Elborensis exemptae, et totaliter liberatae, curam, regimen, et administrationem ad pro tempore decanatum ipsius collegiatae ecclesiae obtinentem per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, ut supra, ad ecclesiam episcopalem in partibus infidelium promovendum, concedimus, atque tribuimus, ita ut ipse ex nunc deinceps pontificali dignitate insignitus, ordinariam jurisdictionem, atque pontificalia omnia, etiam quoad ordinum collationem, confessariorum approbationem, respectu dumtaxat ejusdem collegiatae, omnesque et singulas facultates etiam quoad expeditionem literarum dimissorialium, tamquam verus, et realis ordinarius in ipsa collegiata exercendo, idoneas personas ad thesaurariatum canonicatus, beneficiatus, sive alia beneficia, aut officia in eadem collegiata ecclesia erecta nominatas canonice instituere libere, et licite valeat, nec non super eorum vita, moribus, et disciplina inquirere, plenamque demum, meram, et omnimodam spiritualem, ecclesiasticam, et ordinariam jurisdictionem habere, ac omnia et singula alia, quae archiepiscopi, sive episcopi in ecclesiis eisdem subjectis hactenus exercere consueverunt, similiter, et pariformiter nulla prorsus differentia gerere, ac facere possit, statuimus, atque etiam decernimus.

De electione decani, ejusque institutione.

§. 14. Quód vero pertinet ad nominationem personae pro obtinenda dignitate decanatus hujusmodi collegiatae ecclesiae, minime dubitamus, quin pro tempore existentes regii ipsius decanatus patroni, et collegiatae ecclesiae regimen, et ad ordinariam jurisdictionem inibi exercendam personam necessariis qualitatibus praeditam, semper sint electuri; talis idcirco ecclesiastica persona debitis ornata virtutibus, ac suffulta requisi-

tis a Sede apostolica approbandis, per Nos et Romanos pontifices successores Nostros, ad episcopalem ecclesiam in partibus infidelium consueta forma promovebitur, ejusdemque promoti consecratio, a moderno, et pro tempore existente archiepiscopo Elborensi, cui erit commissa, peragetur, ita ut consecratio hujusmodi censeatur, in simul tamquam actus canonicae institutionis in praedicto decanatu. Quod si contingat nominari ad eumdem decanatum personam aliquam jam antea episcopali dignitate insignitam, tunc ei memoratus archiepiscopus eam in ipso decanatu canonice instituat.

Clausulae salutares.

§. 15. Praesentes autem Nostras literas apostolicas nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quamtumvis juridica, et legittima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio, quamtumvis maximo, et substantiali, substantialissimo, ac specialem, et individuam mentionem requirente defectu, notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, suspendi, revocari, restringi, limitari, ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, seu facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari, aut alias etiam motu proprio concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi ullatenus posse, nec illas, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam, ut praefertur, aut alias quomodolibet etiam per cancellariae praedictae regulas, et constitutiones apostolicas praefatas, pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per futuros, et pro tempore existentes capitulum, et canonicos, et beneficiatos praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et sic ab omnibus censeri; et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; et quidquid secus, super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, atque inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 16. Ad hoc autem, ut omnia, et singula supradicta a Nobis disposita, atque ordinata, et in praesentibus contenta, et expressa debitis modo, et forma opportunae executioni demandentur, ac perpetuis futuris temporibus, ab omnibus, et singulis firmiter, et inviolabiliter observentur; eidem archiepiscopo Elborensi nunc, et pro tempore existenti praefato per praesentes committimus, et mandamus, ut ipse inspectis prius praedicti archidiaconatus de Regoa, liberis redditibus, ac thesaurariatus de Barcellos, ac supradictorum beneficiorum vacantium ad praelaudatam unionem fructuum archidiaconatus, et thesaurariatus, ac beneficiorum praedictorum firmis remanentibus obligationibus, et oneribus eisdem incumbentibus, absque ulla mora deveniat, eaque peracta, quantitatem hujusmodi fructuum in ejus decreto desuper edendo referat, et enunciet, sicque pariter occurrente pro tempore supradictorum beneficiorum per Nos in eventus praemissos, ut praefertur, suppressorum, respective vacatione, praeviis informationibus super illorum respective redditum quantitate, et onerum illis incumbentium qualitate debite captis, redditus beneficiorum hujusmodi, juxta illorum respective vacationum eventus massae antedictae cappellae regiae in collegiatam per Nos

ut praefertur erectae modo, et forma superius expressis, conscentia ipsius super his onerata applicet, et uniat, donec tantummodo compleatur summa dictorum sexmillium octingentorum quinquaginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum duorum monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis summae triginta millium cruciatorum monetae illius regni respondentium ultra supradictos mille, et quadrigentos circiter ducatos auri similes, quibus ipsa cappella in collegiatam erecta, jam de praesenti, ut praefertur, gaudet. Eidemque archiepiscopo Elborensi, et in casu vacationis hujus ecclesiae, praedicto provisori ipsius dioecesis facultatem, ut ipse super quacumque quaestione, quae adversus eadem praemissa in hujusmodi executionis actu quomodolibet oriri poterit, servatis, quae fuerint de jure servanda, etiam definitive, quacumque appellatione postposita, pronunciare possit, et valeat, apostolica auctoritate praedicta, concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus generalis concilii, ac Nostra, et cancellariae praefatae regula de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non cathedralium, et aliarum ecclesiarum in quibus beneficia, per Nos, ut praefertur, suppressa, et extincta forsan fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis quavis auctoritate fungentibus, aut dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Revocatio praecedentium literarum.

§. 18. Nos enim cum per similes alias literas incipien « *Romanorum pontificum* » anno tertio pontificatus Nostri, quartodecimo kalendas januarii datas, ipsius regiae cappellae in collegiatam ecclesiam erectionem certis modo, et forma disposuerimus, cumque omnia ad ejusdem collegiatae erectionem spectantia per praesentes integre, ac plenarie statuamus; primodictas literas Nostras, salva tamen et integra manente suppressione, si qua vigore ipsarum literarum peracta jam fuerit, aliquorum beneficiorum, illorumque dictae cappellae in collegiatam erectae applicationes, nullas et invalidas, nulliusque roboris, vel momenti censendas declaramus, perinde ac si nunquam fuissent emanatae.

Fides habenda transumptis.

§. 19. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, unionis, annexionis, applicationis, concessionis, indulti, commissionis, licentiae, et facultatis impartitionis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, deputationis, atque derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno

incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, quinto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXVIII.

Dat. die 28 martii 1805. anno VII.

Dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis Brixiensis indulgetur, ut loco almutiarum gestare valeant cappam magnam violacei coloris cum pellibus armellinis tempore hyemali, et cottam, et rocchetum aestivo tempore.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum venerationis vel ipsa sacra indumenta Christifidelium animis ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, non modo varias pro festorum varietate sacerdotibus suis in sacris faciendis praescripsit vestes, sed etiam iis ministris, qui almae veluti Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt peculiaria, atque ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Brixiensis Nobis nuper exponi fecerunt, cathedralis ipsa in qua tres dignitates, decem canonici, et novem cappellani existunt, antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populique christiani frequentia, et devotione valde floreat, multum honorificentiae, et splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem ecclesiae dignitates, canonici, et cappellani novis insignibus, et honorificentiis per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore existentibus dignitatibus, et canonicis dictae Brixiensis cathedralis ecclesiae, ut ipsi loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, cappam magnam violaceam, vulgo di saja paonazza, cum asulis, et globulis sericis cremisini coloris, et cum pellibus armellinis supra rocchetum hyemali, aestivo autem tempore ipsum rocchetum, et cottam, seu cappam magnam sine pellibus hujusmodi ad instar canonicorum aliarum cathedralium ejusdem provinciae; cappellani autem cottam, et almutiam ex pellibus armellinis maculatis tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti; ac praeterea iidem dignitates, et canonici crucem auream forma, et magnitudine ab episcopali cruce prorsus discrepantem funiculo serico nigro alligatam cum flocco pariter nigro e collo pendentem etiam privatim deferre libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos, et cappellanos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava martii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 1 aprilis 1806 anno VII.

CCCCXIX.

Revocantur nonnulla rescripta obreptitie, et subreptitie extorta super commutatione testamenti Ignatii Michaelis Giarve patriarchae Antiocheni.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur quæ fuerit dispositio testamentaria patriarchæ Antiocheni, et quomodo exitit commutata

§. 1. Accepimus nuper, venerabiles fratres Nostros S.R.E. cardinales nogociis de Propaganda Fide praepositos decreto die decima nona septembris MDCCLXXXXI. ab eis edito duo approbasse, et confirmasse bo: me. Ignatii Michaelis Giarve patriarchae dum viveret Antiocheni Syrorum testamenta, atque his pontificiae etiam auctoritatis robur accessisse per apostolicas in simili forma Brevis die xxii. maij MDCCLXXXXVII. expeditas literas, prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius contineri perhibetur. Accepimus itidem, bina alia subinde ab eodem patriarcha condita testamenta fuisse, ac eosdem cardinales, quibus posteriora isthaec testamenta pro eorum confirmatione, aut immutatione, vel declaratione aliqua fuere post testatoris mortem exhibita, mutare hisce etiam perspectis judicasse ac decrevisse rata, et firma in omnibus ista quoque, perinde ac alia duo priora, habenda esse. Quamquam vero iisdem in testamentis cautum esset, ut duo capita pecuniarum collocata a patriarcha praedicto in hac urbe Nostra, alterum scilicet scutatorum ter mille et octingentorum penes annonae frumentariae cameram, alterum autem scutatorum mille, et quingentorum apud Propagandae Fidei congregationem, tum etiam nummorum hujusmodi annui fructus ad monasterium s. Mariae Liberatricis in Kersroano libere pertinerent; nihilominus nulla Nobis facta mentione de supradictis testamentis obtentum fuit die xxxi. octobris MDCCCIV. rescriptum Nostrum, quo recensita pecuniarum capita adversus apertam voluntatem patriarchae testatoris succedentem declaratur spectare; Nobis idcirco supplicatum humiliter est, ut opportune hac in re providere, ac benigne ut infra indulgere dignaremur.

Praevia revocatione rescripti praecedentis decernitur exeqatio voluntatis testatoris

§. 2. Nos igitur toto, quo cum Domino possumus studio uniuscujusque jura sarta tecta servare, et ab omni etiam fraude et laesione vindicare cupientes, de praedictorum venerabilium fratrum consilio, praevia memorati rescripti utpote obreptionis, et subreptionis vitio laborantis abrogatione, quemadmodum auctoritate apostolica tenore praesentium illud abrogamus, nullumque, ac irritum facimus, et declaramus; deinde ut eo minime obstante praedicta duo pecuniarum capita in omnibus et per omnia juxta disponentis mentem praedicto monasterio s. Mariae Liberatricis in Kersroano perpetuo firmiter ac omnino libere addicta maneant, atque manere debeant, utque annuos illorum fructus ii, ad quos pertinet aut pertinebit pro tempore, plenarie ad formam testamentariae dispositionis ejusdem patriarchae exigant, auctoritate et tenore praedictis concedimus, volumus, atque decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 1 aprilis 1806 anno VII.

CCCCXX.

Dismembratio villae Turris Laurenzettae Tudertinae dioecesis a paraecia s. Faustini, illiusque incorporatio paraeciae Collis Petraccii.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum villae Turris Laurenzettae Tudertinae dioecesis expositum Nobis fuit, quod alias infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatio ad consulendum spirituali incolarum dictae villae utilitati, attentisque sedulis venerabilis fratris episcopi Tudertini relationibus super dismembratione a

primaeva dictae villae paraecia s. Faustini per milliarium distante, et incorporatione ejusdem viciniori paroeciae Collis Petraccii, proposito in ipsa congregatione dubio « *An, et quomodo sit locus dismembrationi, et respective unioni in casu etc.* », eadem congregatio, exponentium precibus inhaerendo decretum edidit sequentis tenoris, videlicet.

Die xxiv. novembris MDCCCIV.

Rescriptum ad rem latum a congregatione Concilii

§. 2. Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum respondit affirmative, assignatis annuis scutis viginti in fundis paraeciae sancti Faustini arbitrio episcopi, et notificetur ministris datariae apostolicae, proindeque benigne commisit episcopo Tudertino, ut veris existentibus narratis pro suo arbitrio, et conscentia incolas Turris Laurenzettae a paraecia s. Faustini dismembrare, nec non paraeciae castri Collis Petraccii unire possit, et valeat, assignando ejus parocho pro tempore annua scuta viginti in tot fundis ad paraeciam sancti Faustini spectantibus, et praesens decretum notificari mandavit ministris datariae apostolicae.

Loco ✠ Signi

Ph. card. Carandini praefectus

E. De Gregorio sec.

Confirmatio rescripti.

§. 3. Cum autem, sicut dicti universitas, et homines exponi iterum Nobis fecerunt, ipsi praeinsertum decretum, quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, decretum praeinsertum, atque omnia et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum paraeciarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 5 aprilis 1806 Anno VII.

CCCCXXII.

Dismembratio nonnullarum ecclesiarum a jurisdictione archiepiscoporum Bononiensis, et Mediolanensis, eorumque unio dioecesi Parmensi.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium Nostrum Neapoleonem Galliarum imperatorem de latere legato salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum cum Nobis fuerit ex parte charissimi in Christo filii Nostri Neapoleonis Gallorum imperatoris, quod valde opportunum ad populorum commoditatem foret, si infrascriptae episcopales ecclesiae in territoriis modo ejusdem Neapoleonis imperio subjectis existentes, videlicet Parmensis, Placentina, Burgi sancti Donnini, et Saonensis, metropolitanae ecclesiae Januensis, nec non Vintimiliensis respective ecclesiae metropolitanae Aquensis respectivis archiepiscoporum jurisdictionibus subjicerentur; atque insuper praevia suppressione ordinariae quasi episcopalis jurisdictionis huc usque exercitae ab abbate saecularis abbatiae Guastallensis nuncupatae nullius dioecesis, apostolicae Sedi immediate subjectae ipsius abbatiae territorium episcopali ecclesiae et dioecesi Parmensi uniretur, ac subiiceretur.

Tenor decretae divisionis et respectivae unionis.

§. 2. Gravibus idcirco attentis circumstantiis, ipsius imperatoris votis hac etiam in parte benigne annuentes tibi, dilecte fili Noster, specialem tribuimus potestatem, ut praevio infrascriptorum archiepiscoporum, eorumque metropolitanarum ecclesiarum, capitulorum, nec non episcoporum, et abbatis respectivo consensu apostolica speciali delegata auctoritate ecclesias Parmensem, Placentinam, et Burgi sancti Donnini praefatas a metropolitico archiepiscopi Bononiensis jure, atque pariter Saonensem et Vintimiliensem ecclesias praedictas ab eodem jure archiepiscopi Mediolanensis, quibus ad praesens subsunt abdicando, Parmensem videlicet, Placentinam, Burgi sancti Donnini, et Saonensem archiepiscopalis ecclesiae Januensis, Vintimiliensem vero, praefatae ecclesiae archiepiscopalis Aquensis, respectivis juribus metropoliticis in consueta forma subjicias, atque supponas: ac praeterea territorium supradictae abbatiae Guastallensis, una cum ejus clero et populo, a quacumque moderni abbatis jurisdictione liberes, atque eximas, illudque omnimodae ordinariae jurisdictioni, et superioritati moderni, et pro tempore existentis episcopi Parmensis perpetuo unias, et adjicias; cum hoc tamen quod per antedictam ordinariae, et quasi episcopalis jurisdictionis, suppressionem, nihil aliud hodierni Guastallensis abbatis canonicae existentiae unquam detractum censeatur.

Mandatum ad rem datum cardinali a latere legato.

§. 3. Nos enim ad hujusmodi effectum omnes et singulas tibi necessarias, et opportunas facultates quaelibet acta et decreta in una seu pluribus vicibus conficiendi, et expediendi ad plenariam hujus Nostrae voluntatis habendam executionem, tribuimus, atque impertimur; quaeque per te vigore praesentium statuta, et ordinata fuerint, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in posterum observari praecipimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Parmensis, Placentinae, Burgi sancti Donnini, Saonensis, Vintimiliensis, ac abbatiae praedictae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, nonis aprilis, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 5 aprilis 1806 Anno VII.

CCCCXXIII.

Dismembratio nonnullarum ecclesiarum a jurisdictione respectivorum archiepiscoporum, earumque subjectio ecclesiae archiepiscopali Januensi.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium Nostrum Neapoleonem Galliarum imperatorem de latere legato salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum cum Nobis fuerit ex parte charissimi in Christo filii Nostri Neapoleonis Gallorum imperatoris, quod valde opportunum ad populorum commoditatem foret, si infrascriptae episcopales ecclesiae in territoriis modo ejusdem Neapoleonis imperio subjectis existentes, videlicet Parmensis, Placentina, Burgi sancti Donnini, et Saonensis, et Lunensis Sarzanensis metropolitanae ecclesiae Januensis, nec non Vintimiliensis respective ecclesiae metropolitanae Aquensis respectivis archiepiscoporum jurisdictionibus subjicerentur.

Tenor decreti dismembrationis, et respectivae incorporationis.

§. 2. Votis idcirco ejusdem imperatoris hac etiam in parte benigne annuentes tibi, dilecte fili Noster, specialem tribuimus potestatem, ut praevio infrascriptorum archiepiscoporum, eorumque metropolitanarum ecclesiarum, capitulorum, nec non episcoporum respectivo consensu apostolica speciali delegata auctoritate ecclesias Parmensem, Placentinam, et Burgi sancti Donnini praefatas a metropolitico archiepiscopi Bononiensis jure, atque pariter Saonensem, et Vintimiliensem ecclesias praedictas ab eodem jure archiepiscopi Mediolanensis, quibus ad praesens respective subsunt abdicando, Parmensem videlicet, Placentinam, Burgi sancti Donnini, et Saonensem archiepiscopalis ecclesiae Januensis, Vintimiliensem vero, praefatae ecclesiae archiepiscopalis Aquensis respectivis juribus metropoliticis in consueta forma subjicias, atque supponas: ac praeterea si ita in Domino expedire judicaveris eidem metropolitico Januensis archiepiscopalis ecclesiae antedictae juri, etiam Lunensem et Sarzanensem perpetuo invicem canonice unitas ecclesias, usque ad praesens sub immediata sanctae hujus Sedis subjectione existentes simili auctoritate pariter suppositas, atque subjectas in posterum esse declares.

Mandatum ad rem datum cardinali a latere legato.

§. 3. Nos enim ad hujusmodi effectum omnes et singulas tibi necessarias, et opportunas facultates quaelibet acta et decreta in una, seu pluribus vicibus conficiendi, et expediendi ad plenariam hujus Nostrae voluntatis habendam executionem, tribuimus, atque impertimur; quaeque per te vigore praesentium statuta, et ordinata fuerint, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in posterum observari praecipimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Parmensis, Placentinae, Burgi sancti Donnini, Saonensis, Vintimiliensis, ac Lunensis Sarzanensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, nonis aprilis, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 15 aprilis 1806 anno VII.

CCCCXXIV.

Dispensatio a choro per tres menses quolibet in anno favore canonicorum ecclesiae collegiatae de terra Podi-Bonitii Collensis dioecesis.

Venerabili fratri
Episcopo Collensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii praepositus, atque canonici ecclesiae collegiatae Assumptionis Beatae Mariae Virginis de terra Podi-Bonitii Collensis dioecesis, quod ipse praepositus nulla gaudet praebenda, valde autem tenui potiuntur canonici, qui tamen omnes vi fundationis quotidiano chori adstringuntur servitio absque ulla prorsus relaxatione; quod ipsi minus quidem gravate perferrent, nisi jugi eorum labori insalubritas quoque coeli ac loci, ubi degunt, accederet. Hinc ut aliquid nanciscantur otii, quo suae consulant valetudini, per tres menses in anno se a choro vacare posse, absque ulla tamen distributionum jactura, vehementer desiderant; eo vel magis quod sex extant mansionarii, per quos sat bene poterit chori onus quotidie impleri. Quare Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, eorumque singulos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis, eisdem exponentibus, eorumque etiam successoribus in futurum petitam facultatem tres per menses dumtaxat singulis annis a choro vacandi, et tempore vacationis omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus, nec non distributiones a solis praesentibus percipi solitas, caeteraque omnia ratione praepositurae, et canonicatuum praedictorum quomodolibet ad eos spectantia, perinde ac si cunctis chori ecclaesiaeque functionibus interessent, integre percipiendi, ita tamen ut ipsi vacatione hujusmodi per turnum a te praefigendum solummodo perfruantur, et eorum tres, aut duo prout satius in Domino visurum sit tibi, choro, dum alii vacant, semper assistant, cum mansionariis praedictis, tum et nemo ipsorum non adsit in quadragesima et solemnioribus anni festis, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac fundatione praememorata, cui ad praemissorum effectum specialiter, ac expresse derogamus, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo, octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 18. aprilis 1806. anno VII.

CCCCXXV.

Declaratio nonnullarum literarum apostolicarum diversis temporibus editarum super unione nonnullorum monasteriorum ordinis Cisterciensis existentium in ditione Parmensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Memorantur literae a praedecessore latae super unione monasteriorum

§. 1. Tria monasteria Cisterciensis ordinis in ditione Parmensi existentia, (quibus postea quartum adjunctum est, idest monasterium Florentiolae) rec. mem. Pius pp. VI. praedecessor Noster, apostolicis suis in forma brevis die xxvi. septembris MDCCLXXXVI. editis literis, a provincia Longobardiae, cui antea co-

pulabantur, in Romanam ejusdem ordinis provinciam transtulit, cooptavitque tali quidem unione, ac nexu, ut sicut in iisdem enunciatur literis, deinceps per tria illa monasteria cum aliis ejusdem Romanae provinciae una dumtaxat provincia constitui absque distinctione nationum, ac monachi omnes trium illorum monasteriorum tamquam professi in provincia Romana haberi, et censeri deberent.

Declaratur quibus sub conditionibus; literae hujusmodi fuerint postea confirmatae.

§. 2. Hanc porro cooptationem, et unionem Nos per apostolicas literas Nostras in simili forma brevis die xxi julii MDCCCI. expeditas, ita ratam habuimus, et confirmavimus, ut memoratas praedecessoris literas in caeteris omnibus, (nonnullis enim ibi a Nobis derogatum, et nova plura ordinata fuerunt, et monasterium s. Crucis de Nostra alma urbe Romanae eidem provinciae adiunctum, et sexta voce numerus patrum regiminis auctus, et alternativa quaedam inter abbatem ejusdem monasterii, et procuratorem generalem memoratae provinciae praescripta) integras in suo robore quoad promiscuitatem religiosorum omnium tam praeexistentium monasteriorum, quam adjunctorum sine ullo nationum discrimine ad quoscumque effectus permanere pronunciaverimus.

Exponuntur preces porrectae pro declaratione decretae reformationis.

§. 3. Verum enim vero alias apostolicas postmodum in pari forma brevis die iv. februarii MDCCCVI. obsignatas literas dedimus, quibus, post quam variis provinciae Romanae indigentiis providere curavimus, ea tunc arrepta occasione sextam praedictam vocem, quippe quae circumstantiis monasteriorum Parmensium in alium jam mutatis, supervacanea evaserat, regimini ademimus, et quo ut haec magis intelligeretur ademptio, omnia, et singula, quae pro dictis monasteriis Parmensibus tantum tunc, prioribus nempe literis Nostris, per Nos sancita, et constituta fuerunt, revocare, et abolere addidimus. Ex hoc tamen additamento factum est contra, ut Parmenses manachos, quaedam ceperit dubitatio, atque formido, ne quid inde scilicet unio ipsorum cum Romana provincia passura sit detrimenti; qui propterea, ut Nobis nuper a dilecto filio abbate Angelo Maria Campagna eorum est nomine expositum, aliquam mentis Nostrae declarationem ad suum uniuscujusque jus quaesitum opportune tuendum vehementer desiderant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant.

Tenor declarationis, qua sarta tecta servantur jura, et privilegia monachorum Parmensium.

§. 4. Nos igitur, quibus nil sane esse potest antiquius, quam ea, quae in regularium ordinum emolumentum constituta salubriter sunt, sarta tecta servare, praedictos monaches a quolibet metu, animique anxietate eripere, ac recreare cupientes, et specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia abrogatione, quatenus opus sit, revocationis, et abolitionis superius enarratae, quemadmodum auctoritate apostolica tenore praesentium eam penitus abrogamus, deinde verba illa omnia, quae in memoratis literis Nostris revocationem, et abolitionem praecedentium literarum respiciunt, de una, et sola sexta voce regiminis, quam tunc abstulimus, et nunc quoque ablatam volumus (sicuti nunc harum serie ablatam pariter volumus alternativam praedictam utpote ob easdem rationes inutilem factam) esse intelligenda, atque ad hujusmodi vocem, seu vocis ablationem tantummodo referenda, ita ut unio, et incorporatio monachorum Parmensium cum Romana provincia Cistercensi eodem plane modo, ac per memoratum praedecessorem de tribus monasteriis, per Nos vero de quatuor praescripta fuit, jugiter perseverare, firmiterque vigere debeat, omnesque, et singuli dicti monachi perinde ac Romanae provinciae professi semper reputari, semperque cunctis, et singulis juribus, privilegiis, gratiis, atque indultis in Romana provincia haberi, et gauderi solitis indiscriminatim cum reliquis Romanae ipsius provinciae monachis uti, frui, et gaudere, nec non ad munera, et officia quaecumque, si qualitatibus per constitutiones requisitis polleant, et alias canonice eligantur, eligi, et renun-

ciari, eaque assequi, ac per tempus a constitutionibus praefinitum illis fungi libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praesentis declaramus, statuimus, atque praecipimus, salva, servataque in caeteris forma, et dispositione literarum tum praedecessoris, tum Nostrarum, de quibus supra meminimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 5. Quocirca dilecto filio Nostro Julio Mariae S. R. E. presbytero cardinali de Somalia nuncupato praedicti ordinis protectori, de cujus prudentia, et fide, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ut pro debita harum literarum executione, et effectu eas publicet, seu publicari faciat, atque omnia in eisdem contenta adamussim observari curet, et studeat; Nos enim illi quamcumque necessariam, et opportunam ad id facultatem supradictis auctoritate, et tenore tribuimus, ac impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis actoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae, et monasteriorum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava aprilis mellesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXVI.

Dat. die 7 maii 1806. Anno VII.

Beatificatio ven. servi Dei Francisci de Hieronymo sacerdotis professi Societatis Jesu.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Laudes venerabilis servi Dei.

§. 1. Quae nova semper a Domino instaurantur exempla virtutum, haec fere omnia simul in uno Dei servo Francisco de Hieronymo renovata videmus. Ipse namque coelestibus benedictionibus praeventus puer cum ab ineptiis et nugis prorsus abhorrebat, tum in templis, et oratoriis frequens erat devotas ad Deum preces effundens. Perspectis autem ejus supra aetatem virtutibus, vix duodennis in quorumdam evangelicorum operariorum contubernium est admissus, atque inter eos tantam modestiam cum tanta morum severitate, ingeniique felicitate conjunctam praesetulit, ut non modo fuerit cognomine angelus appellatus, sed adhuc etiam adolescens in catechizando suae patriae Grottolearum populo adhibitus. Mox vero Neapolim profectus literis impensius operam dedit, et in sacro, civilique jure cognoscendo ita est diligenter versatus, ut non multo post publicos honores, lauream que fuerit consequutus; atque interim de virtute in virtutem progrediens, per inferiores ordinum gradus ad presbyteratum ascenderit. Deinde eadem in

urbe eo tempore Societatem Jesu ingressus evangelicae perfectionis iter tanto animi fervore suscepit, et peregit, ut cum plurimorum sanctorum virorum, tum maxime sibi cognominum praecipuas virtutes, et charismata habuisse vulgo diceretur. Sanctum vero Franciscum Xaverium peculiarem missionum suarum constituerat patronum, ac sibimet exemplum, ad quod se prorsus fingeret, quem ita in omnibus aemulatus est, ut Xaverius ipse Franciscus in Francisco de Hieronymo revixisse videretur. Martyrii desiderio aestuans, superiores vehementer, ac saepius rogabat suos, ut eum ad afferendum evangelicae veritatis lumen efferatis quibusque gentibus in Indias dimitterent. Neapoli tamen retentus, atque sacris missionibus, aliisque spiritualibus hujusmodi officiis addictus, licet debili corporis valetudine uteretur, mirum sane quot labores quadraginta annorum spatio, quo hisce apostolicis muneribus sine intermissione functus est, pertulerit, quot civium odia restinxerit, quot homines ad bonam frugem, quotque mulieres ad honestatem, ac etiam regularis vitae perfectionem intra Gynecaeorum claustra amplectendam adduxerit. Cursu demum consummato, fideque servata, ad sibi repositam in coelis coronam accipiendam laetus evolavit annos quatuor natus supra septuaginta.

Judicium de ejus virtutibus latum a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Quoniam autem, tot tantarumque servi Dei virtutum exempla, quae maximam coaevis utilitatem attulerant, praesentis quoque, et futurorum aetatum hominibus prodesse possunt; Nos, qui ex divina dispositione Dominico gregi, meritis quamquam, viribusque impares, praesidemus, apostolicae servitutis Nostrae esse ducimus tanti viri honorem, et venerationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere ad majorem Dei gloriam, et fidelium omnium incitamentum, eorum in primis, qui ad Domini vineam excolendam fuerint vocati. Atque eo libentius in hanc sententiam devenimus, quod speramus fore, ut hic Dei servus debitis sibi honoribus affectus in terris peroptatam pacem et tranquillitatem universo christiano populo impetret in coelis. Cum itaque mature diligenterque discussis et perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Franciscum de Hieronymo sacerdotem professum tunc temporis Societatis Jesu multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita et patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur.

Beatificatio.

§. 3. Hinc est, quod Nos piis atque enixis totius congregationis Societatis Jesu, et nominatim presbyteri Alphonsi Muzzarelli hujus causae postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de supradictae congregationis consilio et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut idem servus Dei Franciscus de Hieronymo in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die xi mensis maii recitetur officium, et missa de communi confessorum non pontificum, cum orationibus a Nobis adprobatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio missae, et officii proprii.

§. 4. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus in iis locis dumtaxat, in quibus congregatio Societatis Jesu auctoritate apostolica restituta reperiatur, nec non in civitatibus, et dioecesibus Tarentina, et Neapolitana, in quarum prima servus Dei natus est, in altera vero ipse praefata die xi. maii decessit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quoad missas etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis

hisce literis inchoando in ecclesiis congregationis Societatis, civitatum, et dioecesum antedictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinariis respective constituenda, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem xi. sequentis maii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda maii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

IN FESTO

B. FRANCISCI DE HIERONYMO

Sacerdotis professi
Societatis Jesu

Oratio

Preces recitandae in festo ejusdem beati

§. 6. Deus, qui beatum Franciscum, ad animarum salutem, eximium verbi tui praeconem effecisti; ejus nobis intercessione concede, ut legis tuae mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exequamur. Per Dominum etc.

Secreta

Munera, Domine, quae de tua bonitate suscepimus pro beati Francisci commemoratione devote tibi offerimus, suppliciter deprecantes, ut bona etiam opera de tua clementia suscipiamus, quibus justitiam tuam placare possimus. Per Dominum etc.

Postcommunio

Mensae tuae, Domine, salutare mysterium, beato Francisco confessore tuo intercedente, corda Nostra purificet; ut nihil in nobis quod punias, sed quod coronare possis invenias. Per Dominum etc.

DECRETUM

NEAPOLITANA

Approbatio dictarum orationum.

§. 7. Sanctissimus Dominus Noster Pius VII. pont. max. humillime supplicante *Rev. sacerdote d. Alphonso ex comitibus Muzzarelli* poenitentiariae apostolicae theologo postulatore causae beati Francisci de Hieronymo sacerdotis professi *Societatis Jesu*, referente R. P. D. Hieronymo Napulionio fidei promotore, suprascriptas *orationes proprias* ab eminentissimo et reverendissimo domino *card. de Somalia* Sanctitatis Suae in urbe vicario, sacrorumque rituum congregationi praefecto, et a praedicto promotore fidei revisas in die solemnis beatificationis ipsius beati Francisci de Hieronymo, necnon subinde ab iis, quibus ex literis apostolicis in forma brevis de eadem beatificatione peragenda expediendis jus recitandi officium, et missam in ejusdem beati honorem datum erit, legi posse benigne idulsit; quibuscumque in contrarium non obstantibus. Die 26. aprilis 1806.

Julius Maria card. de Somalia.
S. R. C. praefectus

Loco ✠ Sigilli

J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Dat. die 9 maii 1806 anno VII.

CCCCXXVII.

Provisiones susceptae super forma servanda in electionibus dignitatum, et canonicorum in ecclesia cathedrali Minoricensi.

Pius Episcopus

Ad perpetuam rei memoriam.

Memoratur erectio facta a Pio VI. anno MDCCXCV.

§. 1. Alias felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster per suas sub plumbo expeditas literas decimo kalendas augusti anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo quinto ecclesiam cathedralem in Minoricensi insula, et sedem episcopalem pro uno episcopo Minoricensi nuncupando, una cum suo capitulo ad formam aliarum episcopalium ecclesiarum in Hispaniarum regnis existentium erexit.

Exponitur quomodo in literis pro erectione huiusconsultum fuerit provisioni praebendarum.

§. 2. Et in praefati Pii praedecessoris literis ea inter alia praescripta dignoscuntur, quae ad provisionem canonicatuum et archipresbyteralis, magistralis, poenitentiariae et doctoralis respective praebendarum, in eorum et earum respective vacationum eventibus servanda erunt his verbis videlicet « Ac praeterea quoties cantoratum, ac primodictum, et primodictam archipresbyteralem, ac secundodictum, et secundodictam magistralem, ac tertiodictum, et tertio dictam poenitentiariam, ac quatuordictum, et quatuordictam doctoralem, aliosque canonicatus, et officii, et gratiae, ut praefertur, respective nuncupandas praebendas per Nos, ut praefertur erectum, et erectos, ac erectas, in quatuor anni mensibus ordinario loci reservatis respective vacare contigerit, quod illius, et illorum, ac illarum respective provisiones ad futurum, et pro tempore existentem episcopum Minoricensem spectet; quo vero ad praedictos tres canonicatus archipresbyteralem, ac magistralem, et poenitentiariam nuncupandas praebendas, si illi in mensibus Sedi apostolicae reservatis vacaverint; quod post habitum ab eodem ordinario loci, ad formam decretorum concilii Tridentini concursum trium personarum magis idonearum in dicto concursu approbatarum elenchus, primo dicto Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus catholicis pro tempore existentibus praedictis sit transmittendus, ad hoc, ut ab eodem Carolo rege, ejusque successoribus hujusmodi, una ex iis vigore infrascriptae reservationis queat seligi, quodque reliquorum pariter canonicatuum, et officii nuncupandarum praebendarum per Nos, ut praefertur, erectorum, et erectarum quovis tempore vacaturorum, et vacaturarum, respective provisiones per contentionem aut publicum concursum intra modum stricti juris coram pro tempore existente episcopo Minoricensi, dictaeque cathedralis per Nos, ut praefertur, erectae dignitates pro tempore obtinentibus, et canonicis habendum, et juxta leges, mores, aut consuetudines aliarum cathedralium ecclesiarum in Hispaniarum regnis hujusmodi existentium fieri debeant apostolica auctoritate praefata declaramus.

Exponuntur dubia suborta super executione harum literarum.

§. 3. Cumque in praesentiarum dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna apud Nos, et apostolicam Sedem charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici plenipotentiarius administer, ipsius Caroli regis nomine Nobis significaverit, quod supranarratae dispositiones, tam episcopum quam dignitates, et canonicos ejusdem cathedralis ecclesiae in varias adduxit dubitationes. An scilicet in vacatione canonicatus cum praebenda archipresbyterali, cui cura dilectorum filiorum ejusdem ecclesiae parochianorum imminet animarum, quaeque praevio consueto examine erit providenda, contentio, sive concursus hujusmodi in apostolicae Sedis mensibus cum interventu, assistentia, et voto capituli pro consuetudine, et electione approbatorum, eidem Carolo regi, suisque successoribus praesentandorum, haberi debeat, vel tantum coram episcopo, suisque synodalibus examinatoribus, concursus hujusmodi sit habiturus, prout in provisione aliorum beneficiorum cum cura animarum expleatur, et episcopo tantum pertineat electio trium personarum ex approbatis magis idonearum quarum elenchus catholico regi transmittatur, idque ad formam

consuetudinis tam archiepiscopalis ecclesiae Toletanae, quam aliarum ecclesiarum episcopalium in Hispaniarum regnis existentium in provisione beneficiorum cum cura animarum habita semper juri, et superioribus ordinibus debita relatione. Itemque an eveniente vacatione praebendarum, officii nuncupatarum, in iis mensibus, in quibus libere episcopo collatio pertinet, concursus hujusmodi sit explendus cum canonicorum assistentia, et quatenus haec ab eis sit praestanda, quae et cujus generis assistentia hujusmodi esse debeat: ac demum an in concursibus pro praebendarum hujusmodi officii provisione habendis, dum eorum vacatio in mensibus Sedis apostolicae eveniat canonici ipsi eorum suffragia conferre valeant in consultationem regi catholico exhibendam, vel si episcopus habita relatione votorum, et aliarum circumstantiarum, quae majorem concurrentium idoneitatem respiciant, ipse solus consultationem eamdem explere debeat; idcirco idem eques Antonius administer regio quoque nomine, preces detulit Nobis ad tollendam omnem dubitationum ambiguitatem literas ejusdem Pii praedecessoris in hac parte declarare, sive novam in hisce rebus methodum praescribere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratur quomodo sit procedendum in concursibus edendis pro concedenda provisione vacantium praebendarum.

§. 4. Ne itaque tam episcopo, quam canonicis cathedralis ecclesiae Minoricensis, in explendis concursibus hujusmodi, ullus quaestioni locus relinquatur, decernendo pronunciamus, et pronunciando decernimus, quod eveniente vacatione canonicatus cum archipresbyterali nuncupata praebenda cathedralis ecclesiae Minoricensis in quocumque anni tempore illius provisio, praevio concursu juxta concilii Tridentini praescriptum, ac servatis ordinibus circa similia vigentibus, modoque, et forma adhiberi solita in provisionibus aliorum beneficiorum cum cura animarum in insula Minoricensi, habeatur. Vacantibus autem canonicatibus officii cum magistrali poenitentiaria, et doctorali respectivis praebendis quolibet pariter mense, praevio etiam concursu ad terminos justitiae, ab eodem episcopo cum voto dignitatum, et canonicorum eligantur, servatis reliquis omnibus, quae de jure, usu, et consuetudine in ecclesiis regnorum Hispaniarum observantur, ac salvo item ejusdem regis jure nominandi, salvisque pariter iis, quae in nuperrimo concordato inter felicis recordationis Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum ex una, et clarae memoriae Ferdinandum Hispaniarum regem catholicum ex altera partibus inito praescripta dignoscuntur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernimus propterea Nostras hasce literas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praefatis literis ejusdem Pii praedecessoris Nostri, aliisque licet expressa mentione dignis, nec non praedictae ecclesiae Minoricensis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis: quibus omnibus, et singulis, tenore praesentium ad praemissorum validissimum effectum, specialiter, et expresse derogamus.

Sanctio poenalis

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, pronunciationis, mandati, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, septimo idus maii, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXVIII.

Dat. die 20 maii 1806 anno VII.

Electio ministri generalis ordinis minorum s. Francisci de observantia in regno Hispaniarum existentis juxta reservationes factas in literis ad rem latis die xv. maii MDCCCIV.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur narrationes decretae in literis die xv. maii 1804.

§. 1. Inter caetera, quae in apostolicis Nostris literis die xv. maii anno MDCCCIV. datis, quarum initium est « *Inter graviores curas, ac sollicitudines* » a Nobis constituta sunt, ut regularium ordinum, ac praesertim earum ipsorum ordinum partium, quae in dominiis carissimo in Christo filio Nostro Carolo IV. Hispaniarum regi catholico subjectis existunt, stabili conservationi difficillimis hisce dictorum ordinum temporibus consuleremus, atque ita uberrimos illos fructus Ecclesiae assereremus, qui ab ipsis ordinibus percipiuntur, illud etiam sancitum fuit quoad generalium, vicariorum item generalium, aliorumque infra eos majorum superiorum electiones (quas prima ab iis literis datis vice, attentis praesentis temporis circumstantiis, haud fieri posse sentiebamus ea ratione, quae in iisdem apostolicis literis praescripta est) ut in iis ordinibus, qui praesidem generalem haberent, is suo munere fungi pergeret, usque dum absolveretur tempus, quod ordinis sui legibus praestitutum est; ac si qui summo magisterio fungebatur, natione Hispanus esset, fieret a Nobis electio tum vicarii generalis, tum coeterorum superiorum majorum ordinis extra Hispaniam existentis; si vero summus ordinis magister Hispanus esset, a Nobis vicarius generalis, caeterique superiores majores Hispani constituerentur pro prima dumtaxat vice a datis illis literis.

Tenor electionis.

§. 2. Quamobrem iisdem inhaerentes, quum Nobis de honestate morum, integritate vitae, prudentia, pietate, zelo, doctrina, caeterisque laudabilibus virtutum meritis constet, quibus commendatur dilectus filius Hilarius a Monte Magno ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum ad praesens commissarius generalis, eumdem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in ministrum generalem praedicti sui ordinis eligimus, constituimus, et deputamus. Nobis interim reservantes electiones ad caetera majora munera ejusdem ordinis infra eum posita; atque ut idem minister generalis omnibus, et singulis juribus, facultatibus, praeeminentiis, auctoritate, gratiis, indultis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, ac in praedicti sui ordinis statutis pro dicto officio praescriptis frui, et gaudere libere, et licite possit, et valeat, ac debeat, motu, et potestate similibus volumus, et declaramus.

Praeceptum de obediendo novo superiori.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis, omnibus, et singulis dicti ordinis provincialibus, guardianis, aliisque superioribus, nec non professoribus, et personis, caeterisque ad quos spectat, et in futurum spectabit, ut ipsum Hilarium in ministrum generalem, ut supra deputatum, in hoc munere, illiusque libero exercitio juxta tenorem praesentium recipiant, et admittant, eique in omnibus ad munera hujusmodi pertinentibus, et quomodolibet spectantibus prompte pareant, et obediant, faveant, et assistant, ejusque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter edimpleri procurent. In hoc autem munere a Nobis ut supra constitutus, eo fungetur per totum illud tempus, quod in praesentibus Nostris literis die xv. maii anno MDCCCIV. datis constitutum est; nisi ad longius tempus statuendum gravibus intercedentibus causis apostolica Sedes moveatur, ut in iisdem literis sancitum est.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere,

ac dicto Hilario plenissime suffragari: sicque in praemissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S.R.E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima maii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXIX.

Dat. die 28 maii 1806 anno VII.

Confirmatio regularum habendarum pro administratione operae piae nuncupatae « *del ponte Metauro*, *e dello Spedaletto* « civitatis Fanensis.

Venerabili fratri episcopo Fanensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem

Exponitur quo modo pia opera visitatoribus apostolicis supposita fuerint, et ab actibus visitae regulae fuerint postea depromptae a peculiari congregatione.

§. 1. Super opera pia, quae vulgari sub nomine del ponte Metauro, e dello Spedaletto in civitate Nostra Fanensi fundata existunt, bo. me. Ignatium S. R. E. dum viveret presbyterum cardinalem Busca nuncupatum pridem certis sub facultatibus, et instructionibus in Nostro chirographo die prima junii, anni millesimi octingentesimi tertii expressis in apostolicum visitatorem edito deputavimus: eique vix post incoeptam visitationem vita sua functo in eorumdem operum convisitatores substituimus ven. fratrem episcopum Tiberiadis vicarium, et dilectum filium magistrum cognominatum Benigni gubernatorem civitatis praedictae. Acta autem, quae in visitatione hujusmodi gesta ab his sunt examinanda commisimus peculiari congregationi magistrorum votantium signaturae Nostrae justitiae, qui oneri per Nos sibi injuncto sat bene fecerunt, formamque regulae habendae pro utiliori dictorum operum administratione explanarunt modo, et tenore, ut sequitur «

Piano umiliato alla Santità di Nostro Signore dalla congregazione deputata sulla amministrazione, ed erogazione delle rendite delle opere pie di Fano, denominate del ponte Metauro, e dello Spedaletto.

Tenor regularum.

§. 2. L'amministrazione di tutti i beni delle opere pie del ponte Metauro, e dello Spedaletto rimarrà stabilmente presso la comunità di Fano, ed il di lei consiglio generale.

De administratione bonorum de electione administratorum, eorumque munere.

§. 3. Sarà questa esercitata da tre amministratori da nominarsi dal pubblico consiglio per voti segreti tra li consiglieri, probi, ed attualmente esercenti. Il loro ufficio dure-

rà per triennio, trascorso il quale due saranno rinnovati, ed il terzo rimarrà in carica, e così in appresso si praticherà di triennio in triennio. Ciascun' amministratore eletto dovrà prestare una idonea fidejussione da approvarsi dal consiglio, e conseguirà un'annuo onorario di scudi trentasei, esclusa ogni regalia.

De congregatione deputatorum.

§. 4. La congregazione dei tre deputati delibererà, sopra tutte le operazioni concernenti l'amministrazione delle opere pie distribuendo il dettaglio esecutivo, come crederà meglio a varj suoi membri li quali poi dovranno dare conto alla piena congregazione.

De ministro agrario.

§. 5. Assumerà la congregazione un ministro, o fattore per l'azienda di campagna, e così pure un'esattore, ed un computista, diversi sempre da quelli, li quali prestano l'opera loro alla comunità. A ciascuno dei sopradetti ministri assegnerà un ragionevole stipendio da approvarsi dal consiglio.

De erogatione redituum.

§. 6. Il denaro, che si ricaverà sia dalla vendita dei prodotti, e dalle pensioni delle case, sia da qualunque altro ramo di rendita, dovrà al momento depositarsi al monte di Pietà di Fano, donde non potrà essere estratto se non per mezzo di ordini firmati dai tre deputati (quando alcuno non sia legittimamente impedito), e dal computista, per essere poi erogato nelle cause, che si diranno in appresso.

De ratiociniis, et ratiocinatoribus.

§. 7. La congregazione provvederà che la scrittura sia posta in regola, ed in seguito ritenuta con un metodo semplice, ma esatto, ed accurato a forma di quanto progettarono li periti computisti eletti dalla visita dei monsignori vicario, e governatore di Fano, che si eseguiscano ovvero si prosieguano li moltiplici già ordinati per l'estinzione dei debiti, la quale debba aver luogo nel più ristretto tempo possibile; che si eseguiscano i bonifici della campagna, e si accresca particolarmente l' industria del bestiame a tenore di quanto hanno rimarcato i periti deputati dai sopradetti monsignori visitatori, invigilando insieme, perchè si pratichi costantemente una buona, ed esatta coltivazione; che le pigioni delle case si vadino aumentando ad un saggio ragionevole.

De jurisdictione episcopi

§. 8. Monsignor vescovo pro tempore di Fano non solo, come ordinario, ma inoltre come specialmente delegato apostolico a quest'effetto, avrà il diritto tanto in occasione di sagra visita, quanto in ogni altra circostanza, che crederà conveniente di sindacare lo stato, ed esaminare li conti dell' amministrazione; li libri della quale insieme colle corrispondenti giustificazioni dovranno per ciò a lui esibirsi. Potrà ancora far riconoscere lo stato de'fondi, ed inquirere sull'esatta erogazione delle rendite per prevenire così, o per togliere qualunque abuso, che in appresso potesse insorgere.

De implemento onerum.

§. 9. Le rendite insieme cumulate dell' opere pie saranno erogate nella seguente maniera.

I.

Si darà ogn'anno la metà in natura dei frutti de'beni donati da donna Gaudiana ai padri Conventuali di Fano, siccome si è praticato per lo addietro, senza alcuna innovazione.

II.

De satisfactione missarum.

§. 10. Soddisferanno esattamente le messe, le doti, e le altre opere pie, volute da testatori Onofri, e Cantarini.

III.

De deposito lignaminum ferri, et pecuniae quotidie ervando.

§. 11. Si formerà, e riterrà un magazzeno di legnami, e di ferri, e tutt'altro a giudizio della congregazione, necessario ai lavori del ponte, il qual magazzeno dovrà rimaner sempre egualmente fornito; e così pure nel monte della pietà di Fano si riterrà costantemente a parte un deposito di scudi cinquecento per qualunque improvisa urgenza, la quale esigesse straordinaria riparazione.

IV.

De manutentione pontis, et ecclesiae.

§. 12. S'impiegheranno annualmente le somme occorrenti all'ordinaria manutenzione del ponte, ed al mantenimento della chiesa dedicata alla beatissima Vergine del ponte medesimo.

V.

De praestatione praebenda rectoribus sanctae Crucis.

§. 13. Li tre deputati coll'intelligenza dell'ordinario concorderanno coi rettori di santa Croce di Fano la prestazione di una certa annua somma coll'obbligo di ritenere nel loro ospedale li quattro letti voluti da donna Gaudiana, ed inoltre in luogo dell'ospedaletto qualche altro letto a giudizio de' deputati medesimi, e dell'ordinario, rimanendo con ciò a questo rapporto libere le opere pie da qualunque peso ulteriore. Saranno a preferenza di qualunque altro ricevute in què primi quattro letti le persone contemplate da donna Gaudiana, cioè li pellegrini, li mercatanti, ed altri poveri, e così pure ne' letti aggiunti l'infermi contagiosi. Siccome però è ben raro il caso di simili infermi, così in difetto di essi, e degli altri sopradetti indistintamente in tutti i letti si riceveranno li poveri, specialmente contadini.

VI.

De subministratione facienda communitati.

§. 14. Alla communità di Fano si somministreranno scudi quattrocento da erogarsi nei stipendj de' pubblici salariati, come si è fatto per lo addietro.

VII.

De dimissione aeris alieni.

§. 15. Sarà destinata una conveniente porzione di rendite per li pagamenti de'frutti, e per l'estinzione delle sorti de'debiti a forma di quanto prescrivono li respettivi beneplaciti apostolici. Altra parte s'impiegherà a giudizio de' deputati nei bonifici di campagna, nelle riparazioni delle case, e nell'acquisto dei bestiami, tanto opportuni per aumentare le rendite.

VIII.

De erogatione residuorum.

§. 16. Dei sopravanzi la congregazione dei tre deputati sarà in arbitrio di ripartire ogni anno coll'intesa de'parrochi, nella vigilia del s. Natale, ai poveri un'annua somma di scudi cento, o di proseguire l'elemosina delle farine in un'eguale valuta, e nelle medesime circostanze.

IX.

De substentatione piarum institutionum.

§. 17. Gli ulteriori sopravanzi potranno impiegarsi nel soccorrere sia con generi grezzi le pie istituzioni già esistenti in Fano, cioè le case delle orfane, degli orfani, il conservatorio delle bastarde, la casa delle manifatture di s. Rocco, secondo ciò che crederà espediente la congregazione, e che verrà poi dall'ordinario approvato nelle sue revisioni.

Confirmatio apostolica.

§. 18. Ut itaque praeinserta hic forma regulae (seu piano) quam Nos in omnibus, et per omnia probamus optatum sortiatur effectum, Nos fraternitatem tuam specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, te, futurosque tuos pro tempore successores per tempus Nostro, et apostolicae Sedis placito duraturum auctoritate apostolica tenore praesentium in praedictorum operum piorum delegatos apostolicos nominamus, facimus, et constituimus, tuaeque, et successorum cura, ac zelo, ut ea quae in praeinserta forma, seu piano continentur cuncta adamussim adimpleantur injungimus, et commendamus, ac tibi, et successoribus facultates omnes, et singulas, quae ad sedulam, rectamque memoratae regulae executionem tibi, eisque opus fuerit plenarie tribuimus, atque impertimur.

§. 19. Decernentes easdem has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi et successoribus tuis in praemissis plenissime suffragari, atque ab omnibus ad quos spectat, ac spectabit, pro tempore inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et

inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 20. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die ix maii MDCCCVI. pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 6 junii 1806 anno VII.

CCCCXXX.

Commutatio officiorum pro dioecesi Cordubensi ne unquam officia ritus duplicis omittantur ob concurrentiam aliorum festorum,

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum. §. 1. Cum sicut venerabilis frater Petrus Antonius episcopus Cordubensis Nobis nuper exponi fecit, ipse nulla unquam officia ritus duplicis in sua dioecesi ob aliorum festorum concurrentiam omitti posse plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo Sacrorum Rituum congregationis secretario; ut in universa dioecesi Cordubensi, quando circa anni finem desint dies feriales, aut festi simplicis pro reponendis officiis ritus duplicis translatis, ea officia translata reponi valeant in diebus impeditis officio ritus semiduplicis, redactis pro eo anno officiis ritus semiduplicis ad gradum simplicis, cum commemoratione in missa, laudibus, et utrisque vesperis, ac nona lectione historica de sancto, qui locum cedet, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum §. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae dioecesis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta junii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 6 junii 1806 anno VII.

CCCXXXI.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione sancti Joannis erecti in ecclesia collegiata terrae Serviliani Firmanae dioecesis, et applicatio bonorum in applicationem sacrarii ejusdem collegiatae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris archiepiscopi Firmani in spiritualibus generali.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Procemium.

§. 1. Pastoralis officii Nostri debitum exposcit, ut Nos ad ea per quae collegiatarum ecclesiarum quarumlibet, quae ob passas temporum vicissitudines aliqua detrimenta pati comperiuntur necessitatibus opportune consulitur libenter intendamus ex his, quae ad mala hujusmodi facienda magis apta expedire videantur favorabiliter annuere non dedignemur.

Expositio precum.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum capituli et canonicorum saecularis et insignis collegiatae ecclesiae sancti Marci oppidi Serviliani, Firmanae dioecesis expositio continebat, quod cum sacrarium dictae collegiatae ecclesiae licet annuam summam triginta scutorum monetae Romanae pro sua dotatione habeat constitutam, quae quidem alias pro eo quod illud tunc sacris suppellectilibus et vasis etiam argenteis, linteis, aliisque ad divinum cultum satis superque instructum reperiebatur, satis erat pro illius manutentione sufficiens, ad praesens tamen ob communes calamitates retractorum temporum, ac depopulationes quibus illarum partium oppida atque loca, et praesertim oppidum primo dictum respective fuerunt obnoxia, et quarum causa dictum sacrarium praemissis omnibus ad rem divinam pertinentibus penitus despoliatum extitit ad supplendum expensis pro illarum sarcitione ac renovatione occurrentibus penitus impos omnino evasisse dignoscaturum. Cumma hujusmodi gravibus quibus modo subest oneribus haud respondeat, ac capitulum et canonici praefati ex suarum praebendarum fructibus, redditibus, et proventibus modici quidem valoris praemissis ejusdem sacrarii indigentiis occurrere teneantur; secus vero perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare, vel sub invocatione sanctorum Joannis et Joannae in praefatae collegiata ecclesia per obitum Philippi Rossi apud Sedem apostolicam defuncti, aut alias certo alio modo vacaverit et vacet ad praesens, hujusmodi beneficii vacatio opportunam eisdem exponentibus praebuit occasionem, certamque spem ut urgentibus praefati sacrarii necessitatibus praedictis aliqua in parte possit provideri. Si itaque sicut eadem expositio subjungebat praefatum beneficium perpetuo ut infra supprimeretur, et extingueretur, illoque sic suppresso et extincto omnia, et singula illius bona, jura, fructus, redditus, proventus, obventiones, emolumenta quaecumque praedicto sacrario itidem perpetuo, ut infra, applicarentur, et appropriarentur, aliaque infrascripta per Nos ac Sedem apostolicam pariter ut infra fierent, et ordinarentur ex hoc profecto sacrarium ipsum illius redditibus adauctis propriea manutentioni prospicere possit, atque providere; unaque simul relevamen aliquod capitulo et canonicatibus praedictis tribueretur. Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes praedicti, quatenus eis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vocatis qui fuerit ad id vocandi beneficium praedictum cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus etiam non deductis illius oneribus ducatorum auri de camera, et juliorum quatuor monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur,

non excedunt, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam dicti defuncti, vel cujusvis resignationem de illo in dicta curia, vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, dictumque beneficium dispositioni apostolicae specialiter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de caetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illo quovis modo disponi nullatenus unquam possit, et si illud ullo unquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illo quomodolibet disponi contigerit, collationes, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium, et sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et extinguas, illoque sic suppresso et extincto omnia et singula dicti beneficii, sic, ut praefertur, suppressi et extincti bona, loca, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, et emolumenta quaecumque, ita quod liceat praedictis exponentibus, ut praefertur, modernis et pro tempore exercentibus capitulo et canonicis dictae collegiatae ecclesiae per se, vel alium, seu alios ejusdem sacrarii nomine omnium et singulorum praefati beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditutuum, proventuum, et emolumentorum praefatorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, jura, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, omnesque, et singulos illius fructus, redditus, et proventus praedictos quomodolibet, et undecumque provenientes, et in quacumque re consistentes percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per praedictos exponentes, ut praefertur, modernos et pro tempore existentes dictae collegiatae ecclesiae capitulum et canonicos praedictis, aliisque omnibus et singulis dicti beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti oneribus, residuales illius fructus, redditus, et proventus in augumentum reddituum sacrarij praedicti in sarcitionem, ac renovationem sacrarum suppellectilium, aliorumque ad divinum cultum pernecessariorum, aliosque ejusdem sacrarii usus et utilitatem convertere, et erogare, dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari apostolica auctoritate Nostra earumdem tenore praesentium applices et appropries.

Clausulae salutares et irritantes.

§. 4. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, et appropriationem hujusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis pro tempore factis et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes capitulum et canonicos dictae collegiatae ecclesiae quandocumque eligentes concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios judicari et definiri debere, irritumque decernimus et inane,

si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vi junii MDCCCVI. pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXII.

Dat. die 16 junii 1806. Anno VII.

Concessio officii duplicis secundae classis in solemnitate sanctissimi Rosarii, et duplicis primae classis in festo sanctorum martyrum Dionysii, et sociorum pro dioecesi Cordubensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater Petrus Antonius episcopus Cordubensis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad augendam in Deiparam, et sanctos martyres Dionysium, et socios devotionem eorumdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo Sacrorum Rituum congregationis secretario, ut in cathedrali ecclesia Cordubensi officium duplex secundae classis in solemnitate sanctissimi Rosarii, duplex vero minus in festo sanctorum martyrum Dionysii, et sociorum recitari libere, et licite possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cathedralis ecclesiae consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis,

approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta junii, millesimo septingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 17 junii 1806 anno VII.

CCCCXXXIII.

Confirmatio privilegiorum concessorum magistratui, et hominibus terrae di Calvi Narniensis dioecesis, praesertim super celebratione nundinarum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus, et homines terrae di Calvi Narniensis dioecesis, quod cum in dicta terra per octo dies continuos, die octava maji incipiendo, nundinae, vulgo *Fiera Franca* cum variis privilegiis ab immemorabili haberi consueverint, privilegiorum hujusmodi adprobationem, et confirmationem, ac etiam, quatenus opus fuisset, novam concessionem, a recolendae memoriae Pio pp. VI. praedecessore Nostro obtinuerunt, prout ex ejusdem praedecessoris in simili forma brevis die xx martii MDCCLXXXIX. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in ipsa expositione additum erat easdem nundinas cum iisdem privilegiis die quinta ejusdem mensis, in qua festum sancti Pii pp. V. praedecessoris etiam Nostri ibi solemniter celebratur, utpote de ipsa terra specialiter benemeriti, incipi posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut nundinae, et privilegia a memorato Pio VI. praedecessore renovata, quae ut praefertur, die viii maii incipi consueverant, in posterum die v. ejusdem mensis incipiantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, atque tres hosce alios praecedentes dies ad consuetum nundinarum octiduum in perpetuum adjungimus, et adjicimus, servata in reliquis dictarum Pii praedecessoris literarum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis, quae in dictis literis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima junii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 17 junii 1806 anno VII.

CCCCXXXIV.

Confirmatio transactionis initae inter canonicos numerarios, et supranumerarios ecclesiae cathedralis Anconae, et nova erectio praebendarum in eadem ecclesia cathedrali.

Venerabili fratri Francisco Xaverio archiepiscopo Larissensi episcopalis ecclesiae Anconitanae administratori auctoritate apostolica deputato.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem

Proemium.

§. 1. Quae ad pacem sunt, conjunctionemque animorum, iis potissimum, qui unum corpus in domo Dei divinis celebrandis laudibus consecratum efficiunt, eos semper laetiores suscipimus, quo validius eorum corda per apostolicas gratias unitatis nexibus constringantur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici tam numerarii, quam supranumerarii ecclesiae cathedralis Anconitanae,se postquam de variis quaestionum capitibus diu, multumque apud congregationem Sacrorum Rituum disceptassent, felicem tandem omnibus contentionibus finem posuisse, inita inter se sponte concordia in quinque et viginti articulos distributa, quos inter illud praecipue statutum fuit, ut ad augendum decus cathedralis ecclesiae, numerumque simul presbyterorum civitatis Anconae super bonis haereditatis bo: me: Andreae Fiorentini tertia fieret erectio clericorum beneficiatorum, qui nomen altaristarum, seu choralium ferant, et sub certis modo, et forma ibi expressis perpetuo cathedralis servitio mancipentur. Nunc autem, ut per Nos approbetur concordia praedicta, et facultas impertiatur canonice deveniendi ad erectionem recensitam, summopere exponentes desiderant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant.

Confirmatio transactionis remittitur prudenti arbitrio episcopi.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum,harum serie absolventes,et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de dilecti filii Nostri Julii Mariae S. R. E. presbyteri cardinalis de Somalia nuncupati dictae congregationis Sacrorum Rituum praefecti, ad quem supplicem libellum Nobis porrectum remisimus, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, concordiam, seu transactionem vel conventionem praememoratam, inspectis prius inspiciendis, auditisque etiam, qui audiendi in hoc fuerint, auctoritate Nostra apostolica approbes, atque confirmes, prout a canonicis tam numerariis, quam supranumerariis subscripta fuit, omnesque, ac singulos sive facti, sive juris defectus, si qui in ea quomodolibet intervenerint, suppleas, et sanes.

De erectione novorum beneficiorum.

§. 4. Deinde tot beneficia ecclesiastica, quot juxta concordiam sunt erigenda, pro totidem clericis, seu presbyteris futuris, cum nuncupatione, et loco chori, oneribus quoque, et stipendiis in eadem concordia enunciatis, atque praefixis, eadem auctoritate erigas in perpetuum, atque instituas; tunc pro beneficiorum hujusmodi dote haereditatem defuncti Andreae Fiorentini massae capitulari sine alicujus praejudicio applices, et adjicias, ejusque testamento die xii. maii MDCCLXXVII. conscripto, quatenus, et quantum necesse sit, specialiter deroges; ita nimirum, ut post obitum ejus uxoris haeredis usufructuariae vice missarum, quam impletis aliis oneribus dicto testamento praescriptis ex redditibus super extantibus celebrantibus celebrandae fuissent cum eleemosyna manuali, beneficiati, qui sacerdotes jam erunt, vel per aetatem evadent, singulis diebus festis, quavis dispensatione sublata, missam celebrare debeant in altari privilegiato juxta mentem pii fundatoris, cui etiam suffragari debeant illae, quae in cathedrali ecclesia pro piis benefactoribus celebrantur: firmis remanentibus ceteris oneribus, quae re-

spiciunt aedificium templi, et aedium pro cappellano in fundis loci dicti Ronzano, aedificii illius restaurationes, sacram supellectilem cum tabula picta initio comparandam pensionem annuam scutatorum centum cappellano solvendam, et aliis quibuscumque, quae in eodem testamento praescripta sunt: hoc etiam addito, ut si forte redditus hæreditarii praescripti pares non sint hujusmodi implendis oneribus, simulque annuis praestationibus pro singulis beneficiatis a capitulo statutis, ipsummet capitulum aere proprio teneatur rependere, quod desit, ad formam a capitulo ipso in propositae erectionis tabulis susceptae. Ceterum Nos, si, et postquam dicta beneficia per te, ut praefertur, erecta, dictique clerici beneficiati canonice instituti fuerint, beneficiatis hujusmodi, ut tam in choro, et ecclesia, quam in processionibus, aliisque functionibus sacris almutiam, quae tamen illa, qua canonici supranumerarii decorati jam sunt, inferior esse debeat, gestare, libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate praedicta concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et spectabit pro tempore plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis actoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus felicis record. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri, super divisione materiarum, ac Nostrae, et cancellariae apostolicae regula de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum valore, nec non concilii Lateranensis novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas, nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, dictaeque cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima septima junii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXV.

Dat. die 20 junii 1806 Anno VII.

Nominatio superiorum ordinis sancti Francisci de Paula minorum, suspensa celebratione capituli generalis, et electione collegae Hispanici volita a literis ad rem latis a Clemente VIII.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Ratio, et tenor nominationis.

§. 1. Tot, tantaeque sunt praesentium temporum vicissitudines, ut comitia generalia fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minorum nuncupatorum juxta ipsius ordinis statuta auctoritate apostolica confirmata convocari minime queant. Hac igitur de causa adducti, Nos paulo ante dilectum filium Bartholomaeum Tombolini in vicarium ipsius ordinis generalem eligimus. Cum autem alia quoque munia, et officia dictis generalibus comitiis ad formam earumdem fuissent distribuenda; Nos de idoneis religiosis viris pro muneribus hujusmodi pariter providere volentes, ac de infrascriptorum fratrum prudentia, vigilantia, et religionis zelo valde in Domino confisi, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et in-

terdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectos filios Paulum Masi lectorem jubilatum, sacrumque concionatorem in procuratorem generalem, nec non Franciscum Mariam Imbardelli lectorem itidem jubilatum in Italiae, itemque Carolum Martin in Galliae generales collegas, suspensa justis de causis remanente tertii Hispanici collegae hujusmodi generalis electione, quae etiam ex ipsius ordinis statutis, et felicis recordationis Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri constitutione facienda esset, constituimus, et deputamus ad id temporis spatium, quo memoratus vicarius generalis per Nos fuit electus, cum omnibus, et singulis juribus, facultatibus, privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, auctoritate, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis cuilibet ex dictis officiis respective adnexis; atque dictorum collegarum deliberationes, rite caeteroquin susceptas, perinde valere decernimus, ac si alterius collegae Hispanici deficientis suffragium ad eorum sententiam accepisset.

Praeceptum de obediendo

§. 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis omnibus, et singulis praesentibus ordinis superioribus, fratribus, et personis, ceterisque ad quos spectat, et spectabit, ut eosdem Paulum procuratorem generalem, Franciscum Mariam, et Carolum generales collegas in suis respective muneribus, illorumque libero exercitio juxta tenorem praesentium recipiant, et admittant, eisque prompte pareant, et obediant, faveant, et assistant. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, eisdemque procuratori generali, et collegis generalibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus dicti Clementis VIII. praedecessoris Nostri, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima junii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 25 junii 1806, anno VII.

CCCCXXXVI.

Dismembratio principatus Neufeatellensis, et Vallengiensis a subjectione episcopi Lausanensis, illiusque subjectio jurisdictioni episcopi Bisuntini.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Joannis Baptistae tituli sancti Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro, et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium Nostrum Neapoleonem Galliarum imperatorem de latere legato salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Cum nomine charissimi in Christo filii Nostri Naapoleonis Gallorum imperatoris Nobis fuerit significatum, quod principatus Neufeatellensis, et Vallengiensis, intra limites regionum ejus imperiali dominio subjectarum ad praesens reperiantur, quodque sibi expediens videatur, si populi in principatuum hujusmodi districtu existentes a spirituali jurisdictione, et obedientia episcopi Lausanensis abdicentur, et ordinariae spirituali jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi Bisuntini supponantur, ad quem effectum suas preces idem imperator Nobis deferri curavit.

Tenor decreti dismembrationis, et respectivae unionis.

§. 2. Nos gravibus rerum, et temporum inspectis circumstantiis, alias supplicationibus hujusmodi annuendum censentes, tibi ut quando justis de causis ita expedire in Domino judicaveris, praevio consensu venerabilis fratris Nostri moderni episcopi, ac dilectorum filiorum capituli, et canonicorum cathedralis ecclesiae Lausanensis, integrum territorium spectans ad Neufeatellensem, et Vallengiensem respective principatus, modo in imperiali ejusdem Neapoleonis ditione, ut asseritur comprehensos, a praedicta Lausanensi dioecesi abdicare, sejungere, et separare, atque una cum suis utriusque sexus habitatoribus, incolis, tam laicis, quam ecclesiasticis, archiepiscopali ecclesiae, et dioecesi Bisuntinae apostolica auctoritate adjungere, et incorporare, atque omnimodae jurisdictioni, et superioritati moderni, et pro tempore existentis metropolitanae ecclesiae Bisuntinae praesulis, ita quod ei liceat per se, vel alium, seu alios ejus nomine territorii principatuum praedictorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere, perpetuo subiicere, atque supponere possis, et valeas vigore praesentium facultatem concedimus, atque impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernimus propterea abdicationem, et unionem praedictas, per te vigore praesentium, apostolica delegata auctoritate, ut praefertur, factas, semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, Nostrasque praesentes literas, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, in contrarium forsan facientibus, licet expressa mentione dignis, non obstantibus quibuscumque, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum quoque, et inane etiam decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, septimo kalendas julii, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 8 julii 1806 Anno VII.

CCCCXXXVII.

Concessio togae aureae gestandae a magistratu civitatis Recinetensis, ad instar magistratuum aliarum civitatum Viterbiensis, et Maceratensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Paterna Nostra sollicitudo erga Nostros, et Romanae apostolicae Sedis in temporalibus subditos, Nos movet, ut eorum votis quantum cum Domino possumus benigne annuamus, eosque specialibus gratiis, et favoribus libenter prosequamur.

Ratio, et tenor concessionis

§. 2. Cum itaque inter ceteras ditionis Nostrae ecclesiasticae civitates, civitas Recinetensis antiquitatis laude populique frequentia non mediocriter floreat, et constanti in Romanos pontifices, ac Sedem apostolicam fide emineat, magistratusque habeat in rebus publicis gerendis prudentia, et integritate praeditos, Nos qui civitatem ipsam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu singulari quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos filios senatum, seu magistratum civitatis hujusmodi Recinetensis aliquo beneficentiae Nostrae munere decorare, et ampliori honorificentiae praerogativa ornare volentes, ac eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensiones, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tempore in perpetuum existentem magistratum Recinetensem, ut togam auream in posterum ad instar magistratuum aliarum Nostrarum civitatum Viterbiensis, et Maceratensis publice gestare, illisque in publicis quibuscumque actibus, et functionibus uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse; ac irritum, et inane si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae Recinetensis civitatis, aliarumque status Nostri ecclesiastici civitatum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava julii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 8 augusti 1806 anno VII.

CCCCXXXVIII.

Applicatio bonorum cappellaniae fundatae a sacerdote Francisco Gentili in ecclesia parochiali de Castro sancti Liberati favore ejusdem ecclesiae parochialis, cum erectione duarum portionum curatarum pro duobus sacerdotibus opem parocho laturis.

Venerabili fratri
Episcopo Hortano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Fraternitatis tuae nomine expositum nuper est Nobis, te in magna versari sollicitudine animi, ne pars quaedam gregis tibi commissi viduitatem pastoris sui, quem novissime amisit, multo etiam diutius, quam quod deploravit, cogatur ingemere. Effluxisse enim duos annos, et ultra, ex quo vacavit parochialis ecclesia de Castro sancti Liberati Hortanae dioecesis, nec hominem, qui in novum illius rectorem constitueretur, inveniri hactenus potuisse, licet ite-

rum, ac tertio evulgata sint pro concursu habendo juxta morem edicta, aliaeque interim adhibitae diligentiae, ut vacatio tam longa optatum tandem sortiretur finem. At perperam tantum laboratum fuisse, neque ullam elucescere spem adversus eos, quas locus, et natura vacantis ecclesiae objiciunt difficultates: quandoquidem Castrum sancti Liberati coeli caret salubritate, et parochialis ejus ecclesia valde modicum affert parocho fructum, ita ut tum periculum valitudinis, tum exilitas congruae a cura, et labore paroeciae istius omnes aeque deterreat. Verum enim vero divina quadam factum est providentia, ut tanto malo commode nunc possit occurri: vita siquidem recens functus unicus, qui adesset in Castro presbyter nomine Franciscus Gentili suis de bonis testamento fundavit in ecclesia praedicta cappellaniam sat pinguem, relinquens jus ad eam nominandi ordinario pro tempore, imponensque onus cappellano, praeter quarumdam celebrationem missarum, non solum residendi in loco, et gerendi confessarii munus, sed etiam, ubi opus foret, adjuvandi parochum in administratione sacramentorum. Patet itaque pia fundatoris mens, luceque clarius patet nihil aliud eum tali in fundatione expectasse, et voluisse, quam spiritualis boni augmentum, majoremque paroeciae suae utilitatem. Sed quod majus bonum, ac quae major utilitas, quaeque magis ejus zelo, et pietati obsequetur, ac faveat, quam parochialem ecclesiam tamdiu veluti mortuam novae vitae restituere. Visum enim tibi est, posse novum illius parochum facile reperiri, nec alios unquam defecturos in posterum, si multo melior fiat ecclesiae parochialis conditio; quod quidem obtentum iri confidis, si nimirum auctoritate apostolica recensitae bona cappellaniae aliis parochialis ecclesiae bonis adjudicentur, duoque instituantur parochi portionarii, qui pro aequali parte dividant inter se onera, et honores, jura, et proventus ejusdem ecclesiae. Hoc namque modo minuitur labor, augetur fructus laboris, facileque propterea alliciuntur ad concurrendum presbyteri, quum bona cappellaniae, quae erigi deberet, reddant quotannis triplo plus forsan annuo reddítu parochialis ecclesiae. Quapropter humiliter Nobis supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, quibus maxime est cordi, ne ullibi desint fideli populo cura, et assistentia parochi, te in pastorali tuo zelo, quantum cum Domino possumus, adjuvare, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae facultates necessarias, et opportunas, quarum vigore auctoritate Nostra apostolica, vocatis ad id vocandis, et sine alicujus praejudicio, tam parochialem praedictam supprimere, quam bona memoratae cappellaniae ceteris bonis ejusdem parochialis perpetuo applicare, et unire, ac deinde in parochiali eadem ecclesia duas portiones curatas perpetuo pariter erigere, easque duobus presbyteris portionariis nuncupandis assignare (qui tamen portionarii ad formam semper a Tridentino concilio praescriptam, et juxta constitutionem a sanctae memoriae Pio pp. V. praedecessore Nostro editam, praevio synodali examine eligi, atque institui, et pro aequali parte earumdem portionum, tam oneribus, et laboribus subjacere, et missarum etiam numero per fundatorem cappellaniae praefixo satisfacere, quam juribus, et honoribus, nec non fructibus, redditibus, et proventibus quibuscumque uti, et gaudere debeant) libere, ac licite possis, ac valeas, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur. *Tenor concessionis.*

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris itidem Nostri super divisione materiarum, et regula cancellariae Nostrae apostolicae, tum de jure quaesito non tollendo, tum de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum eccle- *Derogatio contrariorum.*

siasticorum valore, ac Lateranensis quoque concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae parochialis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXIX.

Dat. die 16 augusti 1806 anno VII.

Exemptio monialium monasterii de Puritate Valentinae dioecesis ordinis s. Francisci a jurisdictione religiosorum ejusdem ordinis, earumque subjectio jurisdictioni episcopi dioecesani.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Procemium.

§. 1. Multa esse in religiosis ordinibus, quae licet initio salubriter instituta, salubriori tamen consilio oportuit deinceps aliter immutari, magistra rerum experientia saepenumero ostendit, providasque immutationes majori ipsis ordinibus emolumento cessisse multiplici exemplo probavit.

Expositio precum.

§. 2. Quum itaque, uti Nobis nuper expositum est, carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico videatur propter rationes, et causas sat fuse Nobis adductas conferre admodum posse ad ea praestanda remedia, quibus tam in spiritualibus, quam in temporalibus indigent nunc dilectae in Christo filiae moniales monasterii de Puritate ordinis s. Francisci Valentinae civitatis, si ipsae quemadmodum fratribus religiosis ejusdem ordinis hactenus subjectae fuere, ita per Nos jurisdictioni ordinarii pro tempore Valentini in posterum subiiciantur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos postulationibus nomine ipsius Caroli regis Nobis porrectis libenter hac in re satisfacere, et meliori earumdem monialium bono opportune consulere volentes, praedictas moniales, ac singulares earum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de cujus fide, prudentia,

et charitate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praedictum monasterium de Puritate istius civitatis, omnesque, et singulas ejus moniales praesentes, ac futuras a quacumque subjectione, et directione, gubernio, et regimine fratrum religiosorum sancti Francisci auctoritate Nostra apostolica eximas, illudque exemptum, ac eas pariter exemptas, et liberas omnino esse declares, atque decernas; monasterium, et moniales hujusmodi omnimodae, ac absolutae tui, tuorumque pro tempore successorum jurisdictioni perpetuo subijciendo: et fratribus memoratis nomine, et auctoritate Nostris inhibendo formaliter, ac posthac ulla prorsus in re sive spirituali, sive temporali, quae administrationem, et directionem dictarum monasterii et monialium quomodolibet eis adhuc usque commissas, attributasque respiciat, amplius se ingerere audeant, atque praesumant.

Declaratio super conservatione privilegiorum.

§. 4. Ceterum licet vigore praesentium moniales praedictae ab omni etiam spirituali jurisdictione religiosorum s. Francisci segregatae penitus sint, ac debeant esse, nihilominus tamen omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, favoribus, atque indultis, quae alias per apostolicam sanctam Sedem ordinis s. Francisci fratribus concessa jam sunt, seu etiam in posterum concedantur, libere, ac licite ipsas perfrui posse in omnibus, et per omnia, perinde ac si eidem ordini, ejusque fratribus ut prius unitae, et subjectae manerent, volumus, et declaramus.

Clausula sublatae, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et monasterio, et monialibus supradictis suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, ordinis, et provinciae fratrum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo

CCCCXL.

Dat. die 26 augusti 1806 anno VII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Crispini a Viterbio conversi ordinis minorum sancti Francisci.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes ven. servi Dei.

§. 1. Quae Dominus coeli, et terrae a mundi sapientibus, et prudentibus abscondit, revelat ea parvulis; quippe quia superbis semper resistit, humilibus vero dat gratiam. Iam vero in hujusmodi parvulorum numero Dei servus fuit Crispinus a Viterbio. Obscuro quidem ipse loco natus erat. Sed quamquam doctorum ope, literarumque subsidio careret, apprime tamen vel ab ineunte aetate percepit, odio sibi habendam animam suam in hoc mundo, ut in vitam aeternam custodiret eam. Quare juvenis factus, et ascensiones in corde suo disponens, ut inter fratres conversos ordinis minorum, quos Capuccinos vocant, admitteretur vehe-

menter petiit, et obtinuit. Acrius itaque certamen ingressus acriore se ipsum odio prosequebatur: ita, ut non modo jumentum se omnium vilissimum praedicaret, et haberet, verum etiam assiduis laboribus, et jejuniis, asperrimis ciliciis, et flagellis corpus castigaret suum, atque in servitutem redigeret, breve interea somnum super nuda bipalmaris latitudinis tabula carpens. Quo autem magis in se ipsum saeviebat, eo ferventiore in Deum flagrabat charitate, cui ita ex animo haerebat, ut ne hortos quidem fodiens, aut ostiatim mendicans a rebus divinis meditandis, et contemplandis distraheretur. Ex hoc autem miro in Deum amore mira in proximum charitas profluebat: quae tanta fuit, ut pater pauperum, afflictorum levamen, oppressorum refugium, ac etiam bonus missionarius vulgo appellaretur, et esset. Simplex, purus, rectus, Deiparae devotissimus, prophetiae dono, et miraculorum gratia clarus in bona tandem senectute eodem, quem praedixerat, die mortalitatem exuit, annum agens secundum supra octogesimum.

Judicium de ejus virtutibus, et miraculis ed item a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Quoniam vero tot, tantarumque servi Dei virtutum exempla, ex quibus multum utilitatis christiani ejusdem temporis percepere, praesentis quoque, et futurarum aetatum hominibus prodesse possunt; Nos, qui ex divina dispositione Dominico gregi, meritis licet, virtutibusque impares praesidemus, apostolicae servitutis Nostrae esse ducimus tanti viri honorem, et venerationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere cum ad majorem Dei gloriam, tum ad cunctorum fidelium incitamentum, eorum praesertim, qui, relictis omnibus, secuti sunt Redemptorem dominum. Cum itaque mature, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Crispinum a Viterbio ordinis minorum s. Francisci Capuccinorum nuncupatorum professorem multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem, ejusque sanctitatem hominibus manifestandam a Deo edita, et patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis quoque consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur.

Beatificatio.

§. 3. Quare Nos piis, enixisque totius memorati ordinis, et nominatim dilecti filii Bonifacii a Nicaea hujus causae postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de dictae congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem concedimus, et impertimur, ut idem Dei servus Crispinus a Viterbio beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae (non tamen in processionibus circumferendae) venerationi fidelium exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die xxiii. mensis maii recitetur officium, et missa de communi confessorum non pontificum cum orationibus propriis a Nobis adprobatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio officii, et missae propriae.

§. 4. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo minorum ordine Capuccinorum utriusque sexus, nec non in civitatibus, et dioecesibus Viterbiensi, et Urbevetana, in quarum prima natalem habuit, in altera vero per quadraginta fere annos est commoratus, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis incohando, et quoad Indias a die, quo eaedem literae illuc pervenerint, in ecclesiis ordinis, et dioecesium praedictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinariis respective constituenda, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint

eadem solemnia, pro qua re diem vii. sequentis septembris assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis. §. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

IN FESTO

B. CRISPINI CONFESSORIS

Oratio

Orationes recitandae in ejus festo. §. 6. Deus, qui beatum Crispinum confessorem tuum in laetitia tibi servientem ad virtutis apicem perduxisti; da quaesumus, ut ejus intercessione, et exemplo vias vitae sectantes in terris, torrente voluptatis tuae perfrui mereamur in coelis. Per Dominum etc.

Secreta

Da nobis quaesumus Domine, ut beati Crispini confessoris tui exemplo in simplicitate cordis nostri tibi offerentes universa, aeterna cum ipso gaudia laetantes assequamur. Per Dominum etc.

Postcommunio

Laetifica quaesumus Domine animas servorum tuorum, et quos alimentis coelestibus satiasti, ad delectationes, quae in dextera tua sunt, beati Crispini precibus pervenire concede. Per Dominum etc.

DECRETUM

NEAPOLITANA

§. 7. Sanctissimus Dominus Noster Pius VII. pont. max. humillime supplicante p. fr. Bonifacio a Nicaea definitore generali, et postulatore causarum servorum de ordinis minorum s. Francisci Capuccinorum, ac referente r. p. d. Hieronymo Napulionio s. fidei promotore, benigne indulsit, ut suprascriptae orationes propriae in honorem beati Crispini a Viterbio laici professi praedicti ordinis Capuccinorum ab eminentissimo, et reverendissimo domino card. de Somalia Sanctitatis Suae in urbe vicario, sacrorumque Rituum congregationi praefecto, et a r. p. d. s. fidei promotore praedicto revisas legi possint in missa celebranda in die beatificationis ejusdem beati, et subinde in officio, quod pariter cum missa recitari poterit ab iis, quibus per literas apostolicas in forma brevis de eadem beatificatione expediendas facultas illud recitandi data fuerit; quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus. Die 9. augusti 1806. Approbatio orationum.

Julius Maria card. de Somalia
S. R. C. praefectus

Loco ✠ Sigilli

J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Dat. die 26 augusti 1806 Anno VII.

CCCCXLI.

Commutatio confraternitatis sub titulo ss. Trinitatis, et B. M. V. de Rosario civitatis Bajensis in Brasilia in archiconfraternitatem sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni judex, majores domus, aliique deputati, seu officiales confraternitatis sub titulo sanctissimae Trinitatis, et Nostrae Dominae de Rosario in ecclesia ejusdem sanctissimae Trinitatis civitatis Bajensis in Brasilia, canonice, ut asseritur, erectae, quod ipsi rationabilibus de causis adducti, ejusdem confraternitatis titulum, et constitutiones adhuc servatas per Nos, et hanc sanctam Sedem in perpetuum supprimi, atque ipsam confraternitatem in confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub stricta invocatione tertii ordinis nuncupati sanctissimaeTrinitatis RedemptionisCaptivorumerigi juxta modum, et formam, quibus fel. rec. Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster, suppresso in perpetuum titulo, et subsistentia quorumdam confratrum tertiariorum tertii ordinis s. Francisci de Poenitentia in unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub invocatione ejusdem sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum in civitate Portugallensi erexit, et jurisdictioni localis ordinarii subjecit, additis quoque regulis pro hac confraternitate, confirmatisque ejus novis statutis, ac alias prout ex ipsius Benedicti praedecessoris desuper sub plumbo pridie idus maii MDCCLV. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati venerabili fratri episcopo Bajensi per praesentes committimus, et mandamus, ut constito sibi prius de confratrum consensu per secreta suffragia in generalibus eorum comitiis ferendo, consideratisque diligenter circumstantiis universis, quae fuerint attendendae,ac dummodo nullum oriatur scandalum, titulum, et praesentes constitutiones dictae confraternitatis Bajensis pro suo arbitrio, et prudentia supprimat, et aboleat in perpetuum, atque illico post hujusmodi suppressionem in confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub unica invocatione tertii ordinis nuncupati sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum ordinarii jurisdictioni subjectam in perpetuum erigat; ita tamen, ut confratres, et consorores extinctae hujusmodi confraternitatis, et successive taliter erectae annum probationis, seu novitiatus repetere minime teneantur, ac etiam servata (quantum fieri poterit, aut pro loci, et temporum ratione opus fuerit) memoratarum Benedicti praedecessoris literarum forma, et dispositione, etiam quoad exemptionem veteris peculiaris jurisdictionis, cui forsan confraternitas, ut supra, extincta, subjecta reperiebatur, et cum facultate quoque discedendi (quotiescumque id ratio postulaverit) seque in alium commodiorem locum ab ordinario approbandum transferendi, ac tandem cum reliquis omnibus, et singulis privilegiis, regulis, et statutis, quae a memorato Benedicto praedecessore in dictis suis literis pro dicta confraternitate Portugallensi concessa reperiuntur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici au-

ditores, ac S.R.E. cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum. §. 4. Ut autem dicta confraternitas Bajensis sic erecta suscipiat in dies majora virtutum incrementa, ipsiusque confratres, et consorores in piorum operum exercitio magis confoveantur, Nos de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus, et consororibus, in dicta confraternitate Bajensi adscriptis, et in posterum adscribendis omnes, et singulas indulgentias tam plenarias, quam partiales, aliasque spirituales gratias memoratae confraternitati Portugallensi ab eodem Benedicto praedecessore in dictis literis impertitas, dummodo injuncta pro illis consequendis rite adimpleverint, auctoritate praedicta, tenore praesentium perpetuo communicamus.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLII.

Dat. die 26 augusti 1806 anno VII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione s. Venerandae erecti in collegiata terrae s. Elpidii Firmanae dioecesis, et applicatio bonorum monasterio oblatarum ejusdem loci.

Dilectis in Christo filiabus religiosis oblatis congregationis sancti Francisci Salesii dioecesis Firmanae.

Pius PP. VII.

Dilectae in Christo filiae
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Procemium. §. 1. Religiosarum piarum mulierum domus, quae ob tenuitatem et insufficientiam redditaum, et onera praesertim pubblicarum scholarum quibus in puellis ad pietatem, et religionem formandis, ac familiarum munerum primordiis instituendis adstringuntur aliquo indigere videntur auxilio, exigunt a Nostri pastoralis officii debito, ut in earum necessitatibus opportune succurrantur, ac meliori, quo fieri possit medio, etiam per alicujus beneficii ecclesiastici applicationis fructuum ministerium a Nobis provideantur, ad hoc, ut religiosae ipsae ad id propositae ex hoc ministerio adjutae, tam piis et salutaribus earum instituti pietatis, et charitatis operibus commode vacare possint, prout ferventia animi Nostri postulant desideria.

Expositio precum. §. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum modernarum religiosarum mulierum oblatarum congregationis sancti Francisci Salesii nuncupatarum, in regulari domo Beatae Mariae Virginis ejusdem congregationis terrae sancti Elpidii ad Mare Firmanae dioecesis degentium expositio continebat, quod cum ipsae, quibus publicarum scholarum in dicta terra fundatarum pro puellis inibi ad pietatem, et religionem informandis, ac bonis, honestisque familiarum numerum primordiis, quae hujusmodi sexus propria sunt studiose instituendis cura commissa est, atque directio, attenta tenuitate reddituum, quibus praefata regularis domus dotata repe-

ritur ad summam quinquaginta scutorum monetae Romanae dumtaxat annuatim ascendentium in hujusmodi pii operis exercitio ulterius perseverare posse diffidant, nisi opportunum aliquid in urgentibus eorum necessitatibus consequantur subsidium, quo earum ulteriori manutentioni queant prospicere, propterea que plurimum cupiant eis per Nos, et Sedem apostolicam benigne, ut infra provideri. Si igitur sicut eadem expositio subjungebat perpetuum simplex, et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare, vel sub invocatione sanctae Venerandae in seculari, et forsan insigni collegiata ecclesia ejusdem terrae, quod per obitum quondam Vincentii Procaccini illius, dum viveret, ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti ad praesens vacat apostolica auctoritate perpetuo supprimeretur, et extingueretur, omniaque, et singula praefati beneficii, sic, ut praefertur, supprimendi, et extinguendi bona, jura, fructus, redditus, proventus, res, proprietates, et emolumenta quaecumque praefatae domui regulari perpetuo quoque applicarentur, aliaque per Nos, et Sedem praefatam, ut infra fierent, et ordinarentur ex hoc profecto magis congruae exponentium praefatarum substentationi aliqua in parte provideretur; ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes praefatae, quatenus ipsis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Committitur episcopo certis sub legibus suppressio beneficii.

§. 3. Nos igitur easdem exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non earum quemlibet a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint ad id vocandi beneficium praefatum, quod pro tempore obtinenti nonnullas missas quolibet anno in praefata collegiata ecclesia celebrandi, seu celebrari faciendi, aliaque adimplendi respectiva onera incumbunt, ac cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus non deductis illius oneribus septemdecim ducatorum auri de camera, et juliorum duorum monetae Romanae praedictae cum dimidio alterius julii similis, illis vero deductis decem ducatorum auri parium, et juliorum quinque monetae praedictae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Vincentii, vel cujusvis alterius de illo in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, dictumque beneficium dispositioni apostolicae, specialiter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de cetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri, impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, et si illud ullo unquam tempore conferri, aut impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant apostolica auctoritate praefata tenore praesentium, et sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas, et extinguas.

Bona suppressi beneficii conceditur domui religiosarum Oblatarum.

§. 4. Illisque sic suppressis, et extinctis omnia, et singula praedicti beneficii, ut praefertur suppressi, et extincti bona, jura, fructus, redditus, proventus, res, proprietates, et emolumenta quaecumque, praevia perpetua translatione onerum praefatarum missarum hactenus in praedicta collegiata ecclesia celebrari solitarum ad praedictae regularis domus ejusdem congrega-

tionis ecclesiam, ubi presbyter ab ipsis exponentibus deputandus praedictas missas dicto beneficio, ut praefertur inhaerentes pro fovenda cum majori commodo, et absque ullo impendio spirituali ipsarum devotione, ex nunc deinceps celebrare debebit eidem domui regulari, ita quod liceat praedictis exponentibus, ut praefertur, modernis, et pro tempore existentibus praedictae regularis domus religiosis mulieribus oblatis per se, vel alium, seu alios proprio, dictaeque regularis domus nomine omnium, et singulorum dicti beneficii patronorum suppressi, et extincti bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, et emolumentorum praedictorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta praedicta percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per eas praedictis missarum in praedicta earum ecclesia, ut praefertur, celebrandarum, aliisque dicti beneficii, ut praefertur, suppressi, et extincti oneribus in proprium cujuslibet earum manutentioni, dictaeque domus regularis hujusmodi subsidium convertere, et erogare dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate praedicta earumdem tenore praesentium perpetuo quoque applices, et appropries.

Confirmatio suppressionis, et applicationis ab episcopo faciendae. §. 5. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, appropriationem aliaque per te praesentium vigore fieri contigerit, ut praefertur easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis pro tempore factis et faciendis minime comprehendi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligendo concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 6. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, irritumque decernimus, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari

Derogatio contrariorum. §. 7. Nonobstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo valore beneficiorum ecclesiasticorum, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas non nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque collegiatae ecclesiae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque specialiter, et expresse serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam

Majorem sub annulo piscatoris die vigesimasexta augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo

---

Dat. die 5 septembris 1806 anno VII.

CCCCXLIII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Josephi Oriol Barcinonensis

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

De vita et moribus venerabilis servi Dei.

§. 1. Qui vere divites esse cupiunt veras eos divitias amare necesse est. Quoniam aut coelestia ex animo desiderari non possunt, nisi terrena despiciantur, Dei servus Joseph Oriol Barcinonensis adeo res fluxas, et caducas contempsit, ut ne domum sibi quidem ad habitandum ullo unquam tempore emere, aut conducere voluerit, sed in aliqua ex remotioribus cellulis apud alios manserit, quasi columba in summo foraminis ore nidificans. Singularis, vel a teneris annis fuit ejus vitae austeritas cum singulari morum integritate conjuncta. Presbyter autem factus, sacraeque theologiae lauream adeptus, puerorum institutoris officio in nobili familia fungebatur quando abstinentiam illam suscepit ita severam, ut pane tantum, et aqua uteretur, adito diebus festis quarumdam sylvestrium, inconditarumque herbarum obsonio: quod arduum jejunii genus ad mortem usque, per quinque scilicet et viginti annos constanter retinuit. Imo integram quadragesimam sola eucharistia refectus transegit. Unum ex residentialibus beneficiis ecclesiae sanctae Mariae Regum vulgo de Pinu in patria adsequutus, cum choralia, et capitularia sibi demandata munia diligentissime explevit, tum in sacris confessionibus excipiendis, sanctimonialium perfectione, et proximorum salute procurandis se indefessum exhibuit. Quiquid vero pecuniae sibi utcumque obveniret, in coelestes thesauros per manus pauperum nulla interposita mora, deportari jubebat. Quo autem ferventiore in dies charitate aestuabat, eo etiam vehementiore orandi studio incendebatur; ita ut e congressu, et collocutione cum Deo vix, ac intendum ne vix quidem dimoveri posse videretur, nefas esse ducens quidquam aliud praeter Deum, quaerere, aut praeter ejus gloriae incrementum optare. Religionis nostrae mysteria, non solum corde credidit ad justitiam, atque ore confessus est ad salutem, verum ea sanguine quoque suo signandi ita quidem cupidus, ut Romam iterum profectus fuerit eo sane animo, ut hinc et sanctae Sedi re mittendum praeberet ad barbaris gentibus evangelizandum. Ast in patriam Deipara monente, reversus, coram Deo et hominibus magis magisque claruit. Ex eo enim tempore non modo, ut antea, omni virtutum genere, sed curationum etiam gratia, rerum occultarum scientia, cordium perscrutatione, signorum dono, et prophetiae spiritu adeo coruscare caepit, ut ejus sanctitatis et miraculorum fama longe lateque volante, infirmos catervatim undique adcurrentes quotidie, ac statis etiam horis in sua ecclesia, in omnium ore, atque oculis sanaret.

De obitu ejusdem.

§. 2. Hisce igitur verissimis divitiis locupletatus Joseph in terris, ad sibi in coelis paratum regnum xi. kalendas februarias MDCCII. fuit evocatus, expleto primo, et quinquagesimo aetatis anno. Sed quando tot, tantarumque ejus virtutum exempla, hominibus quoque futurarum aetatum prodesse valent, Nos qui ex divina dispositione Dominico gregi, meritis licet imparibus, praesidemus, apostolicae servitutis Nostrae putamus, tanti viri honorem, et venerationem, quantum Nobis ex alto conceditur promovere cum ad majorem Dei gloriam, tum ad fidelium omnium incitamentum, eorum in primis, qui in sortem Domini vocati, atque caelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes in sacris templis quotidie concinunt.

Judicium de ejus virtutibus datum a sacra congregatione sacris ritibus praeposita.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus, tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus hunc Dei servum presbyterum beneficiarium mul-

tipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem, a Deo patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis visum esset, praedictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis, donec ad actum solemnis ejus canonizationis deveniatur.

Beatificatio. §. 3. Quare Nos piis, enixisque precibus venerabilis fratris episcopi, ac dilectorum filiorum capituli, et canonicorum ecclesiae cathedralis, itemque rectoris, et beneficiariorum ecclesiae sanctae Mariae Regum florentissimae civitatis Barcinonensis, et nominatim Philippi Belli hujus causae postulatoris supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de ejusdem congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut Dei servus Joseph Oriol in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die xxiii martii, seu alia per ordinarium constituenda recitetur officium, et missa de communi confessorum non pontificum cum orationibus propriis a Nobis adprobatis, juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio officii, et missae. §. 5. Recitationem autem officii, missaeque celebrationem hujusmodi fieri concedimus in civitate, et dioecesi Barcinonensi ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis incohando in dicta ecclesia sanctae Mariae Regum, in qua venerabile ejus corpus requiescit, solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinario pariter praefigenda, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia die xxi hujus mensis, celebrandi facimus potestatem, et quoad missas etiam omnibus sacerdotibus eo confluentibus.

Derogatio contrariorum, et §. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostoli-

cis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu secretarii dictae cardinalium congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta septembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo. fides habenda transumptis.

IN FESTO

B. JOSEPHI ORIOL CONFESSORIS

Oratio

Orationes in ejus festo recitandae. §. 7. Deus, qui beatum Josephum confessorem tuum mirabili abstinentiae dono, et curationum gratia decorasti: concede, ut a culpis abstinentes in terris, poenitentiae praemium assequamur in coelis. Per Dominum etc.

Secreta

Purifica, Domine, corda nostra, ut qua puritate beatus Josephus coelestem obtulit victimam, eadem nos offeramus. Per Dominum etc.

Postcommunio

Divinum tuum epulum, Domine, quod beato Josepho jejunanti temporale praebuit alimentum, aeternum Nobis, te miserante, largiatur. Per Dominum etc.

DECRETUM

BARCINONEN.

Approbatio orationum. §. 8. Suprascriptas orationes ab eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali De Somalia sanctissimi domini Nostri Pii VII. pont. max. in urbe vicario, sacrorumque rituum congregationi praefecto, cum r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei

promotore revisas, ipse sanctissimus dominus Noster humillime supplicante Philippo Belli postulatore causae beati Josephi Oriol presbyteri beneficiati ecclesiae parochialis sanctae Mariae de Pinu civitatis Barcinonis, me infrascripto secretario referente, in missa celebranda in honorem ipsius beati in solemniis ejus beatificationis, et subinde in officio cum missa in illius festo recitando juxta facultatem tribuendam per literas apostolicas in forma Brevis de eadem beatificatione peragenda expediendas legi posse benigne indulsit. Die vi. augusti 1806.

Julius Maria card. De Somalia
S. R. C. praefectus

Loco ✠ Sigilli

J. de Carpineo S. R. C. secretarius

CCCCXLIV.

Dat. die 9 Septembris 1806 anno VII.

Confirmatio conventionis initae inter monachos monasterii s Lucii ordinis Praemonstratensis civitatis Curiensis, et seminarium ejusdem civitatis super applicatione bonorum dicti monasterii in casu futurae suppressionis.

Venerabili fratri Fabritio archiepiscopo Berytensi Nostro, et apostolicae Sedis in Helvetia nuntio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum monachorum monasterii s. Lucii ordinis Praemonstratensis Curiensis civitatis, quod ipsi ad consulendum ecclesiae et monasterii ejusdem incolumitati, ne ullo unquam casu ad usus convertantur profanos, tum et ad prospiciendum congruae ipsorum substentationi, si forte contingat, ut in eodem ipso monasterio permanere amplius nequeant, quamdam inter se se, seu praelatos suos legitimos, ac rectorem seminarii Curiensis, venerabili fratre Curiense episcopo, vel ipso probante, inivere die xvii. januarii currentis anni conventionem, in qua sub reservatione beneplaciti apostolici id potissimum cautum est, ut adveniente casu, quo monasterium praedictum servari amplius nequeat, ejusdem bona omnia et jura cujuscumque generis perpetuo devolvantur ad supradictum Curiense seminarium, a quo assumatur onus praestandi monachis, qui actu ibidem reperientur, certam pensionem eorum vita naturali durante, illudque etiam expresse cautum fuit, ut isthaec ipsa conventio nullum omnino sortiatur effectum, nisi adveniente casu, quo reapse monasterii dispersio evidenter immineat, rebus interim in eodem statu manentibus, ipsis optantibus monachis, ut quantum per ipsos est, monasterium ita perpetuo consistat; cujus quidem dissolutionis necessitas superiorum ecclesiasticorum judicio declaranda reservata fuit. Nunc autem quo conventio hujusmodi validitatis, firmitatisque robur possit plenarium assequi, Nobis exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta relatione venerabilis fratris Dominici archiepiscopi Myrensis congregationis de Propaganda Fide secretarii, fraternitati tuae, per praesentes committimus, et mandamus; quatenus constito tibi de narratis, conventionem superius recensitam in omnibus et singulis suis articulis, et conditionibus auctoritate Nostra apostolica approbes atque confirmes, cunctosque sive juris, sive facti defectus, si quos desuper intervenisse contigerit, suppleas et sanes; ita tamen ut reservata intelli- Confirmatio conventionis remittitur arbitrio nuncii apostolici.

gatur tibi, tuisque dumtaxat isthic pro tempore successoribus nuntiis apostolicis, et non aliis quibuscumque, facultas judicandi et declarandi, an tempus venerit, quo dissolutio praedicta communitatis monachorum necessario facienda sit, et an factus sit propterea locus successioni seminarii Curiensis in ecclesiam, coenobium, et bona ipsius communitatis juxta conventionem praedictam: praeterea eidem fraternitati tuae ac tuis pro tempore successoribus nuntiis plenariam, et amplam potestatem concedendi praedictis monachis quaslibet facultates necessarias, et opportunas ad omnimodam memoratae conventionis executionem, nec non facultatem vivendi extra claustra in decenti clericorum saecularium habitu; salvis substantialibus votorum, et sub obedientia ordinarii etiam in vim eorum voti solemnis, atque obtinendi quoque ecclesiastica beneficia ac ea dummodo alias tamen canonice assequantur, in administrationem quoad vixerint retinendi, eorumque fructus, redditus, et proventus percipiendi, et ad suae congruae substentationis usus impendendi auctoritate praedicta nunc pro tunc facimus, tribuimus et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque omnibus ad quos spectat, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices, etiam auditores palatii apostolici judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit, etiam fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri, super divisione materiarum, tum et monasterii praedicti, ejusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona septembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLV.

Dat. die 9 Septembris 1806 anno VII.

Confirmatio unionis duarum confraternitatum sanctissimi Sacramenti, et B. M. V. de Gratia civitatis Lisbonensis.

Venerabili fratri
Patriarchae Lisbonensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem, et apostolicam
benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii officiales, atque sodales confraternitatum sanctissimi Sacramenti et Nostrae dominae de Gratia, quod confraternitates hujusmodi, quae canonice, sicut asserunt, erectae, existebant prius in patriachali ecclesia s. Bartholomaei civitatis Lisbonensis, post terraemotum anni 1755 translatae una cum parochiali ipsa ecclesia fuerunt in locum quae isthic vocant b. Antonii, ubi manent ad praesens. Sed quum locus iste esset suburbium distans a frequentia populi, necesse fuit ob defectum sodalium duas istas confraternitates simul uniri; in qua quidem unione, quae rite, ut inquiunt, facta est ex licentiis debitis, illud praesertim conven-

tum invicem fuit, ut quae onera inerant antea confraternitati de Gratia, omnia et singula adimplerentur in posterum per eam de Sacramento. Nunc autem quo isthaec unio solidiori stabilitate firmetur, nec ulla unquam dissentiendi aut jurgandi adversus eam oriatur occasio, approbari per Nos et confirmari, quae ambas inter confraternitates gesta et statuta sunt, tum etiam decerni, ut quemadmodum confraternitas Sacramenti onera fert confraternitatis Gratiae, ita et gaudeat bonis, quae confraternitati huic sunt propria, plurimum exponentes desiderant; Nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicæ.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratis, et quatenus majori praedictarum confraternitatum bono id fore cessurum in Domino judicaveris, auctoritate Nostra apostolica pro tua conscientia gratis earumdem unionem approbes, conventionemque super recensitis oneribus initam confirmes, atque his sic approbatis, et confirmatis perpetuae firmitudinis robur adjicias, omnesque, ac singulos, si qui desuper intercidere, sive facti, sive juris defectus sanes, et suppleas, nec non auditis interesse habentibus, iisque post deliberationem per consueta suffragia capiendam plene consentientibus, cuncta, et singula bona, jura, et actiones ad confraternitatem Nostrae Domine de Gratia, huc usque spectantia confraternitati sanctissimi Sacramenti applices, atque adjudices, eaque deinde in perpetuum ad hanc eamdem confraternitatem spectare debere eadem auctoritate decernas, atque declares.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictarum confraternitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLVI.

Dat. die 9 Septembris 1806. Anno VII.

Permutatio nonnullarum ecclesiarum parochialium in civitate Aquipendiensi.

Venerabili fratri
Episcopo Aquipendiensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecit Nobis dilectus filius promotor fiscalis curiae ecclesiasticae Aquipendiensis, quod ipse, ut necessitatibus parochialis ecclesiae sancti Petri Aquipendiensis civitatis ea, qua satius posset, ratione occurreret, facultatem suspendendi ad biennium novam ejus, dum vacasset, provisionem impetravit a Nobis sub certis modo, et forma, prout ex rescripto Nostro, cujus tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus plenius dicitur contineri. Nunc autem biennium hujusmodi prope jam est, ut expiret, sed licet interea temporis plene fuerit satisfactum conditionibus, quae in rescripto erant injunctae, illud tamen, quo vota spectabant, adhuc desideratur, nulli prope usui populo ecclesia manente, quippe quae sua foeditate loci eum arcet potius quam vocet, nec parochialis ipsa domus, cui contiguus supereminet collis, propter humidam aeris gravitatem, potest sine discrimine habitari: hinc ne fideles, qui istam paroeciam incolunt, spirituali assistentia debita fraudentur, egit ipse cum dilectis filiis capitulo, et canonicis ecclesiae cathe-

-dralis, qui ecclesiam sancti Antonii cathedralis filialem habentes non modo intra parochiales suos limites positam, sed parum quoque a sancti Petri ecclesia dissitam, haud difficulter sunt exponentis propositioni assentiti, nimirum ut parochiales functiones ecclesiae sancti Petri exerceantur in ecclesia sancti Antonii, ita tamen, ut sancti Petri paroecia incorporetur paroeciae ecclesiae cathedralis, in cujus veluti centro illa consistit, illiusque administrationem parochus cathedralis suscipiat, ac gerat per duos cappellanos curatos, his pro aequali uniuscujusque congrua assignato redditu paroeciae sancti Petri, sed imposito simul onere interveniendi choro alternatim, ut solent canonici, quando animarum cura impedimento eis non sit, quominus intervenire valeant. Hoc sane modo commode rectissimeque prospicitur parochiali sancti Petri, ubi non plus, quam centum circiter animae numerantur, et decus augetur cathedrali ecclesiae, quae cappellanorum choralium defectu laborat, nec locus demum timori relinquitur, ne forte cappellani curati facile inveniantur, quum congrua eis adsignata, eam, quae pro canonicis constituta est, exaequet, et fortassis etiam exsuperet. Verum enim vero ecclesia sancti Antonii multis supellectilibus indiget, ut parochialibus parata esse queat functionibus, quae in ea debent protinus exerceri, sumptibusque ad id necessariis cappellanus imparem esse se noscit; sed utendo fructibus vacantis parochialis sancti Petri, cuncta poterunt intra alterum biennium sat bene suppleri. Haec Nobis exponens supplicari humiliter fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur facultas commutandi ecclesias injunctis nonnullis conditionibus

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis praefecti congregationis Concilii, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et accedente consensu capituli, et parochi ecclesiae cathedralis, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia ad enunciatam unionem devenias juxta petita, et functiones, etiam parochiales, ceteraque onera ecclesiae sancti Petri adnexa, ad sancti Antonii ecclesiam transferas, injuncto cappellanis curatis ad formam sacri concilii Tridentini instituendis alternativo onere applicationis missae pro populo omnibus diebus festis, etiam novissime reductis, et interessendi choro in ecclesia cathedrali ad instar canonicorum, quoties pro exercitio muneris parochialis actu non fuerint impediti, ita tamen, ut omnes dictae paroeciae redditus iisdem cappellanis pro rata aequali inter eos dividendi assignari debeant, qui praeterea illa omnia missarum, aliaque onera paroeciae adnexa implere teneantur; suspensa interim ad aliud biennium ad formam precis provisione ejusdem paroeciae sancti Petri, et executione unionis praedictae ad effectum erogandi redditus in causam desuper expressam; ita tamen, ut tam oeconomus durante suspensione praedicta, quam cappellani parochiales ea cessata, de praemissorum implemento coram te, aut ordinario pro tempore docere teneantur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis ac fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, nec non dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum teno-

res praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die nona septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12Septembris 1806 Anno VII.

CCCCXLVII.

Beneficium sub titulo sancti Michaelis Archangeli erectum in ecclesia metropolitana Firmana de jurepatronatu familiae Sinigardi commutatur in pium legatum.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Butta Sinigardi patritius, ut asserit, istius Firmanae civitatis, quod cum per spontaneam ultimi possessoris dimissionem vacaverit, et vacet adhuc unum simplex ecclesiasticum sub titulo sancti Michaelis Archangeli in ecclesia ejusdem sancti Archangeli prius erectum, ac successive ad istam metropolitanam ecclesiam translatum, cujus beneficii nonnullam personalem residentiam requirentis, est ipse Vincentius unicus patronus, cumque, ut pariter asserit, tot, tantisque cum sua familia prematur indigentiis, ut nulla alia ratione sublevari possit, nisi ut ipsi ejusque descendentibus per Nos, et hanc apostolicam Sedem concedatur dicti beneficii administratio, etiam in statu saeculari, ideoque ipsum beneficium ad simplex legatum pium reduci posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, ac diligenter perpensis circumstantiis universis, quae fuerint attendendae, super quo conscientiam tuam oneramus, ut beneficium ecclesiasticum hujusmodi sub titulo sancti Michaelis, ut praefertur erectum in simplicem legatum pium durante ejusdem Vincentii lineis masculina, et foeminina dumtaxat auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia convertas, et immutes cum expressis hisce conditionibus.

Conditiones adjectae concessioni.

§. 3. Prima, ut legatum hujusmodi pium a domino Vincentio ad sui vitam, et successive, ab uno alio ex ejus descendentibus masculis ex masculis in infinitum in administrationem pariter obtineri, et retineri in quocumque statu, etiam conjugali, ac etiamsi in habitu saeculari incedant, et castra sequantur, atque dicti legati pii fructus, redditus, et proventus quoscumque percipi, exigi, et levari, ac in suos respective usus converti per administratorem pro tempore existentem libere, et licite possint; soluta tamen annua praestatuta pensione dicti beneficii resignatario, aliisque pensionibus, si quae fuerint rite impositae, vel imposterum imponendae. Secunda, deficiente masculina domini Vincentii linea ad alios masculos suae foemininae lineae hujusmodi legati administratio transeat pariter in infinitum, et cum iisdem legibus. Tertia, si inter masculos hujusmodi aliquis ecclesiasticae militiae adscriptus fuerit hic caeteris paribus sit aliis praeferendus in administrationis ipsius assentione consequenda. Quarta, onera quaecumque eidem beneficio ex lege fundationis adnexa ipse pro tempore existens ad-

ministrator adimpleri omnino faciat, ac de hujusmodi adimplemento rationem ordinario annuatim, vel saltem tempore visitationis reddat, dictique legati pii bona diligenter custodiat, quae semper inalienabilia, ut bona ecclesiastica remaneant. Quinta, utraque tandem domini Vincentii linea deficiente masculina, et foeminina, tunc legatum pium hujusmodi in pristinum beneficium ecclesiasticum ipso facto rediisse censeatur per Romanos pontifices successores Nostros in mensibus apostolicis conferendum; in reliquis vero per ordinarium.

Clausulae sublatae et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. recor. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in omnibus provisionibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti Benedicti fundationis legibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLVIII.

Dat. die 13 septembris 1806 anno VII.

Confirmatio duorum decretorum latorum a cardinali protectore fratrum ordinis de Poenitentia super extinctione hospitii oblatorum heremitarum prope portam Angelicam de urbe, et applicatione bonorum ejusdem hospitii.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pastoralis Nostra sollicitudo postulat, ut quae ex Nostra mente praesertim constituta sunt, ea perpetuo, immutabiliterque serventur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni minister generalis, aliique superiores fratrum ordinis de Poenitentia nuncupatorum quod infrascriptus apud Nos, et Sedem apostolicam protector cardinalis dudum edidit decretum sequentis tenoris, videlicet.

Innicus Didacus tituli s. Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Caracciolo, ecclesiae hospitiique heremitarum sanctae Mariae Gratiarum de urbe apud sanctam Sedem protector, atque ad infrascripta a sanctissimo Domino Nostro specialiter deputatus.

Tenor decreti editi a cardinali protectore

§. 3. Cum sanctissimus dominus Noster Pius papa septimus accepisset, collegiales individuos hospitii oblatorum heremitarum nuncupatorum sanctae Mariae Gratiarum prope portam Angelicam de urbe, ita esse numero imminutos, ut vix duo ibi remaneant aetate graves, et habitualibus corporis infirmitatibus obnoxii, quin ulla spes amplius effulgeat fore, ut regularis disciplina, et ea omnia, quae a sanctae mem. Sixto papa V. in suis apostolicis tertio kalendas junii 1587 expeditis literis constituta sunt, per ipsos heremitas observentur, idem sanctissimus ulteriores sibi provisiones desuper suscipiendas reservans, vivae suae vocis oraculo facultates omnes nobis tribuere dignatus est ad effectum deveniendi ad omnimodam, et totalem ipsius collegii heremitorialis abolitionem. Nos itaque hujusmodi facultatibus utendo, me-

moratum heremitarum collegium per praesens nostrum decretum supprimimus in perpetuum, extinguimus, et abolemus: ita tamen, ut praedicti duo frater Josephus Merolli, et frater Laurentius Chiesa superstites heremitae in eodem hospitio manere, ac degere possint pro nostro, ac nostrorum in protectoria successorum arbitrio, et juxta leges, ac conditiones per nos constituendas, ac quomodolibet, et quandocumque etiam immutandas, prout magis expedire nobis, ac successoribus nostris visum fuerit, et cum illis conditionibus, quas eidem sanctissimo statuere placuerit. Sic igitur decernimus, et statuimus. Pro quorum omnium adimplemento eadem Sanctitas Sua non obstare voluit laudatas Sixti V. literas, et quidquid in contrarium praemissorum reperiatur sancitum, aut quomodolibet concessum. Datum Romae ex aedibus nostris hac die 18 maii 1806.

I. D. Card. Caracciolo protect. ac a sanctissimo domino Nostro specialiter deputatus

Petrus Baldassari secretarius

Loco ✠ signi

Tenor alterius decreti.

§. 4. Postero autem die aliud quoque decretum edidit, quod (praemissis pariter iisdem suis supra expressis nomine, et titulis) fuit sequentis tenoris, scilicet.

Aboleto jam, et in perpetuum suppresso heremitarum collegio santae Mariae Gratiarum prope portam Angelicam de urbe, prout fusius ex nostro desuper decreto externa die emanato, ac diligenter consideratis precibus, quae sanctissimo domino Nostro Pio pp. VII. jam a die prima superioris martii fuerant oblatae a superioribus fratrum ordinis de Poenitentia nuncupatorum petentibus, ut sibi ecclesia santae Mariae Gratiarum concederetur, consideratis, inquimus, precibus hujusmodi nobis ab eodem sanctissimo benigniter remissis cum facultatibus necessariis, et opportunis. Nos iisdem, et aliis vivae suae vocis oraculo tributis facultatibus utendo, eamdem ecclesiam cum suis adjacentibus aedibus, horto, domo, seu hospitio, et pertinentiis universis dicto fratrum ordini in perpetuum concedimus, et assignamus cum hisce legibus, et conditionibus, videlicet « 1°. Saltem intra proximum triennium tot fratrum numerus ibi collocetur, quot ex constitutionibus apostolicis requiruntur ad conventualitatem regularem constituendam, ibique fixetur ministri generalis ordinis residentia, atque in conventum dicta domus erigatur. 2.° Omnes, et singulae sacrae functiones, quae in dicta ecclesia ante heremitarum suppressionem celebrari consueverant, in posterum quoque celebrentur eodem prorsus numero, et modo per dictos fratres, quin tamen omittantur aliae peculiares, quae fuerint ex eorum instituto celebrandae, itemque missarum legata, hospitationes exterorum heremitarum ad triduum redactae, et alia quaecumque onera, sive ex lege fundationis, sive alias quomodolibet praescripta, ac praedictae ecclesiae et hospitio, ac collegio praedictorum heremitarum jam suppresso adnexa, et imposita inviolabiliter, ut antea, expleantur, et serventur. 3.° Duobus superstitibus heremitis fratri Josepho Merolli, et fratri Laurentio Chiesa victus, vestitus, et habitatio in dictis aedibus subministrentur in omnibus juxta modum, formam, ac leges per Nos, et successores Nostros constituendas; qui veluti dicti fratres oblati induti habitu ejusdem coloris cum reliquis religiosis ibidem degere possint ad vitam pro Nostro tamen, et successorum Nostrorum arbitrio, cum lege tamen expressa, ut sub perfecta obedientia communis superioris domus, seu conventus maneant, ac piam et religiosam vitam degant, observantes veteres eorum constitutiones in iis, quae ad communes actus non spectant. 4.° Quoniam vero pro praemissorum onerum adimplemento, ac manutentione dictorum duorum fratrum heremitarum, ac receptione in hospitium omnium heremitarum ad urbem adventantium per triduum observanda, ac ecclesiae manutentione, et satisfactione onerum eidem inhaerentium stabiles, et perpetui redditus requiruntur, et ex alia parte dicti fratres paupertatem strictissimam ex eorum instituto observare teneantur, idcirco omnia, et singula bona cujuscumque generis et speciei tam mobilia, quam stabilia, ac

semoventia, quae ad dictum extinctum hospitium quomodolibet spectabant, excepto tantummodo horto eidem ecclesiae, et domui adnexo, quem dictis fratribus concedimus, subjectum tamen omnibus et singulis supraexpressis oneribus, et quibuscumque hypotecis quomodolibet horto adhaerentibus, atque impositis, cetera autem omnia bona, ut supra, tamquam fundum separatum constituentes, pro omnium, et singulorum praedictorum onerum adimplemento, et perpetua satisfactione adsignamus, atque adjudicamus juxta modum, et leges per nos, et successores nostros pro rerum ac temporum varietate constituendas, ac immutandas, ita tamen ut desuper serventur omnia et singula, quae per apostolicas constitutiones pro fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia, et pro reformatis praescripta reperiuntur, ac nomine s. Sedis bona hujusmodi possideantur, eorumque administratio fiat per probum ac fidelem virum a dicti conventus superioribus eligendum singulis annis, aut confirmandum, et a nobis, ac pro tempore existente cardinale protectore adprobandum, qui administrator *syndacus* appelletur, ac nobis, nostrisque in dicta protectoria successoribus rationem suae administrationis annuatim reddat, ac etiam pluries in anno, si ita protectori videbitur, servetque pariter quid quid de hisce per dicti ordinis constitutiones, et regulas fuerit statutum; reservata nobis, ac nostris successoribus facultate, et arbitrio, ut si quid ex redditibus ac proventibus cujuscumque generis ex bonis, ut supra, in fundum assignatis, ac constitutis supererit post adimplementum omnium et singulorum praemissorum onerum, id converti vel erogari possit vel in utilitatem ejusdem ecclesiae, vel in eleemosynas favore dictorum fratrum, prout magis placuerit, ac in Domino expedire per nos, et successores nostros visum fuerit. V. Per praesentem custodum dictae ecclesiae immutationem, immutari, vel imminui non intendimus nostram, et successorum cardinalium protectorum dictae ecclesiae, et domus, seu conventus auctoritatem, quae semper sarta, tecta, illaesa, et integra remaneat, etiamsi praedictus ordo alium suum peculiarem protectorem cardinalem habeat: ideoque nobis, et successoribus nostris ipsi dicti conventus fratres quolibet anno constare faciant, ac etiam quando nobis, ac successoribus nostris videbitur, de exacto adimplemento tam missarum, quam reliquorum omnium onerum sub poenis nostro, et protectoris pro tempore existentis arbitrio praefigendis, et subeundis. Haec omnia, et singula ita statuimus, et decernimus, atque in perpetuum servari ex apostolica nobis delegata auctoritate jubemus. Datum Romae ex aedibus nostris hac die 19. mensis maii 1806.

I. D. cardinalis Caracciolo protect. ac a santissimo Nostro domino specialiter deputatus.

Petrus Baldassari secretarius

Loco ✠ Signi

§. 5. Quo autem, sicut in eadem expositione additum erat, praeinserta decreta firmius subsistant, et serventur exactius, dicti fratres omnia per Nos confirmari summopere desiderant. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eadem ambo praeinserta decreta una cum omnibus, et singulis in utroque eorum contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque juris, et facti, ac solemnitatum defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Confirmatio apostolica.

§. 6. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis fratribus, aliisque ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac Clausula sublata, et decretum irritans.

ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus memoratis felicis recordationis Sixti pp. V. praedecessoris Nostri literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo

CCCCII.

Dat. die 19 septembris 1806 anno VII.

Suppressio conventus Frontini fratrum ordinis sancti Hieronymi congregationis beati Petri de Pisis, et applicatio bonorum favore alterius conventus oppidi s. Agathae ejusdem ordinis.

Dilecto filio Antonio Carloni moderno ministro provinciali ordinis fratrum s. Hieronymi congregationis b. Petri de Pisis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, te, qui, sicut asseritur, ordinis fratrum s. Hieronymi congregationis b. Petri de Pisis minister provincialis existis, in recens peracta conventuum tuae provinciae visitatione binos ex eis adinvenisse in dioecesi montis Feretranae alterum extra oppidum s. Agathae, alterum extra castrum Frontini, ambos vero in nupera publicarum rerum perturbatione, ac quidem usque et praediis, et redditibus imminutos, ut ad religiosam familiam, quae prius in iis congrue subsistebat, alendam impares prorsus evaserint. Hinc te ut ex eorum collapsu plane irreparabili, unum saltem servare valeas, cogitasse de supprimendo conventu Frontini, deque ejus bonis, etsi valde nunc modicis, applicandis conventui s. Agathae, qui magis interest, ut servetur, quum per unionem, quae ei facta alias fuit parochialis ecclesiae sancti Silvestri de monte Benedicto, adnexam habeat curam animarum: rogare propterea, humiliterque exorare, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et ab-

solutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta super praemissis relatione venerabilis fratris episcopi Feretrani, tibi licentiam, et facultatem memoratum conventumFrontini auctoritate Nostra apostolica supprimendi, et bona quaecumque, ac cujusvis generis sint ad eumdem pertinentia praedicto conventui s. Agathae perpetuo uniendi, et applicandi, eadem auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur, hisce tamen sub conditionibus.

Conditiones adjectae.

§. 3. Primo, nempe, ut sit oneri semper conventui s. Agathae satisfacere legatis piis, si quae existunt in conventu Frontini, et habere apud se, ac alere jugiter duos saltem religiosos sacerdotes. Secundo, ad hoc, ut omni, et quocumque tempore, et casu constet de manso ecclesiae parochialis s. Silvestri de monte Benedicto unitae, ut praefertur, conventui sanctae Agathae fiat per te inventarium bonorum, quibus gaudebat in dotem hujusmodi ecclesia. Tertio, ut inventarium pariter conficiatur bonorum, ac suppellectilium ad ecclesiam, et conventum Frontini spectantium. Quarto demum, ut de ecclesia praedicti conventus Frontini tu nihil aliud agas, nisi quod agendum statuerit ordinarius Feretranus, cui propterea potestatem statuendi quidquid pro ejus clausura, vel pro ejus conservatione satius ipse in Domino censuerit, harum serie facimus, atque tribuimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, tum dicti ordinis, et conventus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque specialem etiam, ac individuam mentionem requirentibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCL.

Dat. die 23 septembris 1806 anno VII.

Concessio roccheti, et mozzetae pro dignitatibus, et canonicis collegiatae s. Laurentii, et s. Mariae Novae terrae deToffia abbatiae sancti Salvatoris dioecesis Farfensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuamrei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes peculiaria indumenta ecclesiasticis viris, qui in templis magis conspicuis Altissimo famulantur, saepe deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque hujusmodi honorificentias excitati, internarum virtutum splendore magis, magisque lucere studeant in domo Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii archipresbyter, et canonici insignis (ut asseritur) collegiatae s. Laurentii, et s. Mariae Novae nuncupatae terrae de Toffia abbatiae sancti Salvatoris Farfensis nullius dioecesis in districtu urbis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude ceteris dictae abbatiae ecclesiis praestet, multum splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem collegiatae archipresbyter, et canonici peculiaribus insigniis, et honorificentiis per Nos, et hanc s. Sedem decorentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae collegiatae archipresbytero, et canonicis, ut archipresbyter rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica

cremisini coloris subsutam cum asulis, et globulis ejusdem cremisini coloris, canonici vero ipsum rocchetum, violaceamque mozzetam cum globulis, et asulis pariter violaceis tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, alisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 23 septembris 1806 anno VII.

CCCCLI.

Principibus professoribus accademiae Diagraphidos nuncupatae « *di s. Luca* « in urbe conceditur titulus equitis, cum facultate gestandi crucem in vestis asulis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Procemium. §. 1. Illud saepe numero cogitantes, quod « honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria « liberalium artium professores, et praemiis quantum fieri potest, afficimus, et honoribus libenter cumulamus. Quoniam vero inter alias liberalium artium accademias in hac alma urbe Nostra a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris sapienter, provideque institutas ita floruerit, et floreat illa diagraphidos, seu, ut vulgo vocant del Disegno sub titulo sancti Lucae evangelistae erecta, ut fel. rec. Pius papa VI. praedecessor Noster eam multis honoribus auxerit, et ornaverit, ac etiam ipsius accademiae principem tempore existentem comitis palatini titulo decoravit, prout ex ejusdem Pii in simili forma brevis die 12. junii MDCCXCV. expeditis literis, quarum tenorem, praesentibus pro plene et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni dictae accademiae accademici, titulus comitatus hujusmodi, expirato triennalis principatus officio, cesset, cumque deceat, eum, qui tali honore, et munere potitus fuerit, aliqua perpetua decoratione praeditum remanere; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune sibi providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Expositio precum.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, moderno, et pro tempore existenti dictae accademiae principi simplex equitis titulum auctoritate apostolica tenore praesentium conferimus, eidemque principi etiam postquam principatus sui hujusmodi triennium absolverit, se equitem ad sui vitam inscribere, et denominare, equestremque crucem, juxta exemplar, et formam Nobis exhibitam videlicet « *a spicchi di smalto bianco filettato d' oro con testa di moro lasciato bianco nel mezzo, con corona d' alloro sopra il nastro rosso con righe negre* « ex vestis asulis tendentem pubblice, et ad sui pariter vitam gestare libere, ac licite possit, et valeat, itemque alios accademicos illos, qui ante hoc tempus principatus hujusmodi munere functi Tenor concessionis.

sunt, eodem titulo gaudere, eamdemque crucem similiter deferre possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus, dictosque principem, et ex-principes desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae accademiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris MDCCCVI. pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 23 septembris 1806 anno VII.

CCCCLII.

Erectio in basilicam ecclesiae collegiatae oppidi Foggiae dioecesis Trojanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, ad ecclesiarum omnium statum, quarum Nobis a Domino commissa est cura propensis studiis mentem convertimus, illarumque honorificentiae, et splendori, prout in Domino expedire arbitramur, libenter consulimus.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii, uterque clerus, universitas, et homines oppidi civitatis nuncupati Foggiae Trojanae dioecesis, in ipsius oppidi matrici, et collegiata ecclesia ab antiquissimis temporibus extet vetustissima beatae Mariae virginis imago sub Greeon latna « inconovetere « denominatione « per capitulum Nostrae basilicae principis apostolorum de urbe jam coronata, ac per felicis recordationis Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum nonnullis spiritualibus gratiis pro illam visitantibus, ibique orantibus concessis ornatam, miraculorumque fama ita celebris, ut etiam ex distantibus locis Christifideles ad eam devote accurrant gratias impetraturi, prout saepe praesertim ipsi exponentes, eorumque majores impetrarunt, quando in summa annonae penuria subventi, quando flagello terraemotus liberati, quando praesentibus discriminibus erepti ob ejusdem Deiparae intercessionem, quae aliquando etiam sub dictae iconisveteris effigie alicui religioso viro apparuisse ex certis monumentis tenetur; cumque multum splendoris ad ipsam ecclesiam accederet, ac divinus cultus, populique in Deiparam devotio majora ibi incrementa susciperet, si eadem collegiata ecclesia per Nos, et hanc sanctam Sedem in basilicam erigeretur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratur basilica minor, cum respondentibus honoribus, et privilegiis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eamdem ecclesiam collegiatam Foggiae in basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et indultis quibus aliae basilicae minores hujusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere consueverunt, auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse, et fore decernimus, eamque ecclesiam basilicam nuncupari, et haberi volumus.

Clausula sublata et decretum irritans. §. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; atque illis ad quos spectat, observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii

Nostri apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLIII.

Dat. die 26 septembris 1806. Anno VII.

Impositio perpetuae pensionis super bonis commendae de Casas Buenas de Merida ad effectum colligendi stipendium pro publico primarum literarum magistro in villa de Arroyo in territorio militiae sancti Jacobi de Spatha.

Pius PP. VII·

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Expositum nuper fuit Nobis pro parte charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, quod quum villa de Arroyo de san Serban, quae in territorio militiae sancti Jacobi de Spatha consistit, publico primarum literarum magistro, haud sine magno tum civilis, tum christianae educationis, atque instructionis detrimento, prorsus careret, ipse Carolus rex postulationibus per istius villae populum, populique repraesentantes, ac justitiae etiam praesides sibi porrectis benigne inclinatus, sua illud auctoritate approbavit, quod a populo, repraesentantibus, praesidibusque praedictis deliberatum unanimiter fuerat, scilicet ut magister hujusmodi institueretur ibidem cum annuo stipendio ducatorum tercentum monetae Hispanae. Quumque ad totam hanc summam conflandam, ac pro majori parte jam aliunde conflatam, concurrerit etiam laudabili cordis zelo dil. fra. Joachim Emmanuel de Villena fr. miles memoratae militiae, ac possessor ad praesens commendae ad eamdem militiam spectantis sub titulo de Casas Buenas de Merida, perceptorque majoris partis decimarum villae praedictae, ac ducata centum ex fructibus commendae suae ad enunciatae summae implementum persolvenda quotannis, sub reservatione tamen apostolici beneplaciti, ultro exhibuerit, nec horum quantitas ducatorum tertiam partem valoris liquidi commendae hujusmodi excedat; Nobis idcirco regio supplicatum est nomine, ut in praemissis providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur hac in re, quae commune Ecclesiae, ac reipublicae respicit bonum, votis ejusdem Caroli regis, quantum cum Domino possumus, praesto esse cupientes, ac praenomatum Joachim Emmanuelem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta exhibitione, ut praefertur, dicti Joachim Emmanuelis, super memoratae commendae de Casas Buenas de Merida fructibus, redditibus, et proventibus annuam summam ducatorum centum monetae Hispanae, quae tertiam partem liquidi commendae ejusdem valoris non excesserit, auctoritate apostolica tenore praesentium reservamus, et pro parte stipendii magistri protempore primarum literarum villae de Arroyo de san Serban assignamus, et constituimus, eamque magistro hujusmodi tam a praedicto Joachim Emmanuele, quam a ceteris in dicta ipsius commenda successoribus quolibet anno in perpetuum persolvi debere declaramus, atque praecipimus.

Clausula sublata et decretum irritans. §. 3. Decernentes propterea easdem has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et spectaturum fuerit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae militiae sancti Jacobi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLIV.

Dat. die 7 octobris 1806 anno VII.

Erectio sedis episcopalis in civitate Liburnensi.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium. §. 1. Militantis Ecclesiae gubernacula, quae copiosus in misericordia Deus ad hoc Nobis, meritis quamvis imparibus committere voluit, ut tamquam de vertice montis ad universas christiani orbis ecclesias dirigentes intuitum, quid ad divini cultus augmentum conferat, quidve locorum insignium felici statui, et decori, ac tam illorum incolarum, quam ad ea confluentium personarum spirituali bono quomodolibet conveniat, attente prospicere non omittamus; atque idcirco in locis ipsis, prout principum regali dignitate praeditorum, et de orthodoxa religione optime meritorum, ob praeclaram etiam erga populos ditioni eorum subiectos dilectionem vota exposcunt, novas episcopales sedes instituimus, ut per novas institutiones hujusmodi, nova quoque populorum

adhaesio eidem militanti Ecclesiae accrescat; fideique catholicae professio inibi validius effloreat, et loca ipsa dignioribus titulis illustrentur, atque illorum incolae honorabilium praesulum assistentia, regimine et doctrina suffulti, semper magis proficiant in fide cum congruo divini cultus augmento.

Descriptio civitatis Liburnensis.

§. 2. Nomine modo charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Aloisiae, magnae Hetruriae sibi subjectae reginae regentis accepimus, oppidum civitatem nuncupatum Liburnum Pisanae dioecesis, satis celebre et inter praecipua loca, urbesque ditionis sibi subjectae, ob ejus amplitudinem, situs amoenitatem, rerum ad victum necessariarum copiam, aedificiorumque elegantiam, conspicuum merito recenseri. In eo enim viginti sex circiter millia, atque una cum suburbiis quadraginta sex et ultra millia catholicorum numerantur. Quatuor vero regularium ordinum coenobia fratrum nempe ordinis minorum s. Francisci de observantia, ac ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, et ordinis s. Dominici Praedicatorum, nec non clericorum regularium congregationis s. Pauli Barnabitarum, respective nuncupatorum, oppidum ipsum continet; atque aliae regularium familiae in ejus suburbiis, altera scilicet fratrum ordinis minorum s. Francisci Cappuccinorum, altera eremitarum ordinis Camaldulensium congregationis Montis Coronae, nec non reliqua monachorum ordinis s. Benedicti congregationis Vallis Umbrosae reperiuntur: nonnulla insuper pro puerorum, ac puellarum indigentium educatione pia loca, bini montes Pietatis, atque unum pro viris, fratrum ordinis s. Joannis de Deo, alterum vero pro mulieribus, conservatorii oblatarum s. Barbarae nuncupatorum respective curis commissa xenodochia, ac septem laicorum societates adesse conspiciuntur in oppido praedicto, in quinque parochiales vicarias nuncupatas distributo, ultra infrascriptam collegiatam, earum primariam parochialem, nec non alteram item parochialem in fortalitio veteri, et alias duas parochiales unam videlicet pro Graecis ritus uniti, et alteram pro Armenis respective catholicis, saecularis autem et insignis collegiata, quae etiam parochialis primaria existit ecclesia ducentis circiter ab hinc annis erecta sub titulo s. Francisci Assisiensis nuncupati, ob optimi aedificii structuram, alias forsan collegiatas ecclesias ipsius regni antecellit, utpote altaribus marmoreis trono fixo, ac choro cum stallis praeclare expositis, organo, sacrario, sacris suppellectilibus ad divina summo cum decore peragenda optime ornato, fonte quoque magnifico pro infantibus omnibus oppidi sacro baptismatis lavacro regenerandis, nec non campanile cum campanis, aliisque rebus omnibus ecclesiis cathedralibus necessariis satis locupletata; ejusdemque capitulum, quinque dignitatibus praeposito videlicet qui, uti pro tempore existentis archiepiscopi Pisani vicarius in spiritualibus generalis, cum separata curia, ordinariam jurisdictionem usque adhuc exercuit archipresbytero, archidiacono, decano, et primicerio, ac quatuordecim canonicis comprehensis theologali et duabus poenitentiariis respective praebendis, nec non viginti sex cappellanis tot perpetua simplicia personalem tamen residentiam requirentia beneficia ecclesiastica respective obtinentibus constat, qui omnes in ecclesia ipsa divina officia quotidie laudabiliter peragere non omittunt; ac demum satis commoda domus pro antistitis habitatione, minime desideratur: ea propter regina ipsa, ob relatam praedicti oppidi celebritatem, pro catholicae religionis bono, et christifidelium spirituali consolatione, oppidum praedictum, a dioecesi Pisana, cujus archiepiscopalis sedes per obitum bonae memoriae Angeli Franceschi ultimi illius archiepiscopi extra Romanam curiam defuncti, ad praesens vacat, per Nos dismembrari, et collegiatam ecclesiam praefatam in cathedralem, oppidumque in civitatem episcopalem, apostolica auctoritate erigi summopere exoptat.

Erectio novae sedis, cum separatione oppidi, et suburbiis, et archidioecesi Pisana.

§. 3. Piis igitur ejusdem reginae de catholica religione, deque apostolica sede optime meritae votis annuere opportunum in Domino censentes, aliisque justis de causis animum nostrum moventibus, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine dictum oppidum Liburnense cum suis suburbiis et inibi existentibus paraeciis, ab archidioecesi Pisana,

penitus et perpetuo, tenore praesentium, apostolica auctoritate dismembramus, dividimus, et separamus, idemque oppidum Liburnense, juxta canonicas sanctiones civitatis episcopalis honore decoramus, nec non saecularem et insignem collegiatam ecclesiam praedictam sub titulo s. Francisci Assisiensis, una cum illius capitulo, praevia collegialitatis tituli, denominationis, naturae, et essentiae perpetua suppressione et extinctione de simili potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem Liburnensem nuncupandam pro uno episcopo Liburnense, qui omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, et praerogativis, eisdem modo et forma, quibus ceteri episcopi, praesertim Hetruriae regni perfruuntur et gaudent, cum omnimoda jurisdictione episcopali in praefata civitate Liburni, et infrascripta dioecesi, ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat, apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus, ac praepósituram praedictam in dignitatem post pontificalem majorem, archipresbyteratum in secundam, archidiaconatum in tertiam, decanatum in quartam, et primiceriatum in quintam respective dignitates, ac quatuordecim canonicatus, totidemque superius expressas praebendas, et cappellanias viginti sex praefatas dictae collegiatae ecclesiae, per Nos respective, ut praefertur, suppressae et extinctae, in quatuordecim canonicatus, totidemque praebendas, comprehensis theologali, et poenitentiariis una cum memoratis viginti sex cappellaniis, ipsius ecclesiae cathedralis, ut praefertur, subrogatam, ac respective subrogatos, subrogatas esse, dicta apostolica auctoritate pariter perpetuo declaramus.

Assignatio dotis mensae episcopalis.

§. 4. Pro dote vero praedictae ecclesiae episcopalis Liburnensis, per Nos, ut praefertur, vigore praesentium erectae, ad hoc ut pro tempore existentes ipsius ecclesiae antistites episcopalem dignitatem decenter tenere valeant, quoniam Pisani archiepiscopi liberi erunt in posterum, non modo a quavis expensa per eos erogari solita dum Liburni commorabantur, sed etiam ab onere praestandi Liburnensibus pauperibus charitativa subsidia, quae ab ipsis capitulo et civibus Pisanis ad tria circiter scutorum millia singulis annis deputabantur ascendere, ideo tot ab infrascripto praesentium literarum apostolicarum exequutore dismembranda erunt ex archiepiscopali mensa Pisana stabilia bona in novae Liburnensis dioecesis territorio praesertim sita, quot ad conflandum annuum liberum redditum quatuor millium scutorum monetae Florentinae satis sint, ut summa hujusmodi una cum aliis scutis termille ejusdem monetae a Liburnensi communitate quotannis subministrandis in ipsius novi episcopi, ejusque successorum comodum et utilitatem perpetuo libere cedat; quod si aliqua rationabili ex causa dictorum stabilium bonorum dismembrationem aliquantisper differri contingat, in hoc casu ab archiepiscopo Pisano annua scuta quatuormillia in numerata pecunia erunt episcopo Liburnensi persolvenda: peracta autem dismembratione praedicta omnia, et singula hujusmodi bona, episcopali mensae Liburnensi nunc pro tunc perpetuo adiicimus, assignamus, et appropriamus.

Descriptio novae dioecesis.

§. 5. Ad efformandam deinde hanc novam dioecesim, futuro episcopo cathedralis ecclesiae Liburnensis, per Nos earumdem praesentium vigore, ut praefertur, erectae ultra ejusdem civitatis suburbia, territorium quoque ad tria circiter milliaria se extendens cum paraeciis prope oram marittimam versus Volaterras sitis, nec non quatuor alias parochiales ecclesias intra districtum novi capitanatus Liburnensis comprehensas ad Sancti Miniatis dioecesis spectantes, pariterque nonnullas paraecias dioecesi Volaterranae pertinentes, ac Massanae dioecesim ambitum intersecantes apostolica pari auctoritate tenore earumdem praesentium adjicimus, et hujusmodi loca et paraecias, quibus novae Liburnensis dioecesis territorium ab infrascripto praesentium literarum apostolicarum exequutore distinctis limitibus circumscribendum efformabitur, praevia illorum et illarum a Pisana, ac Sancti Miniatis, et Volaterranae respective dioecesibus abdicatione, et separatione, pro supradictae novae dioecesis Liburnensis efformatione assignamus, eidemque apostolica pari auctoritate perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Subjectio juri metropolitico episcopi Pisani.

§. 6. Ut autem ecclesiasticae hierarchiae in catholico orbe semper omnibus in rebus servetur ordo, tam futurus episcopus Liburnensis in dicta cathedrali ecclesia Liburnensi per Nos ut praefertur erecta, et a primaeva illius erectione hujusmodi, ut praefertur, vacante, primo instituendus, quam ejus in praedicta cathedrali ecclesia Liburnensi episcopi successores, metropolitico juri subijcimus pro tempore existentis episcopi Pisani, cui praefatam Liburnensem cathedralem ecclesiam, per Nos vigore praesentium, ut praefertur erectam, suffraganeam assignamus.

Praeceptum de erigendo seminario.

§. 7. Futuro postmodum et pro tempore existenti ecclesiae Liburnensis episcopo injungimus, ut quam primum fieri poterit, seminarium pro clericis alendis, ac religiose educandis, et ecclesiasticis disciplinis instituendis juxta concilii Tridentini decretum, erigi curet in ipsa civitate si commodum erit, vel in suburbiis, quando ita magis expediens futurum agnoverit, mandantes pariter quod interea clericorum Liburnensium numerus pro illius ecclesiae ac dioecesis servitio sufficiens, collatis inter utrumque antistitem consiliis, et congrua statuta pensione admittatur et retineatur in Pisano seminario.

Deputatio executoris apostolici.

§. 8. Quamobrem ut omnia et singula per has praesentes Nostras literas disposita, et ordinata, debitae executioni absque mora demandentur venerabili fratri Josepho archiepiscopo Thebarum, Nostro et Sedis apostolicae nuncio apud reginam praedictam, in civitate Florentiae commoranti, committimus, et mandamus, ut sive per se, sive per aliam, seu alias ecclesiasticas, personam, aut personas ab eo deputandam, vel deputandas, quibuslibet interesse habentibus praesentem dispositionem Nostram communicet, omniaque agat, quae ad plenarium singularum rerum effectum consequendum necessaria et opportuna agnoverit, et si quis ad id assentiri irrationabiliter recusaverit, ejusdem et aliarum personarum assensum supplentes, illi apostolica auctoritate derogatum esse declaramus: praedictoque Josepho archiepiscopo amplam et omnimodam ad dirimendas etiam quascumque quaestiones, quae tam super territorii dioecesani efformatione, quam super bonorum pro novi episcopatus dotatione, respectivis dismembrationibus oriri possent, specialem ad supradicta omnia integre exequenda tribuimus potestatem: cuicumque enim consensui capituli, et canonicorum metropolitanae ecclesiae Pisanae ad praesens, ut praefertur, vacantis, nec non capituli, et canonicorum alterius pariter ad praesens vacantis ecclesiae Sancti Miniatis, ac moderni quoque episcopi, et canonicorum cathedralis ecclesiae Volaterranae Nos ad praemissorum omnium et singulorum effectum apostolica auctoritate, specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, atque decernimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 9. Praesentes quoque literas, semper, et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica et legittima etiam ex eo, quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, aut jure, vel facto, seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa etiam quantumvis rationabili, legitima, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas, restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso,

et impetrato, aut emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae Nostrae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem, vel alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuvis clausulis et decretis, etiam si de eisdem praemissis, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse, sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, Sedisque apostolicae praefatae nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, et privilegio fungentes ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et quacumque instantia judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus deficientia consensus capituli, et canonicorum praedictae metropolitanae ecclesiae Pisanae praedictorum etiam capituli, et canonicorum ecclesiae Sancti Miniatis, nec non moderni episcopi et canonicorum cathedralis ecclesiae Volaterranae, ac Nostris, cancellariae apostolicae praefatae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de suppressionibus perpetuis committendis ad partes etiam vocatis ad id interesse habentibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet aeditis etiam in synodalibus, provincialibus generalibus, universalibusque conciliis specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque Pisanae, Sancti Miniatis, et Volaterranae respective ecclesiarum, nec non etiam, ut praefertur, dictae collegiatae ecclesiae Liburnensis praefatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, et novis additionibus, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque; indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scentia et potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut etiam, aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum latissime, plenissime, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis fructibus mensae in libris camerae.

§. 11. Volumus autem quod ecclesia cathedralis Liburnensis per Nos, ut praefertur, erecta juxta ejus redditus de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 12. Praeterea volumus, ut praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, disjunctionis, separationis, suppressionis, erectionis, applicationis, subjectionis, assignationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, septimo kalendas octobris, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLV.

Dat. die 7 octobris 1806 anno VII.

Approbatio decreti lati a sacra congregatione Rituum super concessione in patronam sanctae Barbarae virginis, et martyris pro villa de Montefrio Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, et magistratus villae de Montefrio Granatensis dioecesis, quod ipsi pro peculiari, quo in sanctam Barbaram afficiuntur devotionis affectu, ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione decretum obtinuerunt sequentis tenoris, videlicet.

Tenor decreti lati a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Sacra Rituum congregatio, supplicantibus clero, magistratu, et populo villae vulgo nuncupatae de Montefrio Granatensis dioecesis pro confirmatione electionis sanctae Barbarae virginis et martyris in patronam principalem ipsius villae ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis de Somalia sanctissimi domini Nostri Pii VII. pont. max. in urbe vicarii, sacrorumque rituum congregationi praefecti, comperies ex fide-digno reverendissimi archiepiscopi testimonio eamdem electionem legitime, et juxta praescriptum in decreto sa: me: Urbani VIII. factam fuisse, eam approbavit, et confirmavit, ac festivitati memoratae sanctae Barbarae in patronam principalem electae praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die vicesima septembris millesimo octingentesimo sexto.

Loco ✠ Signi

Julius M. cardinalis de Somalia praefectus

J. de Carpineo S.R.C. secretarius

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri plurimum desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertum decretum cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adiicimus, ac singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum,

et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae villae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima octobris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 17 novembris 1806 anno VII.

CCCCLVI.

Episcopo Fabrianensi comittitur administratio monasterii monialium sanctae Margaritae ejusdem civitatis per specialem commissionem.

Pius PP. VII.

Motu proprio

Memorantur praecedentes literae, quibus monasterium positum fuit sub immediata subjectione sanctae Sedis.

§. 1. Cum Nos alias certis rationabilibus causis adducti, ad supplicationem dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii sub titulo sanctae Margaritae civitatis Fabrianensis ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis, per apostolicas sub plumbo expeditas literas, datas pridie idus februarii, pontificatus Nostri anno secundo, monasterium praedictum, et in eo contentas, ac in posterum continendas moniales, omnesque alias eidem monasterio addictas et addicendas personas, cum bonis, rebusque omnibus monasterio praefato spectantibus et pertinentibus, a gubernio et jurisdictione pro tempore existentium episcoporum Fabrianensium abrogando, sub speciali et immediata Nostra et apostolicae Sedis protectione ac gubernio susceperimus.

Tenor mandati ad nutum revocandi.

§. 2. Hinc Nos qui venerabilem fratrem Joannem Franciscum antea episcopum Fabrianensem in administratorem monasterii hujusmodi statueramus, ob ejus translationem a Nobis factam ad episcopalem ecclesiam Asculanam, curae praefati monasterii in posterum vacare minime valet, ut monasterii hujusmodi, et monialium in eo degentium res omnes provide ac recte administrentur, motu simili etc. venerabilem fratrem Domincium modernum episcopum Fabrianensem, ad regendum, administrandum, et gubernandum monasterium praedictum Nostro nomine, tamquam Nostrum et apostolicae Sedis delegatum ad hoc specialiter deputatum, ad nutum tamen et beneplacitum Nostrum amovibilem eligimus, ipsiusque monasterii pro tempore existentem administratorem hodie statuimus et declaramus, ad hoc ut ea omnia, quae a Nobis in gubernio et administratione ejusdem monasterii et monialium hujusmodi, omniumque rerum et personarum ad ipsum quomodolibet spectantium, et pertinentium expleri possent, ab ipso agantur et adimpleantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, sextodecimo kalendas decembris, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 2 decembris 1806 anno VII.

CCCCLVII.

Concessio officii, et missae propriae sancti Isidori recitandae in oratorio ejusdem sancti adnexo horreis annonae frumentariae ad termas Diocletianas de urbe.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Ponti presbyter cappellanus ecclesiae seu publici oratorii sancti Isidori, adnexi horreis annonae frumentariis ad Diocletiani termas nuncupatas hujus Nostrae almae urbis, ac per fel.rec. Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum aliquo jam perpetuo privilegio decorati, quod ipse pro eo, quo in laudatum sanctum afficitur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, ut piis etiam dilectorum filiorum modernorum praefecti, et deputatorum annonae praedictae votis annuamus, ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in die, quo in memorata s. Isidori ecclesia, seu publico oratorio festum s. Isidori, juxta generales rubricas celebrari contigerit, missa propria de eodem sancto jam ab hac apostolica Sede pro aliis Hispaniarum, et s. Isidori fratrum minorum reformatorum nuncupatorum Hibernensium urbis ecclesiis adprobata per omnes tam saeculares, quam regulares cujusvis ordinis sacerdotes inibi sacrum facturos celebrari libere, et licite possit, servatis tamen in reliquis generalibus rubricis, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volentes insuper eamdem ecclesiam, et in ea situm altare ipsius s. Isidori specialiori dono illustrare, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis ordinis, congregationis, et instituti regularis missam defunctorum pro anima cujuscumque christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem D. N. Jesu Christi, ac beatissimae virginis Mariae, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 5 decembris 1806 anno VII.

CCCCLVIII.

Facultas instituendi in collegio nostrae Dominae de Gratia civitatis Conimbricensis tres magistros, cum erectione locorum, seu graduum queis adnexa sint privilegia praedicatorum generalium

Dilecto filio moderno ministro provinciali ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini provinciae Portugalliae.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis

§. 1. Quum Hebraici, Graecique idiomatis notio plurimum divinarum literarum intelligentiam adjuvet, et studium artis rethoricae magnopere ad dicendi, scribendique praestantiam conferat; tuque propterea, sicut Nobis nuper exponi fecisti, quo religiosi tuae provinciae juvenes, dum in collegio Nostrae dominae de Gratia Conimbricensis civitatis scientiis philosophicis, ac theologicis addiscendis operam navant, hujusmodi linguis, et arte ad majorem sui utilitatem, collegii decus, et religionis emolumentum imbui valeant, magistros isto in collegio, qui tum rethoricam, tum Hebraicam, tum Graecam linguam edoceant, statuere cupias; ac in praemium, quo tales magistri, et ad laborem alliciantur suscipiendum, et de suscepto exantlatoque congrue rependantur, duo loca in eodem collegio, seu duos gradus, quibus inhaereant privilegia, etiam cum voto in capitulis, per ordinis, et provinciae praedicatores generales haberi, et gauderi solita, et consueta, sed postea tantum a talibus assequenda magistris, quam annos duodecim singuli eorum in magisterii sui exercitio impenderint, erigere intendas; Nosque idcirco providere in praemissis, ac ut infra indulgere tibi humiliter poscas.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi licentiam, et facultatem, perpetuis futuris temporibus, ad hoc valituram; scilicet instituendi in memorato collegio tres magistros, unum pro arte rethorica, alterum pro lingua Hebraica, et tertium pro lingua Graeca, religiosis juvenibus edocentibus; nec non in praemium magistrorum hujusmodi (non adipiscendum tamen ab eis nisi post duodecim annorum expletum cursum in magisteriis suis, ac servato semper ordine juxta tempus uniuscujusque jubilationis) erigendi duo loca in eodem collegio, seu duos gradus, queis adnexa sint privilegia praedicatorum generalium omnia, et singula, etiam cum jure suffragandi in comitiis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi, aliisque, ad quos spectat, et spectabit pro tempore, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum ordinis, et provinçiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris,

ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12 decembris 1806 anno VII.

CCCCLIX.

Concessio officii, et missae s. Ludovici episcopi Tolosani pro dioecesi Valentina.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum venerabilis frater modernus archiepiscopus Valentinus ac dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerunt supplicari, ut quoad officium et missam in festo s. Ludovici episcopi Tolosani indulgere pro ut infra benigne dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos audito in hac re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. Rituum congregationis secretario praenominatos archiepiscopum, capitulumque et cononicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut omnes et singuli de clero seculari et regulari civitatis et dioecesis Valentinae, quibus fas est recitare officium cum missa de communi in festo s. Ludovici episcopi Tolosani, libere ac licite in posterum recitare possint et valeant lectiones proprias cum oratione, quae in Valentina cathedrali ecclesia recitantur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac praeterea ritum festi ejusdem s. Ludovici a duplici majori ad duplicem secundae classis sine octava elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon dictae civitatis et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12 decembris 1806 anno VII.

CCCCLX.

Immutatio ritus officii s. Thomae de Villanova pro capitulo, et canonicis cathedralis ecclesiae Valentinae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Quum venerabilis frater modernus archiepiscopus Valentinus, ac dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerunt supplicari, ut super officio s. Thomae de Villanova indulgere prout infra benigne dignaremur.

A duplici secundae classis ad duplex primae classis ritus extollitur.

§. 2. Nos audito in hac re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario praenominatum archiepiscopum, capitulumque, et canonicos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ritum officii s. Thomae de Villanova de duplici secundae classis ad duplicem primae classis pro tota civitate et dioecesi Valentina auctoritate apostolica tenore praesentium elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis ac dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12 decembris 1806. Anno VII.

CCCCLXI.

Concessio officii, et missae sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis pro dioecesi Valentina.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Quum venerabilis frater modernus archiepiscopus Valentinus, ac dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerint supplicari, ub ob rationes et causas in eorum precibus enarratas dominicam secundam post pascha festo s. Joseph sponsi beatae Mariae virginis cum officio et missa, loco diei proprii 19 martii, assignare in perpetuum pro civitate et dioecesi Valentina benigne dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos audito super praemissis dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. situum congregationis secretario, praenominatos archiepiscopum, capitulumque et canonicos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hu-

jus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum perpetuis futuris temporibus in Valentina civitate et dioecesi universa festum s. Joseph sponsi B. M. V. cum officio et missa, loco diei proprii 19. martii, libere, ac licite celebrari possit et valeat in dominica secunda post pascha, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et ad hunc effectum festum hujusmodi transferimus, praedictamque dominicam pro illo assignamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis ac dioecesis etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXII.

Dat. die 12 decembris 1806 anno VII.

Nonnullae facultates regi catholico concessae pro suppressione cappellaniarum, et erogatione pretii in pios usus, ac ad necessitates regni sublevandas.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Supremum dispensatoris ministerium divina institutione tributum Nos non nunquam admonet, ut quum communis aliqua, et evidens utilitas postulat, vel gravissima necessitas flagitat, ex bonis etiam Ecclesiae dicatis aliquid decerpi, ac divelli permittamus, quod ad levandas publicas, ingentesque calamitates, quibus reges, populique catholici conflictantur, praesertim quum alia eis haud suppetunt aliunde remedia, opportune conducere, ac salubriter expedire noverimus.

Ratio concessionis.

§. 2. Hanc ob causam novissimae, ac gradissimae contagionis, caritatis, terraemotuum, ac bellorum aerumnae, quibus nonnullis ab hinc annis carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis ditiones, agmine veluti facto, non tam anguntur, ac vexantur, quam pene prosternuntur, Nos impulerunt, ut eidem piissimo regi per literas apostolicas in simili forma brevis datas die 15. junii anni elapsi facultatem impertiremur separandi, ac dismembrandi ex bonis ecclesiasticis existentibus in regno Hispanico tot fundos, quot annuum redditum ducatorum biscentorum millium auri de camera conflarent, eosque applicandi regiae arcae, quam consolidationis, et extinctionis nuncupant, ut ex illorum venditione pecuniae cogi possent, quibus tum nummariae tesserae, quae in maximam commerciorum, et publicarum, privatarumque rationum perniciem nimis late excreverant, vel de medio tollerentur, vel saltem intra certos fines coercerentur, tum aliis quoque publicis ejusdem regni necessitatibus occurrere posset, ea quidem lege ab eodem piissimo rege proposita, ut aequalis amissorum fructuum retributio ex regio aerario quotannis possessoribus bonorum, quae distra-

hi contigerit, eaque libera, et immunis a quocumque onere, et detractione praestaretur. Verum postquam operi manus admotae fuerunt, novae religiosissimi regis postulationes certiores Nos effecerunt, hanc Nostram concessionem, nec ob exortas difficultates ad exitum pro instantis necessitatis celebritate perduci posse, imo ob cunctationes fieri ferme inutilem, nec vero satis opis, praesidiique adferre ad sananda vulnera, quae ex praecedentium temporum calamitatibus illata fuerunt, quaeque adhuc partim permanent, partim recrudescunt. Quamvis enim Dei misericordia cessaverint pleraque flagella, quae in eas regiones antea cumulatim saevierant, attamen recedentia ipsa mala, res adeo prostratas, adeoque afflictas reliquerunt, ut ingentibus, promptisque subsidiis opus sit, ad easdem publicas res aliquantisper excitandas, reficiendasque. Accedit quod commeatus classis, quae ab Indiis opes afferre consuevit, interea temporis modo impediti, modo intercepti, maritimi praeterea belli adhuc flagrantis dispendia, ac detrimenta in dies ampliata, aucta etiam incomoda papyraceae monetae aestimatione in dies collabescentis, ac nisi cito remedium afferatur, exitium allaturae publicis, privatisque negociis veteres aerumnas, novis, ac quotidie in immensum crescentibus adeo auxerunt, praegravaruntque, ut longe amplioribus, ac efficacioribus remediis opus sit, quam quae fuerant antea praestituta. Quae quidem quum essent Nobis aliunde perspecta, tum vero cum regis jussu ad Nos perlata sunt, nec potuimus pro eximia, qua eum, subditosque eius complectimur, dilectione non summopere commoveri, neque haec non habere exploratissima, primum quidem, quod rex pietate, et religione nemini secundus, nisi iis premeretur angustiis, quas Nobis exponi suis verbis curavit, haud in animum suum induxisset ab ecclesiasticis bonis praesidia sibi postulare, deinde quod in iis adhibendis eam foret moderationem servaturus, quae quantum fieri posset, quam minimum Ecclesiae commodis, utilitatibusque detraheret: suae enim abstinentiae, ac temperantiae suique studii in protuenda Ecclesiae dignitate, ac in custodienda incolumitate patrimonii ad eam spectantis, tot, tamque illustria suppeditavit jugiter argumenta, ut nullus haereat Nobis scrupulus, quominus plenissimam in illius integritate, ac religione fiduciam collocemus.

§. 3. Quibus, aliisque gravissimis de causis animum Nostrum juste moventibus, et eumdem carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Hispaniarum regem specialibus etiam gratiis, et favoribus, ob eximias ejus virtutes, ac insignia erga Ecclesiam merita prosequi volentes ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine praecedentes Nostras in simili forma brevis expeditas literas sub datum diei decimae quintae junii millesimo octingentesimo quinto revocantes in locum, et vicem facultatum in eis concessarum eidem regi facultatem de novo concedimus, et impertimur distrahendi praedia sive urbana, sive rustica spectantia ad cappellanias, quarum erectio ecclesiastica auctoritate facta fuerit, vel alias quomodolibet illarum collatio, ac institutio canonica ad ordinarios, vel ad alios ecclesiasticos superiores pertineant. Volumus autem, quod in compensationem possessoribus pro tempore earumdem cappellaniarum a regia arca statim adsignari, et singulis annis solvi debeant in numerato fructus liberi, et immunes ab omni impositione, vectigali, aliove onere sive imposito, sive imposterum imponendo ad rationem trium in singula centum super capite, quod respondeat pretio, quo eadem praedia alienari, ac distrahi contigerit. Tenor concessionis.

§. 4. Quod si postea comperiatur, hosce fructus vel aequare, vel superare annualem redditum praediorum a possessoribus praedictarum cappellaniarum perceptum per quinquennium elapsum ab initio anni millesimi septingentesimi nonagesimi octavi usque, et per totum annum millesimum octingentesimum secundum, et ad liquidum perducendum modo, et forma inferius exprimendis, nulla tunc debeat ex iisdem fructibus fieri imminutio. Si vero ex dicta quinquennali annuorum reddituum collatione comperiatur, annuum fructum eorumdem praediorum ad rationem capitis modo praemisso supputatum redditum a posses- Conditiones implendae.

soribus perceptum non attingere, tunc caput praedictum, cujus regia arca debitum suscipit in retributionem sequutae alienationis, et distractionis, augeri debeat ad eam summam liberam, et immunem, quae praecise respondeat annuo redditui, ut supra praefertur, a possessoribus percepto. Ex reliquis autem praediis ad ecclesiam, ac ad monasteria utriusque sexus etiamsi exempta, conventus, communitates, fundationes ecclesiasticas, et quascumque pariter ecclesiasticas personas cujuscumque dignitatis, ordinis, gradus, et conditionis spectantibus, et pertinentibus, eidem regi facultatem concedimus, et impertimur alienandi pariter, et distrahendi septimam eorum partem, quam proxime fieri poterit ab integritate stabilium ad quemlibet ecclesiasticum possessorem pertinentium separandam, ac dismembrandam, ita quidem, ut facta coacervatione redditGuum perceptorum per quemlibet possessorem ex praedictis praediis, et non aliunde intra spatium supradicti quinquennii, eaque integra quinquennalis redditussumma in singulos annos ad modum peraequationis distributa, seligantur, et segregentur totidem ex eisdem praediis, quot plus minus fructus praebeant ad septimam partem totius praedicti annualis redditus respondentes, eaque regis jussu alienari, et distrahi valeant, ut de illorum pretio in publica commoda, prout ipsi in Domino expedire visum fuerit disponere valeat.

Declaratio de bonis comprehensis in indulta segregatione, et dismembratione

§. 5. In hac autem segregatione, et dismembratione septimae partis stabilium, et praediorum ecclesiasticorum eidem Carolo regi, ob publicae necessitatis causas superius expositas permissa, volumus, quod comprehensa quoque intelligantur bona stabilia patrimonialia spectantia ad ordinem sancti Joannis in Hierusalem, atque ad alios militares ordines quoscumque, prout e converso volumus, et declaramus, quod comprehendi minime debeant, praedia destinata in patrimonium, ac pro congrua ecclesiarum parochialium, quae dumtaxat a supradicta dismembratione excepta, et praeservata in perpetuum remaneant. Ut autem expeditius, ac pro urgenti necessitate peragi valeat tum liquidatio integri redditus praediorum ad quaslibet personas, communitates, fundationesque ecclesiasticas spectantium, quam segregatio fundorum septimam ejusdem integri redditus praedialis partem constituentium mandamus, quod hujusmodi liquidationis, et separationis opus unitim perficiatur a singulis possessoribus, seu legitimis administratoribus ecclesiasticis unitim cum uno vel pluribus procuratoribus, quibus sua ex parte hoc munus committere placuerit eidem Carolo regi, a quo pro sua pietate non alios electurum in tuto confidimus, quam eos, quorum fidem, integritatem, ac erga Ecclesiam, et ecclesiasticas personas reverentiam perspectam habeat. Quod si in hac peragenda liquidatione, ac separatione aliquod suboriatur inter ecclesiasticos, et regios procuratores discrimen, volumus tunc, quod obortae difficultates per ipsum Carolum regem, cui apostolicas omnes facultates hancin rem impertimur, vel per probas, et idoneas personas ab eo seligendas pro sua conscientia definiri, ac dirimi valeant, praeservato dumtaxat possessoribus praediorum ecclesiasticorum jure, quod si in posterum novis repertis monumentis, vel alias quomodocumque emergat error aliquis illapsus in liquidationem annui redditus praediorum distractorum, ex quo praejudicium Ecclesiae inferatur, error corrigi quocumque tempore, ac quidquid justo praediorum distractorum redditui decessisse appareat, suppleri per regiam arcam debeat.

De modo procedendi contra renuentes exhibere rationes redditGuum.

§. 6. Quatenus autem possessores, rectores, aliique administratores bonorum ecclesiasticorum antea per regem, ejusque ministros moniti recusent, aut negligant quinquennalium redditGuum statum exhibere, ac rationum codices, aliasque scripturas in id opportunas edere, sive aliter quomodocumque detrectent suam praestare operam ad liquidationem redditGuum praedialium, segregationemque praediorum septimae eorum parti respondentium quantocitius absolvendam, volumus tunc, quod post elapsos a die praedictae monitionis triginta dies, per eum, a quo exercetur ordinaria jurisdictio in loco, ubi beneficium, aliaque ecclesiastica fundatio instituta reperiatur unitim cum regiis ministris in id electis, et,

quatenus hi dissenserint, per ipsum regem, vel alias probas, et idoneas personas ab eo deputandas fiat segregatio partis praediorum, quam ii pro sua eorum conscientia, et prudentia judicaverint septimae parti proximius respondere, eaque segregatio pro rata, et valida, ac numeris omnibus absoluta habeatur, praeservato tantum ecclesiastico possessori jure postulandi, ac consequendi supplementum justi redditus praediorum segregatorum, si in illius aestimatione erratum in praejudicium Ecclesiae legitimis monumentis et probationibus postea quomodocumque demonstretur. Si vero contingat, bona praedicta tempore, quo liquidatio, et segregatio facienda sit, vacantia existere, vel quomodocumque legitimo rectore, aut pastore viduari, mandamus, quod nihilominus ad eamdem liquidationem, et segregationem procedi debeat per ordinarios, aliasve legitimas personas, ad quas defensio, et administratio vacantium beneficiorum pertineat, quin expectare oporteat novos eorumdem beneficiorum rectores, quantumvis secus dispositum reperiatur in literis, quibus felicis recordationis praedecessor Noster Gregorius XIII. alienandi nonnulla bona ecclesiastica veniam indulsit Philippo II. pariter Hispaniarum regi, ac in Nostris apostolicis in simili forma brevis superius relatis diei 6. junii 1804. statim, ac vero modo, et forma superius expressis peracta fuerit liquidatio, et separatio septimae partis praediorum mox enunciatae, unaque simul a praedicto Carolo rege constituta fuerit annua summa memoratis eorum fructibus respondens, atque integre semper, et absque ulla mora, vel imminutione, non obstante cujuscumque vectigalis, aut alterius cujuslibet oneris indictione a supradicta regia arca libere unicuique ecclesiastico possessori in numerata pecunia realiter, et cum effectu (super quo ipsius catholici regis conscientiam oneramus) persolvenda, tunc praedia hujusmodi nullo ad hoc requisito consensu praesulum, priorum, praepositorum, abbatum, abbatissarum, capitulorum, rectorum, conventuum, monasteriorum, et personarum quarumlibet praedicta bona obtinentium, quacumque ecclesiastica, licet eminenti, dignitate praefulgeant, censenda erunt ab Ecclesiae bonis dismembrata, ac separata, atque antedictae regiae capsae applicata, prout Nos nunc pro tunc ob enunciatas gravissimas causas de specialis gratiae dono apostolica auctoritate dismembramus, ac separamus, et respective applicamus, nec non annuam summam a regio aerario, ut supra, perpetuo libere, et sine ulla imminutione persolvendam, in locum dictorum praediorum in saecularem potestatem ita translatorum favore cujuslibet alterius possessoris cum iisdem oneribus, et obligationibus perpetuo subrogamus. Carolo autem regi plenam potestatem facimus eadem praedia in praemissa forma regali coronae adscripta pretio reperibili, ac sibi benevisojuxta suam prudentiam, ac arbitratum vendendi, atque alias quomodolibet alienandi, in extinctionem tesserarum, nummos repraesentatarum, et ad praedictas relevandas gravissimas, et urgentissimas sui regni necessitates, districtim inhibentes, ne cuique, quacumque eminenti quoque praefulgeat dignitate ecclesiastica, liceat quovis sub obtentu, ac quaesito colore praefatorum praediorum emptores, et acquisitores in praesentiarum, vel unquam postea perturbare.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 7. Nos enim praedictas venditiones, et distractiones favore cujuslibet personae praedicta bona acquirentis ex nunc pariter, prout ex tunc apostolica auctoritate adprobamus, et confirmamus, supplentes consensus omnium, et singulorum interesse habentium, nec non defectum solemnitatum in alienationibus bonorum ecclesiasticorum observandarum, ac quoslibet alios defectus tam juris, quam facti, simulque decernentes dismembrationes, et respective alienationes, atque alia, quae vigore praesentium fieri contigerit, perpetuo firmitatis robore convalescere, suosque effectus sortiri, ac per omnes nullo discrimine dignitatis, et privilegii observari, perinde ac si praedia praedicta dismembrata, et alienata fuissent a Nobis, et apostolica Sede cum solemnitatibus a jure requisitis, et aliis necessariis, sublata quacumque exceptione subreptionis, vel obreptionis, ac defectus Nostrae voluntatis, et intentionis, enormis, atque enor-

missimae laesionis, aut cujuslibet vitii, aut nullitatis. Necessarium autem haud ducimus laudatum Carolum regem monere, atque enixe rogare, ne praedia hujusmodi ultra praefinitum modum per suos ministros, aut alias quomodolibet alienari sinat, quoniam eximia ejus pietas, et religio, atque erga Ecclesiam et apostolicam Sedem observantia ne dubitare quidem sinunt, quin idem piissimus rex quodcumque ejusdem Ecclesiae praejudicium, et quemcumque abusum sedulo, diligenterque praecavere, avertere, et reparare studeat. Jubemus praeterea, quod sicuti pro sua religione, et justitiae zelo ipse rex significari Nobis curavit, imputari debeant in hanc dismembrationem, et saecularizationem bona, siqua interea in exequutionem praecedentium literarum apostolicarum in simili forma brevis expeditarum die 15. junii 1805. aut distractioni destinata, aut actu distracta reperiantur, eo insuper addito, quod si haec bona septimam partem a possessore debitam superaverint, excessus eo meliori modo, quo fieri potest adsignatione aliorum bonorum compensetur. Demum si casus incidat, quo commodam divisionem, ac separationem septimae partis praedia ab aliquo ex possessoribus ecclesiasticis retenta non patiantur, eidem Carolo regi pro suo arbitrio, et conscientia facultatem concedimus concordandi cum eodem possessore, atque ab eo in numerato recipiendi eam pecuniae vim, quae respondeat redemptioni septimae partis valoris praediorum segregandae, atque alienandae, ad quem effectum volumus, quod ad hanc comparandam pecuniam hypothecae, aut alteri cuicumque nexui bona ecclesiastica ab eodem possessore retenta valide, et cum effectu subjici valeant. Ut autem omnia, et singula in hisce Nostris literis contenta debitum implementum, atque executionem obtineant, duabus personis in praecellenti ecclesiastica dignitate constitutis a venerabili fratre Petro archiepiscopo Nicaeno in regnis Hispaniarum Nostro, et apostolicae Sedis nuncio electis, et nominatis, vigore aliarum in simili forma brevis literarum, quas ad eum dedimus die 15 junii 1805; mandamus, ut suae efficacis defensionis praesidio sedulam navent operam, quo omnia, et singula in hisce Nostris literis contenta, et concessa firmiter, et inviolabiliter ab omnibus observentur, non permittentes per archiepiscopos, episcopos, praepositos, priores, capitula, abbates, abbatissas, monasteria, conventus, aut alios quoscumque ullum impedimentum interponi dismembrationi, atque alienationi, aut ullas inferri molestias emptoribus, ac possessoribus pro tempore bonorum dismembratorum, contradictores quoslibet, et reluctantes, eisque consilium, auxilium, aut favorem praebentes per opportuna juris remedia, ac, si necessarium fuerit, per ecclesiasticas quoque censuras compescendo.

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII. de una, et concilii generalis de duabus dietis, Symmachi, et Pauli II, ac Pauli IV., ac aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus, ac bonis Ecclesiae nisi sub certa forma alienandis, aliisque apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, et quibusvis aliis conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non statutis, et consuetudinibus, privilegiis, indultis quibusvis personis ecclesiasticis, monasteriis, ecclesiis, ordinibus, aliisque quibuscumque cum quibusvis etiam derogatoriarum derogationibus, aliisve quantumvis insolitis clausulis, et decretis irritantibus concessis, atque juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis, ac motu etiam proprio, et de potestatis plenitudine, consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, renovatis, et confirmatis quantumvis in iis dismembrationes, et separationes bonorum ecclesiasticorum etiam per Romanos pontifices factae nullius roboris, vel momenti declarentur, nisi derogatio facta fuerit sub certis modo, et forma, ac inserto de verbo ad verbum tenore constitutionum hujusmodi dismembrationes prohibentium, ac non obstantibus pariter quibusvis testamentariis, aut aliis per contractum editis dispositionbus hujusmodi dismembrationes, et alienationes quomodolibet directe, vel indirecte vetantibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, pe- Derogatio contrariorum.

rinde ac si de verbo ad verbum inserti forent, quatenus praesentium executioni opponantur, ac in ceteris in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus specialiter, et expresse derogamus, derogantes quoque indultis, quatenus concessa reperiantur archiepiscopis, episcopis, capitulis, abbatibus, monasteriis, conventibus, aliisque supradictis, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes de eis expressam mentionem.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus publici notarii subscriptis, et sigillo unius ex memoratis executoribus, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis ea prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 19 decembris 1806 anno VII.

CCCCLXIII.

Confirmatio nonnullorum decretorum latorum pro imminutione expensarum, quae requiruntur in comitiis congregationis fratrum excalceatorum sancti Augustini.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius modernus procurator generalis Lusitanae congregationis fratrum excalceatorum sancti Augustini, quod in generalibus congregationis comitiis semel ac iterum novissime habitis ad minuendum onus expensarum, quas comitia requirunt, quibusque satis praestandis, dum illa celebrantur, imparem se in praesentiarum congregatio noscit, binis decretis statutum est, ut eadem comitia, quorum celebratio ad quindecim dies perdurare prius solebat, arctiori deinceps tempore absolvantur, juxta quod prudentiae patrum, qui conventuri in capitulum fuerint, magis videbitur expedire. Sed quo decreta hujusmodi firmius subsistant, exactiusque serventur, illa exponens, totius etiam congregationis suae nomine per Nos confirmari vehementer desiderat, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitat.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta superius recensita auctoritate apostolica tenore praesentium valida, et rata habemus, ac declaramus, roburque approbationis, et confirmationis Nostrae apostolicae illis adjicimus, ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, atque supplemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes eadem decreta, quoties, et quoadusque capituli patres illis uti censuerint, plenarie semper vigere, et a cunctis observari debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et

insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona decembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 23 decembris 1806 anno VII.

CCCCLXIV.

Facultas servandi cultum beatorum martyrum Joannis de Perusio, et Petri de Saxoferrato pro fratribus ordinis minorum de Observantia.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis dilecti filii modernus minister provincialis, aliique religiosi alumni ordinis minorum de Observantia s. Francisci, provinciae Aragoniae fecerunt nuper exponi, ipsi pro eo, quem erga beatos ejusdem ordinis martyres Joannem de Perusio et Petrum de Saxoferrato gerunt devotionis affectu antiquam ac immemorabilem colendi eos in cunctis praedictorum ordinis, provinciaeque coenobiis consuetudinem servari posse vehementer exoptent, ac insuper sibi per Nos ut infra indulgeri humillime efflagitent.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito hac in re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario, ut beati Joannes de Perusio et Petrus de Saxoferrato dicti ordinis martyres in omnibus et singulis coenobiis ejusdem ordinis et provinciae praememoratae juxta recensitam consuetudinem coli tamquam ipsius provinciae principales patroni possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac proinde etiam festo eorumdem beatorum in universis praedictis coenobiis ac adnexis ecclesiis praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuimus, ac elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus decretis, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium disponentibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 23 decembris 1806 anno VII.

CCCCLXV.

Confirmatio trium rescriptorum editorum a sacra congregatione Concilii ad consulendum inopiae ministrorum in ecclesiis civitatis, et dioecesis Aretinae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Exponitur series decretorum.

§. 1. Ad consulendum ministrorum inopiae qua ecclesiae civitatis dioecesisque Aretinae novissime laborabant, ac in praesentiarum quoque laborant, tria subsequenter sunt edita rescripta a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Tridentini concilii interpretum, instante apud eam venerabili fratre moderno episcopo Aretino primum quidem die 15. septembris 1802, alterum die 11. decembris ejusdem anni, et tertium die prima septembris 1804, modo et forma ut sequitur.

Tenor primi decreti, quo communicatur privilegium sa. me. Eugenii IV. et Pii V. pro triginta clericis Eugenianis nuncupandis.

§. 2. La diocesi di Arezzo trovasi in tanta, e tale desolazione, e penuria di sacerdoti non ostante varj forastieri impiegativi, che nelle due cattedrali del duomo, e della pieve vedonsi con sommo scandalo i cori, e i divini officj regolati da persone ammogliate parate cogli abiti sacri,

ed in sottana, e più parrocchie il popolo manca della spirituale necessaria assistenza, anzi in più luoghi, e nell' inverno specialmente manca eziandio della messa nelle feste.

In vista di cio l'eletto vescovo d' Arezzo umilissimo servo, ed obbidientissimo figlio della Santità Vostra non avendo altro mezzo per riparare a un tanto disordine, supplica la di lei paterna clemenza ad estendere, finchè almeno le circostanze non migliorino, alla diocesi di Arezzo il privilegio concesso da Eugenio IV., e da s. Pio V. alla diocesi di Firenze, di potersi cioè ordinare un determinato numero di chierici a titolo di servigio prestato alla chiesa, e così riempire un vuoto tanto dannoso al servigio di Dio, ed al bene delle anime, obbligandosi l' oratore d' erogare la somma di scudi undici mila ottenuta dagli arretrati in fondo di cappellanie amovibili a pro di detti chierici, sinchè siano provveduti di benefizi, o cappellanie perpetue, e che non manchino della decente sussistenza, il che non sarà difficile in una diocesi, in cui oltre circa trecentotrenta parrocchie, che abbisognano di cappellani, o sotto curati si possono contare circa trecento altre proviste ecclesiastiche.

E siccome i chierici di Firenze prendono dal pontefice loro benefattore il nome di Eugeniani, e sono obbligati in perpetuo a recitare per esso alcune preghiere, perciò l' oratore prega la Santità Vostra d' accordare il di lei nome ai chierici, che dovranno ordinarsi in Arezzo a detto titolo di servigio, e di prescrivere loro la recita di quelle preghiere, che ella crederà opportune secondo le sue piissime intenzioni.

Die 15. septembris 1802.

Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii, episcopi oratoris precibus benigne annuens, privilegium s. m. Eugenii IV. et Pii V., de quo in precibus indultum favore metropolitanae ecclesiae Florentinae, ad dioecesim Aretinam extendit pro triginta clericis ejusdem dioecesis in communi schola erudiendis, et Pianis nuncupandis, nec non in legitima aetate constitutis ad sacros ordines, et sacerdotium promovendis ad titulum servitutis praestandae in ecclesia cathedrali Aretina, reservata tamen favore eorumdem clericorum passiva nominatione ad cappellanias amovibiles ab eodem episcopo oratore instituendas ex capitali scutorum undecim millium, atque cumulative cum aliis clericis dioecesanis ad cappellanias curatas, nec non ad beneficia jam in dioecesi fundata ejusdem liberae collationis, non tamen parochialia, et proviso interim per eumdem episcopum, ut promoti, donec cappellaniam, aut beneficium hujusmodi in perpetuum titulum obtinuerint, congruam habeant substentationem, ut in Eugeniana, et Piana constitutione praescriptum est; voluit autem eadem Sanctitas Sua, ut privilegium hujusmodi perduret ad annos viginti, atque ut clerici dictim recitare teneantur antiphonam *Salve Regina*, et orationem dominicalem juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae, et praesens rescriptum habeatur, ac si literae apostolicae in forma brevis fuissent desuper expeditae.

Loco ✠ Signi

P. H. card. Carandini praef.

E. De Gregorio secretarius

§. 3. Il moderno vescovo d'Arezzo avendo ottenuto per il suo collegio Piano l' estenzione del privilegio accordato da Eugenio Quarto alli chierici della diocesi di Firenze, supplica perciò ora I. Per la dichiarazione autentica, che il vicennio comincerà quando si metterà in pratica l' indulto d' ordinarsi il chierico a titolo di servitù. II. La grazia di poter ricevere i chierici in questi primi tempi, quando diano buona speranza, anche dopo i quindici anni termine fissato per gli Eugeniani di Firenze, giacchè i medesimi non poterono approfittarne in quell' età non essendovi ancora il privilegio. III. E per quelli, che si riceveranno dopo i quindici anni di età si possa scemare il tempo degli otto anni di servigio fissato in Firenze prima dell'ordinazione, la quale diversamente converrebbe per quelli differire ad età troppo adulta.
Che ec.

Tenor secundi decreti quo praefinitur tempus a quo incipiet privilegium ut supra concessum.

Die xi. decembris 1802.

Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii supradictis episcopi oratoris precibus benigne annuens declaravit, ut tempus fruendi privilegio ecclesiae Aretinae, impertito ad formam concessionis s. mem. Eugenii IV. pro ecclesia Florentina, nempe vicennium praefinitum ad formam rescripti 15. septembris proxime praeteriti incipiat currere a prima clericorum ordinatione. In reliquis vero eadem Sanctitas Sua mandavit, ut episcopus recurrat in casibus particularibus, et providebitur.

Loco ✠ Signi

P. H. card. Carandini praefectus

E. De Gregorio secretarius

Tenor tertii decreti, quo prorogatur ad beneplacitum sanctae Sedis duratio privilegii.

§. 4. Il vescovo di Arezzo umilissimo servo, e figlio obbidientissimo della Santità Vostra con ogni rispetto rappresenta l' esito felicissimo che hanno avute le paterne di lei mire nell' accordare in favore della cattedrale, e diocesi Aretina il privilegio concesso da Eugenio IV. suo antecessore a quella di Firenze nell'erezione di un collegio di chierici, che si ordinino a titolo di servitù. Questo collegio eretto in Arezzo sotto il nome della Santità Vostra, e detto Piano, come Eugeniano quello di Firenze, si è stabilito in un sistema il più vantaggioso. Il servizio, che questi chierici prestano al coro, è sommo, con grande edificazione dei secolari, e danno le più fondate speranze colla loro applicazione alla pietà, ed alle scienze di essere di grandissima utilità alla diocesi in gran parte desolata per la scarsezza di buoni, ed operosi ecclesiastici. Il vescovo dal canto suo non ha mancato di assegnare li fondi per le cappellanie amovibili in loro vantaggio nella somma di undicimila scudi in danaro contante, e fruttifero, che egli ha ceduto in perpetuo per il capitale delle medesime a forma della sua prima rappresentanza, come costa dalla nota passata in mano di monsignor De Gregorio specialmente delegato dalla Santità Vostra su tal' affare; del qual danaro il frutto sarà diviso in offiziature da godersi privativamente da questi chierici tosto che salgono all' altare, ed intanto non essendovi alcuno, potrà andare a moltiplico.

In vista di tutto ciò, supplica umilmente la Santità Vostra a degnarsi di perpetuare come in Firenze, così in Arezzo, o di estendere almeno (ad beneplacitum s. Sedis) la grazia concessa a vicennio per li detti chierici Piani, affinchè possa meglio, e più stabilmente assicurarsi la detta fondazione; Che della grazia ec.

Die prima septembris 1804.

Sanctissimus Dominus Noster audita relatione infrascripti secretarii, et veris existentibus narratis, episcopi oratoris precibus benigne annuens privilegium, de quo in precibus benigne, ad annos viginti, concessum ita ampliavit, atque extendit, ut deinceps Aretina dioecesis ejusque pro tempore episcopus illo frui possint ad beneplacitum sanctae Sedis, servata tamen in reliquis forma, et conditionibus indulti 15. septembris 1802, et praesens rescriptum haberi voluit, ac si literae apostolicae in forma brevis desuper expeditae fuissent.

Loco ✠ Signi

P. H. card. Carandini praef.

E. De Gregorio secretarius

Confirmatio decretorum.

§. 5. Nunc autem ut tria rescripta hujusmodi ab omni semper vicissitudine persistant immunia, idem episcopus per apostolicas Nostras literas specialiter ea confirmari plurimum optat, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitat. Nos igitur ipsum episcopum Aretinum apostolicis gratiis et favoribus magis magisque prosequi cupientes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tria praeinserta rescripta cum omnibus et singulis, quae in eis continentur, auctoritate

apostolica tenore praesentium rata, validaque habemus et declaramus, Nostraeque expressae confirmationis apostolicae praesidio roboramus, atque munimus, ac omnes et singulos sive facti sive juris defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit plenarie sanamus, atque supplemus, salva tamen in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Omnia stabilita et decretum irritum.

§. 6. Decernentes easdem has literas Nostras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac memorato episcopo, aliisque ad quos spectat, ac spectabit pro tempore plenissime suffragari, et a cunctis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, caeterisque speciali, ac expressa mentione et derogatione dignis, contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia decembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXVI.

Dat. die 2 januarii 1807 Anno VII.

Concessio juris privativi typis mittendi opera itale, vel latine composita a ven. servo Dei Alphonso Maria de Liguori favore Vincentii Antonii Giattini procuratoris generalis congregationis sanctissimi Redemptoris.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Exponitur privilegium concessum jam fuisse per rescriptum.

§. 1. Pro parte dilecti filii Vincentii Antonii Giattini procuratoris generalis congregationis sanctissimi Redemptoris, et postulatoris in causa servi Dei Alphonsi Mariae de Liguori, ipsius congregationis fundatoris, quod ipse opera omnia etiam ea adhuc inedita ab eodem servo Dei cum latine, tum itale scripta typis mandare cupiens, in supplici libello Nobis porrecto pro hujusmodi novae editionis faciendae privilegio impetrando, rescriptum obtinuit sequentis tenoris, videlicet.

Die 25. novembris 1806.

Tenor rescripti.

§. 2. Habito verbo, in solita audientia, cum sanctissimo de introscriptis precibus, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, ad normam precum earumdem, et oratori Vincentio Antonio Giattini etiam clementer indulsit petitum privilegium privativae pro editione operum venerabilis Alphonsi Mariae de Liguori, exequenda Romae a typographo Joachino Puccinelli, vel alio eidem oratori bene viso, cum expressa prohibitione alteri cuicumque thypographo intra ditionem ecclesiasticam degenti, praedicta opera imprimendi, sive omnia simul, sive ex parte per integrum decennium, incohandum ab eorumdem operum publicatione, sub poena aureorum quingentorum, et amissionis exemplarium, contra prohibitionem typis mandatorum, aliisque arbitrio Sanctitatis Suae, quam privativam extendi voluit in favorem oratoris, etiam contra introducentes, et vendentes opera eadem, quae forte edita fuerint extra dominium pontificium, tempo-

re hujus privilegii Sanctitas Sua mihi, S. P. apostolici magistro, hujus decreti communicationem, et executionem commisit.

Ita est Fr. Thomas Vin. Pani O. P. sacri palatii apostolici magister

Loco ✠ Signi

Preces porrectae pro confirmatione rescripti, et concessio juxta preces.

§. 3. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, ipse Vincentius, quo praeinsertum rescriptum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio ipsum muniri vehementer desideret; Nos eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem rescriptum, et singula in eo contenta cum poenis ibidem expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus et per omnia, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis, et consuetudinibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda januarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXVII.

Dat. die 2 januarii 1807 anno VII.

Confirmatio decreti editi a capitulo ecclesiae collegiatae terrae sancti Elpidii Firmanae dioecesis super immutatione temporis absendi a choro, et celebratione missae conventualis tempore quadragesimae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni archipresbyter, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae sancti Elpidii Firmanae dioecesis, quod quamquam ex lege erectionis dictae collegiatae per duos menses conciliares ad uniuscujusque canonici libitum intra annum a choro abesse liceret, minime vero in principalioribus anni festivitatibus, recens tamen usus invaluerat, ut praestatuta hujusmodi absendi licentia ad dies quoque festos extenderetur. Quoniam vero magna ibi esse solet populi christiani frequentia, eo quod dicta ecclesia est etiam parochialis, locique matrix, idcirco in actu sacrae visitationis dilectus frater Noster Julius Caesar S.R.E. cardinalis Brancadorius nuncupatus ex concessione, et dispensatione apostolica ecclesiae Firmanae

praesulis, quo sacrae functiones decentius ibi celebrarentur, censuit, non in principalioribus modo, sed in aliis etiam omnibus festis diebus canonicos omnes clero interesse oportere, idque eo magis, quod dictus archipresbyter cum duobus perpetuis vicariis, aliisque duobus canonicis ex respectivis eorum fundationibus e choro absentes sacramenta diebus praesertim festis ministrare tenentur. Illud quoque ex altera parte ipse cardinalis censuit, quidquam compensationis fore concedendum memoratis canonicis, ut divini cultus hujusmodi incrementum, animarumque curam cum veteri absendi licentia praedicta inter se conciliaret. Ne autem quidquam durius idem cardinalis statuere videretur, rem omnem ipsis etiam canonicis considerandam reliquit.

Tenor decreti editi a capitulo.

§. 2. Qui et ipsi eodem divini cultus studio incensi in eamdem venere sententiam, atque memorato cardinali capitularem deliberationem exhibuerunt sequentis tenoris, videlicet. « Quod adempta in posterum « canonicis, aliisque addictis servitio « ecclesiae collegiatae s. Elpidii, va« candi licentia in festis cujuscum« que ritus, a primis vesperis (dum« modo non agatur de simplici do« minica, quae non habet primas « vesperas) ad secundas inclusive, « servitium dierum ferialium sit al« ternativum, adeo ut in prima « hebdomada inserviant archipresby« ter, sex canonici, unus vicarius « perpetuus, tresque beneficiati: reli« qui vero sex canonici, alter vica« rius perpetuus, et tres beneficiati « in secunda hebdomada; et sic al« ternatim per hebdomadas subse« quentes: excepto tamen toto ad« ventus et quadragesimae tempore, « in quo omnes, ut in dictis festis « diebus, interesse teneantur, sicuti « et in tota octava sanctissimi corpo« ris Christi ad formam ultimae dioe« cesanae synodi de anno 1793: sub « poena amissionis omnium distribu« tionum pro rata absentiae singulis « vicibus. In principalibus autem « anni festivitatibus poena duplica« bitur, uti habent antiquae con« stitutiones ejusdem ecclesiae » Hanc vero deliberationem ab eodem cardinali minime improbatam esse affirmant. Quoniam autem sicut in eadem expositione additum erat, diebus etiam ferialibus septem ejusdem collegiatae individui plerumque remanent in sacramentis administrandis occupati, haud facile secunda, et tertia missa juxta generales rubricas, seu statuta celebrari possunt cum cantu, praeter missam conventualem in feriis quadragesimae praesertim, in quibus et sacra concio publice habetur, et frequentior esse solet sacramentorum administratio; ideo archipresbyter et canonici praedicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praememoratum a dicto praesule susceptum consilium immutandi, ut supra tempora abessendi a choro, atque praeinsertam canonicorum deliberationem, et singula in ea contenta cum poenis ibidem expressis adprobamus et confirmamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos cum juris, tum facti defectus, qui desuper in ea quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus, ita tamen, ut in praemissis festis diebus etiam ii comprehendi debeant, quos felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster concessit, non amplius de praecepto esse censendos. Praeterea, ut perpetuis futuris temporibus missa tam conventualis in quadragesimae diebus cum cantu in dicta ecclesia celebretur, et secundae et tertiae missae hujusmodi, quae adhuc etiam cum cantu celabrari consueverunt, per missas in posterum sine cantu suppleri libere, et licite possit, et valeat, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere,

ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda januarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXVIII.

Dat. die 9 januarii 1807 anno VII.

Electio prioris generalis ordinis B. M. V. de monte Carmelo nationis Hispanicae facta ad tramites constitutionis diei 15. maii 1804. cujus initium « *Inter graviores curas, ac sollicitudines.*

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Memorantur literae diei 15 maii 1804 ad rem aditae.

§. 1. Inter caetera, quae in apostolicis Nostris literis die xv. maii anno MDCCCIV. datis, quarum initium est: *Inter graviores curas, ac sollicitudines*: a Nobis constituta sunt, ut regularium ordinum, ac praesertim earum ipsorum ordinum partium, quae in dominiis carissimo in Christo filio Nostro Carolo IV. Hispaniarum regi catholico subjectis existunt, stabili conservationi difficillimis hisce dictorum ordinum temporibus consuleremus, atque ita uberrimos illos fructus Ecclesiae assereremus, qui ab ipsis ordinibus percipiuntur, illud etiam sancitum fuit quoad generalium, vicariorum item generalium, aliorumque infra eos majorum superiorum electiones, (quas prima ab iis literis datis vice, attentis praesentis temporis circumstantiis, haud fieri posse sentiebamus ea ratione, quae in iisdem apostolicis literis praescripta est,) ut in iis ordinibus, qui praesidem generalem haberent, is suo munere fungi pergeret, usquedum absolveretur tempus, quod ordinis sui legibus praestitutum est, ac si qui summo magisterio fungebatur natione Hispanus esset, fieret a Nobis electio tum vicarii generalis, tum ceterorum superiorum majorum ordinis extra Hispaniam existentis; si vero summus ordinis mgister Hispanus non esset, a Nobis vicarius generalis, ceterique superiores majores Hispani constituerentur pro prima dumtaxat vice a datis illis literis.

Tenor electionis.

§. 2. Quamobrem iisdem inhaerentes, quum Nobis de honestate morum, integritate vitae, prudentia, pietate, ac doctrina, ceterisque laudabilibus virtutum meritis, quibus commendatur dilectus filius Timotheus Ascensj ordinis fratrum B. M. V. de monte Carmelo definitor generalis,

constet, eumdem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis accasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, auditis super hoc per secreta suffragia etiam dilectis filiis vocalibus ordinis, auctoritate apostolica tenore praesentium in priorem generalem praedicti sui ordinis eligimus, constituimus, et deputamus.

Reservatio de aliis electionibus pariter faciendis, et communicatio privilegiorum favore electi.

§. 3 Nobis interim reservantes electiones ad cetera majora munera ejusdem ordinis infra eum posita; eique priori generali, ut omnibus, et singulis juribus, facultatibus, praeeminentiis, auctoritate, gratiis, indultis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, ac in praedicti sui ordinis statutis pro dicto officio praescriptis frui, et gaudere libere, et licite possit, et valeat, ac debeat, auctoritate, et tenore praesentis decernimus, et declaramus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis, omnibus, et singulis dicti ordinis provincialibus, prioribus, aliisque superioribus, nec non professoribus, et personis, ceterisque, ad quos spectat, et in futurum spectabit, ut ipsum Timotheum in priorem generalem, ut supra deputatum, in hoc munere, illiusque libero exercitio juxta tenorem praesentium recipiant, et admittant, eique in omnibus ad munus hujusmodi pertinentibus, et quomodolibet spectantibus prompte pareant, et obediant, faveant, et assistant, ejusque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimpleri procurent. In hoc autem munere a Nobis, ut supra, constitutus, eo fungetur per totum illud tempus, quod in praedictis Nostris literis xv. maii anno MDCCCIV. datis constitutum est, nisi ad longius tempus statuendum gravibus interdicentibus causis apostolica Sedes moveatur, ut in iisdem literis sancitum est.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto Timotheo plenissime suffragare; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S.R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub

annulo piscatoris die nona januarii MDCCCVII. pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 9 januarii 18 7 anno VII.

CCCCLXIX.

Confirmatio privilegiorum, et gratiarum alias concessarum congregationi sanctissimi Redemptoris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Qui sicut boni Christi milites pari studio laborant, ii paribus quoque privilegiis afficiendi sunt, et gratiis; quare nonnulli Romani pontifices praedecessores Nostri congregationi sanctissimi Redemptoris, ejusque alumnis de catholica religione optime meritis omnes et singulas gratias, et indulta, quae ab hac sancta Sede aliis duabus congregationibus piorum operariorum, et doctrinae Christianae concessa fuerant, aeque principaliter communicarunt. Subortis autem quibusdam dubiis super iisdem communicationibus, in iis praesertim, quae ad altaria privilegiata, indulgentias, et officia sanctorum propria spectabant, dubia hujusmodi felicis recordationis Clementi pp. XIII. itemque Clementi XIV. praedecessoribus Nostris humiliter proposita, ipsi ambo favorabiliter in omnibus pro dicta congregatione sanctissimi Redemptoris declararunt. Tandem recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor itidem Noster declarationes favorabiles hujusmodi auctoritate apostolica confirmavit, ipsiusque congregationis alumnis alia quoque singula privilegia supercommunicavit, quae successive fuerant alii congregationi clericorum discalceatorum Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi a dicta Sede concessa, prout ex ejusdem Pii in simili forma brevis die xxi. augusti MDCCLXXXIX. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut dilectus filius Petrus Paulus Blasucci rector major, seu superior generalis dictae sanctissimi Redemptoris congregationis exponi Nobis nuper fecit, memoratas gratiarum communicationes iterum per Nos confirmari, ac alia quoque suborta dubia de medio tolli vehementer desideretur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos pro eo quo ipsius congregationis alumni fervere non desinunt religionis, et animarum zelo, eamdem congregationem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati memoratas singulas communicationes a praefatis singulis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris favore congregationis sanctissimi Redemptoris factas de verbo ad verbum praesentibus insertas habentes, cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, ac omnes, et singulos tum juris, tum facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint, aut irrepsisse potuerint, sanamus, et supplemus.

Declaratio specialis.

§. 3. Praeterea ad conscientiarum anxietates penitus tollendas in praememorata per Pium praedecessorem facta communicatione gratiarum ab alio praedecessore Clemente XIV. congregationi Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi per apostolicas sub plumbo xvi. kalendas decembris MDCCLXIX. datas literas concessarum comprehensa fuisse, ac esse, et fore comprehendenda omnia, et singula privilegia, indulta, indulgentias, et peccatorum remissiones, facultates, exemptiones, et gratias spirituales, etiam specialem mentionem requirentes, quibus praedictae, aliaeque similes clericorum seu regularium seu saecularium congregationes, earumque domus regulares, necnon generales, aliique superiores, officiales, ministri, et personae ex

concessione apostolica, seu ex qualibet venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere poterunt in futurum comprehensa inquimus esse et fore auctoritate, et tenore praedictis statuimus, edicimus, et declaramus, ac etiam, quatenus opus sit, eidem congregationi sanctissimi Redemptoris, illiusque domibus, ministris, et aliis quibuscumque personis, illaque omnia, et singula tamquam de verbo ad verbum hic expressa, et inserta fuissent, etiam quoad altaria privilegiata, officia sanctorum respective propria, indulgentias, ac ordinum facultates eadem auctoritate denuo concedimus.

Clausulae praeservativae, et irritantes.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis alter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem sanctissimi Redemptoris, aliarumque singularum praedictarum congregationum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona januarii MDCCCVII. pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXX.

Dat. die 23 januarii 1807 anno VII.

Dotatio seminarii episcopalis civitatis sancti Hippolyti nuncupatae facta ex suppressione nonnullorum beneficiorum, et legatorum missarum.

Venerabili fratri
Josepho Godefrido
Episcopo sancti Hippolyti

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Proemium.

§. 1. Clericorum seminaria, in quibus adolescentes in sortem Domini vocati optimis moribus, et disciplinis informantur, ut ipsi ineunte tempore ad sacros ordines promoti salutis viam Christiano populo verbo, et exemplo ostendant, non modo pastoralem omnem episcoporum, sed Nostram quoque curam requirunt; ideoque Nos universo Dominico gregi (nullis Nostris suffragantibus meritis) praesidentes, quae

pro seminariorum hujusmodi praesidio, et incremento necessaria, aut opportuna videntur, libenter, quantum cum Domino possumus, impertimur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper fraternitatis tuae nomine fuit expositum, ex pia carissimi in Christo filii Nostri Francisci Austriae imperatoris, et Hungariae regis apostolici munificentia episcopale seminarium in ista sancti Hippolyti civitate fuerit extructum, cumque ad illud sufficienter dotandum minime tibi satis sint facultates a sacrosancto Tridentino concilio ordinariis ad id constitutae, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem fraternitati tuae beneficia ecclesiastica simplicia personalem residentiam non requirentia, itemque missarum legata, aliaeque piorum operum perpetuae fundationes (non tamen illa de jure patronatus, nisi de legitimorum patronorum consensu) quae suo careant rectore ad eum usque numerum, et quantitatem, quae satis esse dignoscantur pro sufficienti dicti seminarii dotatione constituenda dumtaxat perpetuo supprimendi, illorumque bona, redditus, et proventus eidem episcopali seminario applicandi, uniendi, et incorporandi. Nec non omnia, et singula ex lege fundationis beneficiis, aliisque piis institutionibus praedictis adnexa missarum, aliorumque operum onera alio in perpetuum transferendi post suppressionem, et incorporationem hujusmodi factam, et commutandi in alia pia opera, ac etiam pro data tibi a Domino prudentia perpetuo imminuendi, et reducendi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Nos enim respectivis beneficiorum, ac missarum legatorum, aliorumque piorum operum fundationibus, legibus, et conditionibus ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse auctoritate, et tenore praedictis decernimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes pariter ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere in omnibus, et per omnia dicto seminario, ejusque alumnis plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum beneficiorum, et piarum institutionum fundationibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 6. Volumus autem, ut statim atque beneficia, missarum legata, et aliae piae institutiones hujusmodi per te vigore praesentium dicto seminario fuerint addicta, et applicata, ejusdem seminarii rector, vel aliquis ex ejus deputatis veram, et realem possessionem eorumdem bonorum perpetuo applicatorum apprehendat, apprehensamque retineat ejusdem seminarii nomine, ac de perceptis fructibus

tibi, ac pro tempore existenti episcopo annuatim rationem reddat. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia januarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 1 februarii 1807 anno VII.

CCCCLXXI.

Dismembratio nonnullorum territoriorum nuncupatorum Kehel in Bai-Rhen, et Cassel in monte Tonnere et Hessinque in Escant ab ordinaria jurisdictione suorum episcoporum, eorumque subjectio novis archiepiscopis.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii S.R.E. presbytero cardinali Caprara nuncupato Nostro et Sedis apostolicae ad carissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Gallorum imperatorem de latere legato salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Cum nomine carissimi in Christo filii Nostri Napoleonis Gallorum imperatoris significatum Nobis fuerit quod nonnulla territoria vulgo adjacenze videlicet Kehel in Baj-Rhen, et Cassel in monte Tonnere, ac Wesel in Roen, nec non Hessinque in Escant respectivis regionibus existentia, intra limites territorii ejus imperiali dominio subjecta ad praesens reperiantur, ideoque expediens sibi videatur, si populi in hujusmodi territoriis existentes a spirituali jurisdictione respectivorum episcoporum, quibus ad praesens subjecti existunt, abdicentur, et ordinariae spirituali jurisdictioni pro tempore existentium episcoporum Argentinensis, Moguntini, Aquisgranensis, et Gandavensis respective supponantur.

Committitur legato a latere, ut precibus annuat dummodo constet de justis causis.

§. 2. Ad preces quas idem imperator ad hunc effectum Nobis deferri curavit, attentis gravibus circumstantiis, annuendum esse censentes tibi dummodo justis de causis ita in Domino expedire judicaveris praevio consensu venerabilium fratrum Nostrorum modernorum episcoporum, ac respectivorum etiam dilectorum filiorum capitulorum ecclesiarum cathedralium quibus praedicta territoria subjecta ad praesens reperiuntur, ab earum dioecesibus abdicare, sejungere, et separare, atque una cum locorum hujusmodi habitatoribus, incolis tam laicis quam ecclesiasticis videlicet, Kehlensi Argentinensi, Cassellensis Moguntinae, Wesellensis Aquisgranensi, Hessienguensi, Gandavensi respectivis ecclesiis et dioecesibus apostolica Nostra tibi delegata auctoritate adjungere, et incorporare, atque omnimodae jurisdictioni, et superioritati modernorum, et pro tempore existentium episcopalium ecclesiarum Argentinensis, Moguntinae, Aquisgranensis, et Gandavensis episcoporum, ita quod eis per se, vel alios eorum nomine liceat locorum praedictorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere, perpetuo subiicere, atque supponere possis, et valeas, vigore praesentium facultatem concedimus, et impertimur.

Clausulae salutares et irritantes.

§. 3. Abdicationes vero et uniones praedictas per te earumdem praesentium vigore, ut praefertur, factas, semper et perpetuo validas, et efficaces existere decernimus, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, quibuscumque etiam speciali, individua, et expressa mentione dignis non obstantibus; decernentes etiam irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, kalendis februarij, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 6 februarii 1807 anno VII.

CCCCLXXII.

Novae leges servandae in nova pontificis electione, si casus contigerit, ut illius obitus obveniat inter politicas perturbationes.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio decernendae reformationis veterum constitutionum vigentium super forma servanda in electione novi pontificis.

§. 1. Quae potissimum rationes felicis recordationis Pium papam sextum praedecessorem Nostrum impulerunt, ut in calamitosis illis, quibus in pontificatus sui exitu universa premebatur Italia, temporum circumstantiis ad futuri pontificis electionem cum in tuto ponendam, tum expeditiorem efficiendam studia sua converteret, eaedem sane, et fortasse etiam graviores efflagitant, ut in eamdem rem sollicitudinem omnem Nostram conferamus. Ut enim post tantas rerum politicarum in Europa universa vicissitudines, nemo est qui deteriora jure non vereatur, sic Nos in tanta perturbatione rerum ecclesiasticarum, nihil non timendum Nobis et sanctae huic Romanae Ecclesiae, cui divina praesumus dispositione, merito esse cognoscimus, atque idcirco nihil magis praecavendum est Nobis, quam ne, absoluto mortalis vitae Nostrae curriculo, quae de successore eligendo comitia instituenda erunt, vel per apertam vim debita libertate destituantur, vel electioni ipsi tot opponantur impedimenta, ut ea quam longissime protrahatur, aut impossibilis omnino ratio novi creandi pontificis reddatur, aut vero, quod deterrimum malorum omnium esset, dispersis, et discissis electoribus schisma conflctur. His periculis occurrere, gravissimaque detrimenta, quae Christiana res a diuturna Sedis apostolicae viduitate, aliisque modo memoratis malis caperet, removere pro munere Nostro volentes, diu multumque explorata etiam nonnullorum ex venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sententia, quid consilii in tanta re capere, quo futuris post obitum Nostrum comitiis providere possemus, animo reputavimus. Post longam deliberationem, imploratoque supremo lumine, vidimus sane, planeque prospeximus, in tanta futurorum incertitudine, impossibile ferme esse, omnes vicissitudines temporum praevidere, atque ad illas consiliorum Nostrorum rationes accomodare, propterea que putavimus, muneri Nostro minime Nos defuturos, si opportunis saltem auctoritatis Nostrae remediis Romani pontificis Nostri successoris electio quam fieri possit facilior expeditiorque reddatur.

De notitia obitus papae electoribus danda.

§. 2. Sequuto igitur obitu Nostro, quacumque Nos Deus in orbis terrarum parte, ex mortalis hisce vitae angustiis ad aeternam, quam speramus, pacem migrare jusserit, quicumque ex cardinalibus praesens ibidem aderit, et si plures erunt, antiquior in episcoporum cardinalium ordine, vel episcopis cardinalibus inde absentibus, antiquior in presbyterorum cardinalium ordine, vel demum tam episcopis quam presbyteris cardinalibus absentibus, antiquior in diaconorum cardinalium ordine, aut iis omnibus absentibus, nuntius apostolicus, sive in hujus defectu loci ordinarius, aut praelatus, vel alius quispiam in dignitate ecclesiastica constitutus quam celeriter de pontificis obitu cardinalem sacri collegii decanum certiorem faciat, qui accepto hujusmodi nuncio, vel alio quocumque modo intellecta rei veritate, compertoque sibi certissime de Sedis apostolicae vacatione, de ea doceat cardinales in presbyterorum, et diaconorum ordine antiquiores, et Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium. Deinde una cum tribus hisce cardinalibus, vel altero (pluribusque ex illis absentibus) cum eo qui praesens aderit, aut (absentibus omnibus) ipse solus, vel eo legitime impedito alius cardinalis ab ipso specialiter subdelegandus per convocationis literas cardinales omnes ubicumque sint advocet ad novi pontificis electionem peragendam eo in loco de quo infra constituetur. Quod si dispersis hac illac cardinalibus, qua in mundi parte alter, pluresve ex illis degant ignoretur, ita ut ad eos literae convocationis dari minime possint, volumus nullius unquam propterea nullitatis aut defectus insimulari posse peragendam absque

memoratorum cardinalium interventu pontificis electionem.

De loco in quo comitia erunt celebranda.

§. 3. Quo vero ad locum in quo comitia celebranda erunt, potestatem facimus tribus cardinalibus antiquioribus, uno videlicet ex quolibet ordine una cum cardinali S.R.E. camerario, vel pro camerarii munere fungente si una simul congregati erunt, aut decano sacri collegii vel alteri cardinali ab eo ut supra subdelegato cum illis ex memoratis tribus cardinalibus qui praesentes aderunt, vel ei soli (si reliqui omnes absentes sint) eam civitatem, aut locum sub quacumque cujusvis generis ditione seligendi, quae aut qui ipsis, vel ei opportunior videbitur, derogantes iis legibus, et constitutionibus apostolicis, quae de habendis comitiis in eo loco, ubi mortuus est pontifex, constitutae sunt. Cardinalibus autem omnibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut nisi legitimo impedimento detenti fuerint, literis convocationis obtemperantes ad locum, qui in iisdem literis designatus fuerit, pro perficienda pontificis electione, sine mora se conferant. Ii porro ex cardinalibus qui in loco ut supra diximus constituto una cum cardinali sacri collegii decano, vel ipso impedito, cum altero cardinali ab eo, ut diximus subdelegando congregati erunt, quique in illum locum undecumque accesserint, dummodo tot cardinales sint, qui vel per unum dumtaxat medietatem superent totius collegii cardinalium in humanis tunc existentium etiam non expectato consueto decendio a die obitus summi pontificis, atque etiam caeteris cardinalibus absentibus non expectatis, si ita cardinales una cum cardinali decano ipso, vel altero cardinali ab eo subdelegato congregati expediens judicabunt, novum pontificem libere ac licite eligant, ita ut, qui a duabus e tertiis partibus congregatorum cardinalium electus pontifex fuerit, is rite electus, et vere sit pontifex Romanus Christi vicarius, et talis ab universa Ecclesia agnosci, atque haberi debeat.

De dispensatione a solitis caeremoniis, et solemnitatibus.

§. 4. Ut vero cardinales minoribus, quoad fieri poterit impedimentis ac difficultatibus coarctentur, ut facilius pro circumstantiis temporum electio pontificis perfici possit, derogatum volumus et plane atque expresse derogamus iis omnibus caeremoniis, solemnitatibus, consuetudinibus, quae respiciunt urbem, seu locum in quo comitia habenda essent, tempus ipsius electionis peragendae, conclavis usum, clausuram, custodiamque, numerum inservientium, colloquia, cibos; salvis tamen ac firmis, non modo conditionibus omnibus, quae necessaria sunt in quavis electione canonica Romani pontificis, tam iis, quae ad loci, in quo comitia habenda erunt, securitatem pertinent, quam illis quae spectant ad electorum libertatem, et ad duas tertias partes suffragiorum eorum, qui congregati sint, quibus convenire in electum debent, seclusoque item omni ambitus ac simoniae crimine, de quo ne suspicari quidem Nos possumus, verum etiam firmis, suoque in robore omnino manentibus duabus Gregorii pp. XV. constitutionibus «*Aeterni patris*» ac *Decet*» anno 1621. editis, in iis omnibus quae tres canonicas eligendi pontificis formas respiciunt, scilicet per scrutinium, per compromissum, et per quasi inspirationem.

Monitum ad electores.

§. 5. Hisce omnibus constitutis in humilitatis spiritu, animoque contrito vitam hanc Nostram, quam a suscepto praesertim pontificatus exordio in gemitibus et dolore transegimus, creatori Nostro offerentes venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales, qui obitus Nostri tempore superstites futuri erunt (quorum jus in Romani pontificis electione apostolica praedecessorum Nostrorum auctoritate universalis Ecclesiae consensu, totque saeculorum possessione constabilitum, firmum, in suoque robore manere volumus, ac decernimus) per viscera misericordiae Jesu Christi vehementer in Domino obsecramus, obtestamurque, ut memores illius sacramenti, quo obstricti sunt tuendi ac defendendi Christi Ecclesiam usque ad sanguinis effusionem, atque in tanto Christianae rei periculo, privatis rationibus ac personarum acceptione Dei gloriae et Ecclesiae tranquillitati postpositis, concordibus animis, ac voluntate in hanc unam curam incumbant, ut ne nimirum diu Petri navicula tantis agitata tempestatibus rectore suo careat, nec Dominicus grex tot lupis undecumque irruentibus pastore destituatur, illud

habentes propositum ab optima ac celeri summi pontificis electione salutem maxime populi christiani pendere, ipsosque severissimo Dei judicio puniendos, si culpa aut negligentia eorum fiat, ut longiori quam par est spatio apostolica haec Sedes vacet, indeque Christiana respublica aliquid detrimenti capiat.

De observantia hujus novae legis.

§. 6. Omnia autem quae in his literis Nostris sancita aut constituta sunt valere ac servari volumus, ac decernimus non modo in iis comitiis, quae de pontifice eligendo prima post obitum Nostrum futura sunt, verum etiam in sequentibus donec a Romano pontifice pro tempore existente non fuerint revocata et annullata, et quacumque in orbis terrae parte tam Nos quam successores Nostri e vivis excesserint,

Poenae contra inobedientes impictae.

§. 7. Quia vero res de qua agitur tanti momenti est, ut ab ea potissimum et matura pontificis electio et catholicae unitatis conservatio, et Ecclesiae tranquillitas pendere videatur, Nos utentes apostolica Nostra auctoritate in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis praecipimus, ne quis e sacro collegio cardinalium fas sibi esse quovis praetextu arbitretur his quae a Nobis per has literas Nostras praescripta sunt repugnare, quin imo volumus, ut universi singula quaeque servare, atque exequi teneantur.

De recitatione harum literarum ante electionem pontificis.

§. 8. Hanc etiam ob causam mandamus, ut hae literae apostolicae voluntatis Nostrae testes prima die, in qua ad suffragia cardinales convenerint palam recitentur, et si qua in re, aut interpretatione, aut declaratione aliqua indigere videbuntur, id per sententiarum pluralitatem ab iisdem cardinalibus, qui congregati fuerint interpretetur, ac declararetur, ita ut quidquid a majori parte cardinalium congregatorum constitutum hac ratione fuerit, id habeatur perinde ac apostolica auctoritate esset a Nobis constitutum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet in praemissis jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, sed easdem praesentes literas semper et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari quoque debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac tam Alexandri III. quam Gregorii X. et Clementis V. ac Pii IV. aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum circa electionem summi pontificis hactenus editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis earum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, quad reliqua in eis contenta in suo robore permansuris, volumus et mandamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus insuper, et apostolica auctoritate decernimus quod praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo octavo idus februarii, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 13 februarii 1807 Anno VII.

CCCCLXXIII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub titulo sancti Petri in civitate Urbinatensi, et incorporatio bonorum favore seminarii episcopalis ejusdem civitatis cum nonnullis conditionibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Clericorum seminaria, ubi adolescentes in sortem Domini vocati ad religionem, et bonas artes informantur, ut ipsi postea ad sacros ordines permoti verbo, et exemplo salutis viam laicis ostendant, non modo pastoralem episcoporum curam efflagitant, sed Nos quoque movent, ut ea, quae utilitatem, et commodum seminariorum hujusmodi respiciunt, libenter concedamus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Spiridion archiepiscopus Urbinatensis seminarium illud dioecesanum sufficientibus redditibus esse destitutum. Cum autem ibi extet unum jamdiu vacans beneficium curatum sub titulo s. Petri vulgo de Maciolla annui redditus biscentum circiter scutatorum monetae Romanae, qui redditus per fel. rec. Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum ad quinquennium tunc proximum tantum fabricae metropolitanae ecclesiae fuerat addictus, et successive per Nos die v. aprilis MDCCCV. ad aliud tunc proximum quinquennium pariter assignatus, addita facultate eidem archiepiscopo aliquam redditus hujusmodi partem erogandi in subsidium ejusdem ecclesiae sacristiae, quae in notissimis Italiae vicissitudinibus ob validam illius civitatis resistentiam adgressoribus factam rebus omnibus pretiosis, ac tandem vel ipsa metropolitica aurea rosa, quam antea archiepiscopus diligenter, et cum sui periculo occultaverat, spoliata remansit; cumque idem archiepiscopus pro eo, quo in bona senectute adhuc fervet pastorali zelo, dicto seminario sufficientibus redditibus carenti, dictaeque sacristiae ob nonnullorum et fundorum deperitionem extrema sacrarum suppellectilium inopia laboranti, per Nos, et hanc s. Sedem prospici vehementissime cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum archiepiscopum in suo laudabili proposito, quantum cum Domino possumus, confovere volentes, ac tam ipsum, quam reliquas singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, statim ac reliquum concessionis praedictae per Nos ad quinquennium factae tempus expiraverit, memoratum sancti Petri beneficium cum omnibus, et singulis ejus redditibus, et pertinentiis universis, exceptis proventibus stolae, ut vocant, qui semper pro infrascripto cappellano curato remaneant, eidem seminario dioecesano Urbinatensi auctoritate apostolica, tenore praesentium ex nunc, pro ut ex tunc, et e contra addicimus in perpetuum, et adsignamus, atque addictum, assignatumque esse, et fore decernimus, ac declaramus, cum sequentibus tamen legibus, et conditionibus, sine quarum singulis nunquam huic concessioni fuisset locus; ideoque vel una earum inexpleta remanente, tunc praesentem gratiam eo ipso cessasse edicimus.

Conditiones concessioni adjectae.

§. 4. Conditiones autem sunt I. Onera quaecumque eidem beneficio ex lege fundationis adnexa indispensabiliter, et in perpetuum adimpleantur. II. Instituatur perpetuus, et inamovibilis cappellanus curatus animarum curam gerens, cui cedant singula stolae jura, et alii quicunque similes parochiales proventus, ac eorum reservata remanente ex beneficii hujusmodi redditibus congrua quinquaginta scutatorum annuorum dictae monetae Romanae praecipua, et libera ab omni alio onere illarum quoque missarum, quae pro populo applicari debent. In casu autem morae solutionis hujusmodi, ipsemet cappellanus curatus ex ejusdem beneficii redditibus per se ipsum dictam pecuniae summam auferat sine ulla

praevia juridica interpellatione. III. Quidquid ex redditibus supererit expletis oneribus, impendatur dictae sacristiae donec, et quoad tantum conficiatur nova rosa aurea metropolitica pondere, et labore mediocris IV. Qua rosa confecta, redditus praedicti in seminarii subsidium integri convertantur, ita tamen, ut praeter memorata onera solvat scutata annua quinquaginta in perpetuum sacristiae praedictae. V. Seminarii rector, vel quivis alius de more deputatus realem, et corporalem bonorum ad dictum beneficium spectantium nomine ipsius seminarii adipiscatur, ac singulis annis rationem separatam hujusmodi reddituum reddat nunc, et pro tempore existenti archiepiscopo, cujus conscentiam oneramus, ut ex hujusmodi parochialis beneficii redditibus quidquam eleemosynae pauperibus ejusdem paroeciae annuatim distribuatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus concilis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti beneficii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia februarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXXIV.

Dat. die 20 februarii 1807 anno VII.

Concessio missae propriae beatae Mariae virginis Conceptionis pro episcopo Mindoniensi in loco nuncupato Fras de-Onterio intra limites paraeciae sancti Vincentii de Vimianzo dioecesis Compostellanae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio et tenor concessionis.

§. 1. Quum venerabilis frater Andreas episcopus Mindoniensis prout nuper Nobis est ejus nomine expositum, oratorium publicum titulo Conceptionis beatae Mariae virginis in propria domo, quae manet in loco vulgo dicto Fras de Onterio intra limites paraeciae s. Vincentii de Vimianzo Compostellanae dioecesis, erexerit, atque ad majorem ipsius virginis beatissimae cultum in oratorio hujusmodi sibi per Nos, ut infra, indulgeri humiliter flagitaverit; Nos audito dilecto filio magistro de Carpineo congregationis sacrorum rituum secretario, eumdem episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut quotannis in posterum in oratorio praedicto occasione peculiaris festi, quod in memoriam ejusdem Conceptionis Nostrae Dominae

agetur in dominica post octavam illius assumptionis, dummodo non occurrat officium ritus duplicis primae vel secundae classis, a cunctis sacerdotibus eo ad sacrificandum convenientibus missa propria Conceptionis beatae Mariae virginis cum commemorationibus tamen officii diei, dominicae, aliisque occurrentibus juxta rubricas, tam in una missa cum cantu, quam in ceteris sine cantu; occurrente vero officio ritus duplicis secundae classis dumtaxat, tunc una tantum missa cum cantu, ut supra celebrari libere ac licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima februarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 22 februarii 1807 anno VII.

CCCCLXXV.

Subjectio nonnullarum ecclesiarum Rutheni ritus existentium in regno Bohemiae, et Hungariae juri metropolitico archiepiscopi Kioviensis.

Pius Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium. §. 1. In universalis Ecclesiae regimine divina disponente clementia, meritis licet imparibus collocati, ad gregem Dominicum oculos Nostrae mentis intentos semper habentes, et quid apostolicae providentiae impendere debeamus, ut utique comode atque utiliter gubernetur, et ad coelestia pascua fideliter dirigatur, eam potissimum muneris Nostri curam agnoscimus, quod tot ecclesiarum praesules opportunis pro commodiori populorum spirituali regimine praerogativis decorentur. Ea propter Christianorum principum vota hisce in rebus favore complectimur, et nonnulla interdum statuere curamus, quae in Domino salubriter conspicimus expedire.

§. 2. Postquam felicis recordationis Clemens papa octavus praedecessor Noster tunc cum Michael tertius Kioviensis metropolita, assentientibus aliis episcopis Rutensibus concilio coacto in civitate Brestiae, et publice in eo nationis Ruthenae cum apostolica Sede unione statuta, ad eam perficiendam duos episcopos Romam miserat, nationem praedictam ad Sanctae Catholicae Romanae Ecclesiae communionem recepit, atque hanc unionem per suas apostolicas sub plumbo expeditas literas incipientes »*Magnus Dominus*» anno pontificatus sui quarto datas, et incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, decimo kalendas januarii approbavit et confirmavit, nec non per alias similes literas incipientes «*Decet Romanum pontificem*» eodem incarnationis Dominicae anno expeditas ac datas septimo kalendas martii idem pontifex postmodum archiepiscopo Kioviensi Ruthenorum metropolitano facultatem benigne concessit confirmandi nomine apostolicae Sedis episcopos suffraganeos ejusdem ritus in Polonia existentes, eosque juxta illius ritus, in Polonia existentes, eosque juxta illius ritus formam consecrandi. Alia etiam haec apostolica Sedes diversis temporibus quoad Ruthenam nationem praedictam disposuit praecipue per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis de propaganda fide praepositorum, ac insuper de anno Domini millesimo septingentesimo vicesimo de speciali assensu felicis recordationis Clementis pp. XI. praedecessoris Nostri coacta in civitate Zamosciae synodo nationali Ruthena, eique praesidente Hieronymo bonae memoriae archiepiscopo Edessae, tunc in Poloniae regno Sedis apostolicae nuntio, deinde S. R. E. cardinali Grimaldo nuncupato, ac in eo nonnullis statutis, atque ordinatis, cum Benedictus recolendae memoriae papa decimus tertius similiter praedecessor Noster satis comperit hujusmodi statuta et ordinationes ecclesiasticae disciplinae summopere esse pro futura, per apostolicas suas literas incipientes «*Apostola-*

Historia rerum actarum occasione decretae unionis ecclesiarum nationis Ruthenae.

tus officium » in forma brevis expeditas sub annulo piscatoris die nona mensis julii anno millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pontificatus sui anno primo, firmis tamen semper remanentibus aliorum praedecessorum pontificum constitutionibus, et apostolicis ordinationibus, alisque etiam in generalibus conciliis super Graecorum ritibus emanatis decretis, ac salva quoque auctoritate venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, tam de propaganda fide negotiis praepositorum, quam Tridentini concilii interpetrum respectivarum congregationum, benigne atque expresse approbavit, et confirmavit.

Memoratur erectio Sedis episcopalis Suprassiae facta a Pio VI.

§. 3. Ob varias postmodum temporum vicissitudines, et praecipue immutatum temporalis jurisdictionis dominium in illis partibus in quibus Ruthenorum ecclesiae collocatae reperiebantur, necesse visum fuit, ut ab apostolica Sede saepe numero super his rebus negotia nonnulla gererentur, ita ut de natione hujusmodi Ruthena sedulam curam suscipiendo, perspectis circumstantiis aliqua de novo statuere Sedes ipsa apostolica haud neglexerit, et pontifex quoque immediatus praedecessor Noster Pius papa sextus recolendae memoriae episcopalem ecclesiam ejusdem Rutheni ritus erexerit in civitate Suprassiae tunc in serenissimi regis Borussiae ditione existente, nec non quoad metropolitanam Kioviensem, aliasque episcopales ecclesias ejusdem ritus Russiaco in imperio existentes plura statuere non omiserit.

Preces porrectae pro obtinenda variatione juris metropolitici.

§. 4. Nobis autem nuper exposito, quod populi catholici Rutheni ritus Leopoliensi, Kelmensi, et Premisliensi respective episcopis subjecti et in charissimi in Christo filii Nostri Francisci primi Austriae imperatoris ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici ditione existentes, ad metropolitanum Kioviensem appellare, et episcopi ipsi suum metropolitam consiliorum eorum participem facere minime respective possint, quodque laudatus Franciscus imperator et rex summopere cupiat Ruthenorum in regno Galliciae existentium spirituali bono consulere, atque idcirco a Nobis singulari studio per suas literas postulaverit, ut a jure metropolitico praedicti archiepiscopi abdicatis ecclesiis antedictis, Leopoliensem cathedralem ecclesiam, quae a felicis recordationis Joanne papa vicesimo tertio per suas literas Romae datas quinto kalendas septembris pontificatus sui anno tertio antequam sedem Haliciensem transferendo in metropolitanam sub invocatione beatae Mariae virginis tunc fuerat erecta, ac deinceps ad simplicis episcopalis ecclesiae statum redacta, nunc denuo in metropolitanam, cum unione tituli dictae perantiquae Haliciensis ecclesiae, cujus territorium intra limites suae ditionis modo reperitur, per Nos erigatur, nec non Kelmensis, et Premisliensis respective episcopales ecclesiae ejusdem novae metropolitanae Leopoliensis ecclesiae suffraganae declarentur, ac demum gratiae et indulta praecipue quoad jus nominationis ad illas, et ad illarum praesulum canonicam institutionem respective concedantur.

Ratio concessionis.

§. 5. Nos itaque, temporum, et locorum circumstantiis mature perspectis, agnoscentes plures, easque non leves esse difficultates, quae opponuntur Kioviensi archiepiscopo ad exercendum jus secum metropoliticum in Ruthenos Galliciae regno subjectos, compertaque necessitate occurrendi stabili methodo spirituali Ruthenorum regimini apostolici officii Nostri esse duximus vota precesque ejusdem Francisci imperatoris ac regis benigne suscipere, et illis quantum opportune in Domino possumus clementer obsecundare.

Tenor concessionis.

§. 6. Quapropter ne in injuncto Nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, venerabili fratri Nostro Antonio Gabrieli archiepiscopo Petrensi, atque ecclesiarum Viterbiensis, et Tuscanensis invicem perpetuo canonice unitarum episcopo, nec non Nostro et Sedis apostolicae nuncio Viennae Austriae commoranti, per praesentes committimus et mandamus, ut sive per se, sive per aliam personam ecclesiasticam ab eo ad hoc specialiter subdelegandam, certiorato prius venerabili etiam fratre Nostro Eraclio Lissonsks ecclesiae Plocensis archiepiscopo, atque in praesentiarum, attenta vacatione metropolitanae Kioviensis ejusdem ecclesiae et dioecesis administratore, titulum perantiquae ecclesiae Haliciensis a metropolitana ecclesia Kioviensi, cui pridem unitus fuerat apostolica No-

stra sibi delegata auctoritate, servatis servandis, disjungat, ac separet, nec non memoratas ecclesias episcopales Rutheni ritus Leopoliensem, Kelmensem, et Premisliensem antea ejusdem metropolitanae ecclesiae Kioviensis suffraganeas a quacumque superioritate, et metropolitica jurisdictione ecclesiae, et archiepiscopi Kioviensis extra praedicti Francisci imperatoris ac regis ditionem in praesentiarum existentis, sejungat, abdicet, et absolvat, atque in posterum separatas et minime archiepiscopatui, ac pro tempore existenti ipsius ecclesiae Kioviensis antistiti, subjectas esse declaret.

Prosequitur ut supra.

§. 7. Episcopalibus autem ecclesiis Rutheni ritus superius expressis, videlicet Leopoliensi, Kelmensi, et Premisliensi, sic a metropolitica nominatae archiepiscopalis ecclesiae titulum alterius ecclesiae Haliciensis simili facultate uniat, ac perpetuis futuris temporibus unitum esse, ac fore declaret, ac Nostro nomine decernat ita ut quicumque in posterum cathedram Leopoliensem canonice occupaverit una simul nuncupetur et inscribatur Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum unitarum praesul, et deinde sic, ut praefertur, unitas Leopoliensem, et Haliciensem ecclesias ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, beatissimae virginis Mariae, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, nec non ad fidei catholicae exaltationem, totius militantis Ecclesiae decus in ecclesias archiepiscopales Rutheni ritus unitas, et metropolitanam pro uno archiepiscopo, qui pallii et crucis usum more archiepiscoporum ejusdem ritus habeat, aliisque gaudeat privilegiis, praerogativis, honoribus, et juribus similibus archiepiscopis debitis, et concessis, quibus omnibus pro tempore existentes hujus Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum invicem, ut praefertur, unitarum archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere possint, et valeant, ac etiam debeant, apostolica Nostra hujusmodi sibi delegata auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo erigat, et instituat, ita ut dictarum Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum unitarum praesules omnia, et singula quae ad similes Ruthenae nationis, et ritus archiepiscopos in eorum civitatibus et dioecesibus ad archiepiscopale munus exercendum de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet spectare et pertinere solent, ac debent, gerere, facere, et exercere libere ac licite possint, plenam, et omnimodam auctoritatem tenore praesentium concedere et impertiri Nostro nomine possint et valeant.

Idem ut supra

§. 8. Alteras vero ecclesias episcopales supradictas, Kelmensem videlicet et Premisliensem jam per eum Nostro nomine ut supra a metropolitico jure, et respectiva subjectione archiepiscopi Kioviensis exemptas et liberatas, ad hoc ut ecclesiasticae hierarchiae in toto catholico orbe semper servetur ordo, in praedictarum archiepiscopalium Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum invicem unitarum suffraganeas assignet, atque illarum episcopalium ecclesiarum praesules, et loca omnia, personasque tam ecclesiasticas, quam laicas in earum respective dioecesibus existentes, pro tempore existentium archiepiscoporum antedictarum Leopoliensis, et Haliciensis invicem ut praefertur unitarum ecclesiarum metropolitico juri, simili Nostra delegata auctoritate perpetuo subjiciat, atque supponat.

Declarationes speciales.

§. 9. Volumus autem, ut hujusmodi ecclesia cathedralis Leopoliensis ad metropolitanae ecclesiae gradum evecta una cum suo capitulo, et eodem quoad praesens reperitur Leopoliensis et Haliciensis dioecesis territorio firma etiam in posterum remaneat, ut futuri ac pro tempore existentes Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum praesules omnes et singulos eis spectantes fructus, redditus ac proventus, quos episcopi Leopolienses huc usque perceperunt, quique ad annuos decem mille florenos monetae illarum partium ut asseritur ascendunt, integre ac libere percipiant; ac insuper eidem futuro metropolitano summam assignes aliorum florenorum similium bismille a praelaudato Francisco imperatore ac rege annuatim persolvendam, usque dum nonnulla bona perantiquae mensae Haliciensi antea spectantia, et ob temporum vicissitudines in aliorum potestate existentia opportune recuperentur.

Alia similia ut supra.

§. 10. Quum vero omnia, et singula superius expressa Nostro nomine ab antedicto venerabili fratre Antonio Gabriele fuerint expleta, Nos eidem

Francisco imperatori ac regi, ejusque in Galliciae regno successoribus facultatem in quolibet vacationis casu nominandi ad antedictas Leopoliensem et Haliciensem invicem unitas archiepiscopales ecclesias, et Kelmensem, et Premisiliensem ecclesias episcopales infra tempus a jure praefixum ecclesiasticas personas idoneas iis dotibus praeditas, quae juxta sacrorum canonum praescripta, et juxta statuta supramemoratae synodi Zamosciensis requiruntur de specialis dono gratiae impertimur, cum lege tamen quod quandocumque metropolitana ecclesia Leopoliensis et Haliciensis vacare contigerit, quilibet ad eam nominatus confirmationem suae nominationis, institutionem, et provisionem ecclesiae hujusmodi, nec non muneris consecrationis licentiam a Nobis, et a Romano pontifice pro tempore existente petere atque obtinere, literasque apostolicas in consueta forma per secretam viam de curia nuncupatam expedire facere omnino debeat, ac teneatur. Nos enim futurum ac pro tempore existentem archiepiscopum dictarum ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis invicem unitarum Ruthenorum omnium in laudati Francisci imperatoris ac regis dominio degentium metropolitam declaramus cum auctoritate singula exercendi, quae ad hujusmodi jus metropoliticum dignoscuntur pertinere. Eidem insuper futuro, ac pro tempore existenti Leopoliensis, et Haliciensis unitarum ecclesiarum metropolitae attentis peculiaribus circumstantiis, et de speciali indulgentia facultatem concedimus nominatos ad suas suffraganeas episcopales ecclesias Kelmensem et Premisliensem dummodo iis dotibus praediti sint, quae ut supra dictum est requiruntur, auctoritate et nomine Sedis apostolicae confirmandi, et instituendi, munusque consecrationis impendendi iisdem modo ad forma, quibus facultas hujusmodi metropolitano Kioviensi ab antedicto Clemente papa octavo praedecessore Nostro per suas apostolicas literas secundo loco supramemoratas, fuerat elargita.

Confirmatio actorum synodalium habitorum in synodo Zamosciae.

§. 11. Volumus etiam, quod omnia, et singula, quae statuta fuerunt in laudata Zamosciae synodo per apostolicam Sedem confirmata nunc et in posterum a Leopoliensi et Haliciensi metropolita, atque ab episcopis Kelmensi, et Premisliensi, et ab universa natione Ruthena observentur, firmis et in suo robore semper mansuris apostolicis constitutionibus, et conciliorum generalium decretis super ritibus Graecorum emanatis, nec non venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium tam negotiis de Propaganda Fide praepositorum, quam interpretum concilii Tridentini respectivarum congregationum auctoritate salva semper, et integra remanente,

Protestationes de non laedendis juribus ab aliis legitime quaesitis.

§. 12. Volumus praeterea quod per disposita in hisce Nostris literis nullum de cetero juribus ac privilegiis metropolitanae ecclesiae Kioveinsis praejudicium inferatur, nec quidquam circa Ruthenorum imperio in Russiaco existentium ecclesiasticam hierarchiam censeatur immutatum.

Conservatio jurium monachorum sancti Basilii magni.

§. 13. Denique volumus quod nihil pariter super ordine regulari monachorum sancti Basilii Magni ejusdem Ruthenae nationis innovatum intelligatur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 14. Praesentes literas Nostras, et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quamtumvis juridica, et legitima etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, aut jure, vel facto seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa etiam quantumvis rationabili, legitima, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, aut ad terminos juris vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine concesso et impetrato, aut emanato

quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et apostolicas constitutiones, aut cancellariae Nostrae apostolicae regulas comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenariae reintegratas esse et fore; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, aut privilegio fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, seu quacumque instantia judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus quibusvis etiam in provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque Kioviensis, Leopoliensis, Haliciensis, Kelmensis, Premisliensis, respective ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriis, et clausulis, irritantibusque decretis in contrarium praemissorum forsan concessis, approbatis, et confirmatis; quibus omnibus, et singulis etiam si de illis specialis, specifica, et expressa mentio, aut expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes ad praemissorum validitatem plenissime ac specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 16. Praeterea etiam volumus, quod earumdem praesentium transumptis etiam typis impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, ac si illae exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum commissionis, disjunctionis, abdicationis, separationis, erectionis, unionis, indulti, concessionis, impertitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, octavo kalendas martii, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXXVI.

Dat. die 27 februarii 1807 anno VII.

Declaratio, et ampliatio facultatum concessarum guardiano, et fratribus ordinis minorum sancti Francisci conventus, vel seminarii de Mezzaofrio Portugallensis dioecesis super applicatione legum, et statutorum alterius seminarii de Varatojo, aut Brancannes.

Venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Nisibensi in Portugalliae, et Algarbiorum regnis Nostro, et Sedis apostolicae nuntio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam
benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni guardianus, et fratres ordinis minorum s. Francisci conventus, vel seminarii de Mezzaofrio Portugallensis dioecesis,

quod ipsi per Nostras in simili forma brevis die 11. octobris MDCCCIV. expeditas literas obtinuerunt, ut dictus eorum conventus, vel seminarium legibus, et statutis alterutrius seminarii conventualis de Varatojo, aut Brancannes a te auctoritate Nostra apostolica in perpetuum subijcerentur, sub certis modo, et forma tunc expressis, prout ex iisdem Nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, pro dictarum literarum executione quaedam tibi obveniat difficultas ex eo, quodin narratoria earum parte expositiva praetermissum reperiatur, dicti conventualis seminarii de Mezzaofrio statuta licet bis condita suo tamen effectu caruisse, et adhuc fortasse carere, quippe quia auctoritate apostolica minime umquam munita fuere, cumque accedat praeterea notabile discrimen, et varietas, quae inter hujusmodi statuta, ac alia dicti seminarii Brancannensis statuta intercedit, eoque magis quod huic seminario per fe. rec. Clementem pp. XI. praedecessorem Nostrum auctoritate apostolica extensae, et communicatae fuerant gratiae, et privilegia, quae recolendae memoriae Innocentius pp. XI. praedecessor itidem Noster pro seminariis hujusmodi Hispanis per suas in simili forma brevis die xvi. octobris MDCLXXXVI. datas literas indulserat, idcirco dicti guardianus, et fratres rem omnem melius, quam antea aperientes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor electionis. §. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia sanatione cujuscumque defectus in dictis Nostris literis obvenientis ex memoratis causis fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut dicto seminario conventuali de Mezzaofrio leges, et statuta alterius seminarii praedicti Brancannensis cum omnibus, et singulis privilegiis, facultatibus, et gratiis, comprehensis etiam modificationibus per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Propagandae Fidei praepositorum in capitulo generali die xvi. novembris MDCLXXXVIII. editis auctoritate Nostra apostolica in perpetuum communices; dictique seminarii de Mezzaofrio alumnis nunc, et pro tempore existentibus, ut singulis privilegiis, favoribus, et gratiis ab hac s. Sede pro alumnis Brancannensis seminarii utcumque concessis, aliisque indultis, quibus hi Brancannenses alumni quomodolibet fruuntur, et gaudent pari modo, et aeque principaliter frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis dictarum Nostrarum, et Innocentii praedecessoris memoratarum literarum forma, et dispositione, eadem auctoritate, concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum seminariorum, et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis,

et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis. §. 3. Volumus autem, et declaramus, ut ob alumnorum in Mezzaofrio degentium paucitatem, ipsi ab obligatione suffragiorum, quae in obitu uniuscujusque fratris provinciarum, quibuscum ratione communicationis hujusmodi conjunguntur, fieri solent, exempti remaneant, ac vicissim provinciarum alumni ad suffragia hujusmodi pro iis, qui in dicto seminario de Mezzaofrio decesserint celebranda minime teneantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima februarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 10 martii 1807 anno VII.

CCCCLXXVII.

Canonicis ecclesiae collegiatae sancti Pauli Civitatis Novae Firmanae dioecesis conceditur usus cappae magnae, cottae, et roccheti, et aliis beneficiatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium. §. 1. Romanus pontifex universae regendae Ecclesiae praepositus singularium quoque respicit statum, ecclesiarum, ac eas, quas clariore noscit celebritate praestare ad augendum divini cultus splendorem, praecipuis praerogativis illustrat, earum ministros majoribus honorificentiis ornat, ut magis magisque, et domui Domini decus, et fideli populo devotio accrescat.

Expositio precum. § 2. Quum itaque oppidum Civitatis Novae sicut Nobis est nuper expositum, satis eminet inter terras Firmanae dioecesis primarias, ibique insignis, prout asseritur, collegiata existat ecclesia s. Pauli pro qua affabre riaedificanda, cunctisque in partibus cumulate absolvenda, et campanis, organo, altaribus, quorum majus ex marmore est totum exstructum, ac caeteris rebus, atque suppellectilibus decore locupletanda adeo magni sumptus facti sunt a dilectis filiis capitulo, et canonicis, ut aere etiam alieno se praegravari non formidaverint, flagitentque propterea ad tanti operis implementum, si benignitati Nostrae placuerit, se quoque ut infra condecorari.

Tenor concessionis. §. 3. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut imposterum perpetuis futuris temporibus archipresbyter dignitas, et canonici praedictae ecclesiae collegiatae, et successores eorum cappam magnam, sed ex serico tantum rubri coloris supra rocchetum durante hyeme, cottam autem, et rocchetum aestate. Beneficiati vero, et clerici de choro nuncupati ejusdem ecclesiae praesentes, et futuri semicappam ex serico coloris violacei supra cottam, quae tamen manicis careat tempore hyemali, cottam autem tantum cum manicis tempore aestivo, inducere, et tam in choro, intraque ecclesiam quam extra in quibusvis functionibus sacris adhibere, et gestare libere ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praememorato capitulo plenarie suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in prae-

missis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S.R.E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima martii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12 martii 1807 anno VII.

CCCCLXXVIII.

Dismembratio territorii districtus di Egre a jurisdictione ordinaria archiepiscopi Ratisbonae, ejusque unio, et incorporatio dioecesi Pragensi.

Pius Episcopus

Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Antonio Theodoro S. R. E. presbytero cardinali de Colloredo nuncupato archiepiscopo Olomucensi.

Salutem, et apostolicam benedictionem

Proemium.

§. 1. Eximia catholicorum principum reverentia, ac devotio, qua in divi Petri cathedram se gerunt, ita excitat cor Nostrum, ut illa, quae quandoquidem ab illis petuntur, apostolica benignitate excipere impellamur, prout tantorum principum preces, et locorum, ac temporum exigunt peculiares circumstantiae, atque apostolicae Sedis ad eas convenit inclinatio.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur nomine charissimi in Christo filii Nostri Francisci primi Austriae imperatoris, atque Hungariae, et Bohemiae regis apostolici expositum Nobis fuerit, quod summopere ad praesens ei expedire videatur, ut territorium districtus comitatus di Egre vulgo nuncupatum, intra limites imperialis suae ditionis existentem, cujus habitatores spirituali ordinariae moderni archiepiscopi Ratisbonensis jurisdictioni subjecti reperiuntur, a praefati Ratisbonensis archiepiscopi dioecesi modo abdicarentur, atque locorum hujusmodi habitatores praedicti, obedientiae et superioritati moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Pragensis subijcerentur, ut in posterum ab hoc praesule ecclesiastico moderati opem in spiritualibus ab eo facilius valeant implorare.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos idcirco rerum omnium inspectis circumstantiis, antedicti Francisci imperatoris ac regis votis, ex apostolicae Sedis indulgentia, benigne annuendum esse censentes, tibi dilecte fili Noster, ut communicata re cum venerabili fratre Antonio Gabriele Severoli archiepiscopo Petrensi et episcopo ecclesiarum Viterbiensis, et Tuscanensis invicem perpetuo canonice unitarum, ac Nostro et Sedis apostolicae nuncio Viennae in Austria commorante, exquisitoque, et accepto ab ipso Antonio Gabriele consensu venerabilis fratris moderni archiepiscopi metropolitanae ecclesiae Ratisbonensis, cujus authenticum exemplum ad urbem mittere teneatur, integrum territorium districtus comitatus di Egre, ut praefertur, nuncupatum in imperiali ditione ejusdem Francisci imperatoris ac regis existentem, omniaque in eo contenta loca, et respective sitas ecclesias, etiam parochiales ac monasteria, conventus, et beneficia, ac jura, nec non utriusque sexus personas, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, ac regulares quoscumque, et cujuscumque etiam sint status, gradus, ordinis, ac conditionis ab enunciata dioecesi Ratisbonensi apostolica Nostra specialiter ad hoc delegata auctoritate sive per te, sive per aliam ecclesiasticam personam ad hoc a te specialiter subdelegandam, abdicare, sejungere, et

separare, atque una cum habitatoribus, et incolis praedictis metropolitanae ecclesiae et dioecesi Pragensi, simili apostolica auctoritate, unire, adjungere, et incorporare, nec non omnimodae spirituali jurisdictioni, superioritati, et obedientiae venerabilis etiam fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis metropolitanae ecclesiae Pragensis antistitis subjicere possis, ita quod dictae ecclesiae Pragensis praesul per se, vel alium, seu alios ejus nomine totius territorii praedicti cum in eo contentis locis, ecclesiis, et monasteriis, ejusque pertinentiis, juribus, et annexis veram, realem, et actualem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere potestatem habeat, libere ac licite valeas vigore praesentium facultates omnes necessarias, et opportunas concedimus, et impertimur.

§. 3. Abdicationem vero, et unionem praedictas, praesentium vigore apostolica delegata auctoritate, ut praefertur factas, semper ac perpetuo validas et efficaces existere, ac fore decernimus, suosque plenarios ac integros effectus sortiri, et obtinere, Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum etiam spectabit, inviolabiliter observari volumus, et mandamus, quibuscumque etiam speciali, expressa, et individua mentione dignis non obstantibus: ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum quoque, et inane etiam decernimus. Clausulae salutares, et irritantes.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quarto idus martii pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS VII.

ANNO OCTAVO

Dat. die 17 martii 1807 anno VIII.

CCCCLXXIX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis qui occasione capituli generalis visitaverint ecclesiam sancti Caroli ad Catinarios urbis, vel alias congregationis sancti Pauli decollati Barnabitarum.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis

Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus capitulum generale clericorum regularium congregationis s. Pauli decollati Barnabitarum nuncupatorum in ecclesia, seu collegio s. Caroli a Catinari vulgo nuncupat. de urbe propediem benedicente Domino celebrandum sit; Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis congregationis hujusmodi ubicumque existentibus, die quo incohabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima martii, millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 24 martii 1807 anno VIII.

CCCCLXXX.

Concessio indultorum, et gratiarum, quibus caeterae utuntur commendae hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani pro commenda Fanensi erecta a praesule Castruccio Castracani, cum participatione privilegiorum a Clemente VIII. concessorum ecclesiae commendae de Insula nuncupatae.

Dilecto filio Nostro Romualdo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Braschio de Honestis nuncupato prioratus urbis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani magno priori.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecit dilectus filius Castruccius Franciscus Castracani Antelminelli praeceptor, seu commendatarius hospitalis s. Joannis Hierosolymitani, et magister, seu praelatus Romanae curiae Nostrae de numero protonotariorum participantium decanus, quod ipse zelo devotionis accensus erga hospitale praedictum praeceptoriam, seu commendam conventualem, seu collegialem sanctorum Augustini, et Norberti Fanen de jure patronatu fundavit, et hanc fundationem, praevio consensu camerae communis aerarii, ac linguae Italiae consilium hospitalis ejusdem die decima quarta octobris millesimo septingentesimo nonagesimo primo ratam, probatamque habuit, atque admisit. Aegre autem ipse ferens plures in nuperis perturbationibus amissas esse ab hospitali commendas, eamque praesertim, quae nominabatur de Insula Viridi Argentinensis dioecesis, in ejus ecclesia, vel ecclesiis pontificalium usus a recolendae memoriae Clemente pp. VIII. praedecessore Nostro per apostolicas suas in simili forma brevis die v. aprilis MDLXXXXVI expeditas literas commendatariis illius praelatis specialiter concessus vigebat, ut aliquam eo, quo posset modo, compensationem talibus amissionibus, ac detrimentis afferret, statuit in sua commenda praedicta ecclesiam aedificare, ac locupletioribus fundis augere pro congrua tum commendatarii, tum cappellanorum obedientiae ibi instituendorum sustentatione, ea scilicet mente, ac spe non defutura ecclesiae isti eadem pontificalium privilegia, quibus praedita erat commenda Insulae Viridis per s. Sedem impertienda. Auxit quidem bonis commendam suam exponens, et augumentum hujusmodi admissum, probatumque fuit duplici decreto dilectorum filiorum consilii hospitalis, primo nempe die xxii. decembris MDCCLXXXXIV. altero anni MDCCLXXXXVI. quo duorum tantum loco sex, qui debebant institui cappellanorum obedientiae numerus fuit praefixus juxta s. m. Pii pp. VI. praedecessoris itidem Nostri apostolicas literas datas die xxiv januarii MDCCLXXXXVII. Verum illius vicissitudines temporis causa fuere, cur aedificatio ecclesiae interim suspensa maneret. Perrexit tamen exponens in novis semper bonis adijciendis commendae, annoque 1802. confectum fuit juxta morem, et ab assemblea prioratus urbis approbatum cabreum, ac subinde anno 1804. quo majus evaderet in ecclesia aedificanda divinum servitium, majora adhuc sunt per exponentem addita praedia, quae jam antea assignatorum duplicarunt valorem, iterum tamen declarando, prout et prius declaraverat, quam formaretur cabreum, suum in his additionibus animum esse, ut eius commendam decorandam fore promereretur indultis, et gratiis, quas alii fundatores, qui vel minimorum redituum erexerunt commendas, favorabiliter impetrarunt. Quoniam vero in memorata commenda Fanensi extructa nunc tandem ecclesia est, ac forinsecus porticu, et turri cum quatuor campanis, interius autem pluribus cappellis, altaribusque, organo, et odeis, choro, et presbyterio quibusvis functionibus apto, sacrisque suppellectilibus magnificenter ornata, ecclesiam hujusmodi cupit idcirco exponens recensitis privilegiis a Clemente VIII. praedecessore Nostro ecclesiae commendae de Insula Viridi impertitis per Nos aeque ditari, enixisque humiliter precibus a Nobis deposcit.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur, quibus summopere est cordi, ut divinus cultus magis in dies propagetur, et vigeat, ipsumque exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, circumspectioni tuae dilecte fili Noster, per praesentes injungimus, ut, constito tibi de narratis, eidem exponenti, si in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, ejusque etiam in dicta commenda successoribus, qui charactere sacerdotes extiterint, licentiam, et facultatem perpetuis futuris temporibus, ac etiam si supra dicta commenda Insulae Viridis in priori, quo erat, statu reponi contigerit, duraturam, cujus vigore tam ipse, quam successores ipsius dummodo tamen presbyteri, ut praefertur, sint, in quibuscumque solemnioribus actibus celebrationis divinorum officiorum mitra, annulo, et baculo pastorali, aliisque insignibus pontificalibus, sicut abbates mitrae, baculique usum habentes, sine cujusvis praejudicio intra ecclesiam dictae commendae sanctorum Augustini, et Noberti Fanensis civitatis, vel dioecesis, extra ecclesiam vero, accedente venerabili fratris episcopi pro tempore Fanensis consensu, uti, ac solemnem benedictionem cum iisdem insignibus supra populum in dicta ecclesia quando episcopus, vel antistes, aut Sedis apostolicae legatus, vel Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis praesens non fuerint, vel si praesens, ad id expressus accedat assensus, impendere, ac largiri libere, et licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui prudentia, et arbitrio impertiaris.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, et naturis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta martii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCLXXXI.

Dat. die 12 maii 1807 anno VIII.

Facultas concessa ex-vicariis generalibus ordinis fratrum excalceatorum sancti Augustini congregationis Portugalliae votandi in cunctis electionibus faciendis in capitulo generali, postquam in eo vicariatum generalem gesserunt.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum. §. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus frater modernus procurator generalis ordinis fratrum ex-calceatorum s. Augustini congregationis Portugalliae, quod ii, qui vicariorum generalium titulo universae praesunt congregationi praedictae, post quam tali perfuncti sunt munere, quod vi constitutionum ad unum dumtaxat praefinitur triennium, omni prorsus destituuntur per easdem constitutiones jure suffragii in novis comitiis, ubi tamen ratio postulare videtur, ut intersint, ac sedeant ad vocales magis magisque edocendos de illorum idoneitate praecipua, quibus administratio munerum per novas debet electiones committi: quod qui-

dem, sicut ipse arbitratur, majori emolumento congregationi futurum, ita et congruum judicat, aliquo eos, qui totius congregationis ferendo onere laborarunt, condigno praemio hac etiam in parte rependi. Quapropter exponens vicarios generales hujusmodi, tam qui dignitatem istam generalis vicariatus asseculi jam sunt, quam qui ad eam in posterum evehentur, facultatem suffragandi in electionibus generalium comitiorum donari per Nos, ac insigniri vehementer exoptat, suaeque etiam congregationis nomine enixis precibus humillime flagitat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut ex-vicarii generales praememoratae congregationis omnes, et singuli, non modo praesentes, sed etiam futuri, postea nimirum quam generalem vicariatum in ea gesserunt, licet ex constitutionibus auctoritate apostolica confirmatis, nullum ipsis in generali capitulo votandi jus relinquatur, nihilominus posthac jure, facultate, ac praerogativa votandi in cunctis electionibus, quae in solo tamen capitulo generali fieri solent, ac debent, uti, frui, et gaudere in perpetuum libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda maii, millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXXXII.

Dat. die 12 maii 1807 anno VIII.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum pro approbatione orationis, et lectionum recitandarum in festo beati Dominici de Val martyris.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Pro parte venerabilium fratrum archiepiscopi, et episcoporum provinciae Caesaraugustanae expositum Nobis nuper fuit, quod ipsi ad augendum b. Dominici de Val, martyris cultum, orationem, et lectiones proprias in festo ipsius martyris legendas exhibere Nobis fecerunt, sequentis tenoris, videlicet »

In festo

B. DOMINICI DE VAL MARTYRIS

Oratio

Oratio recitanda in festo b. Dominici de Val.

§. 2. Deus, qui beato Dominico martyri innocenti vitae perpetuae praemium contulisti, concede, quaesumus, ut ejus meritis, et precibus fulti aeterna beatitudine perfrui mereamur.
Per Dominum etc.

In II. Nocturno

Lectio IV.

Lectio IV. legenda in secundo nocturno.

§. 3. Inter innocentes pueros, quos per diversas Ecclesiae aetates sanguinem pro Christo fudisse constat, insignis memoria est pueri Dominici de Val, cujus haec sunt gesta martyrii in antiquissimis membranis descripta, et pia fidelium traditione comprobata. Caesaraugustae honesto loco natus in ipso vitae exordio praesagium futuri martyrii, et laureae obtinendae exhibuit; nam et crucem in humero dextro, et coronam in capite praeferre visus est. Ejus rei conscii parentes natum omnibus pietatis officiis informandum, et literarum studiis imbuendum sedulo curarunt. Verum ad septimum aetatis annum vix ille pervenerat, quum a perfidis Judaeis in odium fidei Christianae crudeliter occisus est. Quum enim eorum nonnulli ingenita in Christum rabie commoti, magno proposito praemio Christianum puerum quaererent, in cujus corpore passionis Christi tormenta renovarent, inventus est aliquis ex eodem Hebraeorum genere, qui Dominicum clam subductum ipsis sisteret, et tamquam alter Judas venderet. Opportunum tempus, et secretum locum nacti impii Judaei innocentem puerum in crucis speciem extentum incredibili immanitate parieti clavis confixerunt, et tenerum latus gravi lanceae ictu perforarunt. Quo vulnere confossus martyrii lauream consequutus est anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo.

Lectio V.

Lectio V.

§. 4. Scelerati Judaei, ne tam crudele flagitium aliis manifestum fieret, exanime corpusculum ad Iberi fluminis ripam alte defossum clam terrae mandarunt. Verum Salvator Noster Christus Dominus, pro quo Dominicus passus fuerat gloriosam ejus passionem, diu occultum latere noluit. Itaque supra locum, in quo sacrae exuviae reconditae fuerant per aliquot noctes coelestia lumina coruscare visa sunt, quae a nautis vigilias ad urbis portum agentibus observata ingentem admirationem ingesserunt cum ipsis, tum reliquis civibus, qui ab eis de re tota admoniti, ad locum indicatum accedentes, corpus Dominici invenerunt, et illico ad aedem sancto Aegidio sacram detulerunt. Deinde quum Deus illum insignibus miraculis illustrare caepisset, antistes, et universus clerus, indicta solemni supplicatione, magna populi, atque omnium ordinum frequentia musicis concentibus, plurimisque cereis accensis ad ecclesiam sancti Aegidii convenerunt, et innocentem martyrem pie venerati, ejus corpus debito cum honore extrahentes per alias civitatis ecclesias circumtulerunt. Quod quum ab omnibus magno plausu exceptum fuisset, demum ad ecclesiam cathedralem translatum fuit, ibique publico cultui expositum.

Lectio VI.

Lectio VI.

§. 5. Aliis gratiis, quas misericors Deus meritis, et intercessione servi sui impertiri dignatus est annumeranda est mirabilis conversio illius Judaei, qui cum dolo circumventum subripuit, et aliis suae gentis hominibus tradidit occidendum, qui tanti sceleris poenitens, ejurata perfidia hebraica christianam religionem amplexus est. Quibus prodigiis cultus innocentis sancti martyris mirum quantum auctus, propagatusque fuit, instituta etiam artis agrariae cultorum antiquissima societate, cujus initii memoria non extat, quae ejus titulo, et patrocinio gloriatur. Eumdem innocentem martyrem pueri clerici, qui in cathedrali sede s. Salvatoris cantui, et ministerio altaris inserviunt tamquam patronum, et collegii sui olim alumnum peculiari cultu prosequuntur: nam et pictae tabulae vetustae eum ejusmodi habitu clericali indutum exhibent. Ad sacellum vero, in quo ossa ejus servantur, religionis, et venerationis causa frequens populi multitudo quotannis pridie kalendas septembris confluit. His permotus Pius septimus pontifex maximus diem ejus festum missa, et officio proprio celebrari benigne indulsit. «Successive obtentum est rescriptum sequentis pariter tenoris, scilicet»

Approbatio congregationis sacrorum Rituum.

§. 6. Santissimus Dominus Noster Pius VII. pontifex maximus supplicante r. p. d. Dionisio Bardaxi de

Azzara ecclesiae cathedralis Caesaraugustanae concanonico, et sacrae rotae Romanae auditore nomine reverendissimi archiepiscopi Caesaraugustani Indiarum patriarchae, et aliorum Romanorum episcoporum Caesaraugustanae provinciae, nec non capituli, et magistratus ecclesiae cathedralis, et civitatis Caesaraugustanae, referente r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore, benigne indulsit, ut in posterum, in officio, et missa de communi beati Dominici de Val pueri martyris sancti nuncupati legi possint suprascriptae oratio, ac lectiones II. nocturni propriae ab eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali de Somalia Sanctitatis suae in urbe vicario, sacrorumque Rituum congregationi praefecto, et a praedicto promotore fidei revisae. Praeterea indulsit, ut quotannis etiam in posterum idem officium cum missa de communi cum memoratis oratione, et lectionibus II. nocturni propriis recitari possit ritu duplici minoris ab utroque clero reliquarum civitatum, et dioecesum provinciae Caesaraugustanae in die non impedito officio novem lectionum semel fixe a singulis ordinariis in propria dioecesi destinando. Die 28. februarii 1807.

Loco ✠ Signi

Julius Maria cardinalis de Somalia S. R. C. praefectus

I. De Carpineo S. R. C. secretarius.

Confirmatio apostolica.

§. 7. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum rescriptum firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri vehementer desideretur; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem rescriptum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adijcimus, atque omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 8. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatum, et dioecesium dictae Caesaraugustanae provinciae consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda maij millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 24 martii 1807 anno VIII.

CCCCLXXXIII.

Homilia habita in solemni canonizatione sanctorum Francisci Caracciolo, Benedicti a sancto Philadelphio, Angelae Merici, Coletae Boilet, et Hyacinthae Mariscotti, inter missarum solemnia in basilica Vaticana die xxiv. maii 1807.

Venerabiles fratres ac dilecti filii

Magno Nobis est, et magno item vobis gaudio esse confidimus, venerabiles fratres, dilectique filii, quod pater misericordiarum, et Deus totius consolationis dederit Nobis, ut sanctorum albo, quos universa per terrarum orbem veneratur Ecclesia, duos viros, ac tres mulieres adscriberemus, sanctos videlicet Franciscum Caracciolum, Benedictum a s. Philadelphio, Angelam Mericiam, Coletam Boilet, atque Hyacintham Mariscottam, quinque sacros heroes, quos jamdiu de agone justitiae, in quo decertarunt devictis hostibus reversos (1), sinu suo civitas coelestis excepit. Sponsa enim Christi Ecclesia, assueta jam inter persecutiones mundi, et consolationes Dei peregrinando procurrere (2); habet in ista gloria servorum Dei, unde consoletur se in his diebus afflictionis suae. Deus siquidem, qui cum ipsa omnibus diebus usque ad consummationem saeculi se futurum spopondit, eamque veluti civitatem supra montem ita constituit, ut abscondi nullo umquam tempore possit (3), et tamquam fulgidissimam lucernam in candelabro posuit, ut nisi contra illam oculos claudant (4), omnibus luceat; servorum suorum sanctitatem digito omnipotentiae suae identidem manifestare non desinit, ut, etiam ex hac divina, eique uni propria ac peculiari sanctitatis nota, eam esse solam, et agnoscant, et fateantur omnes, in qua vera fides, vera peccatorum remissio, vera salutis aeternae spes reperiatur. Interea dum inimici ejus convenientes in unum adversus eam meditantur inania, dicentes, quando morietur et peribit nomen ejus? ipsa novis coronata triumphis militium suorum, quos jam coelis inseruit, permanet gloriosa praedicans brachium Domini omni generationi superventurae (5). Magnus Dominus et laudabilis nimis, qui dum tantis Ecclesia sua quatitur tempestatibus, nec quiescit ventus contrarius, idest adversans ei diabolus qui impedire nititur, ne perveniat ad quietem, nos admonere non desinit, majorem esse illum, qui interpellat pro nobis, et in ista nostra fluctatione, in qua laboramus, dat nobis fiduciam veniens ad nos, et confortans nos (6), ut non obliviscamur, coelo, et terra transeuntibus, nunquam transitura esse verba promissionis divinae, qua pollicitus est, portas inferi adversus Ecclesiam minime praevalituras. Neque vero non singulari etiam fit Dei providentia, ut hoc potissimum tempore, abundante malitia, nobis suppeditentur patroni, qui in tempore iracundiae fiant reconciliatio, et, charitate multorum refrigescente, ardentes quinque istae splendidaeque lucernae super candelabrum ponantur, ut luceant omnibus, qui in domo sunt. Lucent siquidem sancti virtutibus suis nova quotidie nobis proponentes, quae imitemur, exempla; lucent ostendentes nobis, quas ipsi persecuti sunt vias, ut easdem et nos persequamur, spesque etiam nostra immortalitate plena sit; lucent in ea, quam ipsi a

(1) *Ven. Beda serm. in fest. sanctorum omnium.*

(2) *S. Aug. l.* 18. *de Civ. Dei cap.* 51. *num.* 2. *opp. tom.* 7. *col.* 534. *edit. Maurin. Paris.* 1679.

(3) *S. Aug. lib.* 2. *contr. liter. Petilian. cap.* 104. *opp. tom.* 9. *col.* 293. *edit. ejusd.*

(4) *S. Aug. tract.* 2. *in Jo. num.* 8. *et* 9. *tom.* 3. *par.* 2. *col.* 501.

(5) *S. Aug. serm.* 2. *in ps.* 70. *n.* 12. *tom.* 4. *col.* 742.

(6) *S. Aug. serm.* 75. *de verb. evang. Matth. al.* 22. *de div. c.* 3. *n.* 4. *tom.* 5. *col.* 412.

Deo consequuti sunt, scientia sanctorum nos jugiter erudientes. Ad hanc porro sanctorum scientiam potissimum pertinent verba illa, quibus Christus, cum ascendisset in montem, atque ad eum discipuli accessissent, eosdem alloquutus est: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Sunt autem pauperes spiritu humiles (1), et timentes Deum, atque illa beata paupertas est, ut inquit s. Leo praedecessor Noster (2), quae rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed coelestibus bonis ditescere concupiscit. In hac scientia mirum in modum praestantes quinque Ecclesiae filios hodierna die veneramur, qui propterea non modo amplissimum illud praemium regni coelorum, quod iis omnibus, qui pauperes spiritu futuri essent, promisit Dominus Noster Jesus Christus, sunt consequuti; sed et inter amicos suos ad coenam nuptiarum agni vocatos a Deo electi sunt, qui superiori loco dignissimoque recumberent. Ex breviario namque eorum vitae, rerumque gestarum, quod in omnium manibus versatur, intellexistis profecto quo omnes ardore arctam mandatorum Domini viam quae ducit ad vitam, ingressi fuerint, et quam feliciter consummarint; quantum a mundi illecebris abhorruerint, terrenasque omnes res pro nihilo habuerint, quantum contra laboraverint, ut divites fierent, in bonis operibus, sibique (3) thesaurizarent thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur. E saeculi fluctibus ac tempestatibus in tutum recepti, jactis altissimis humilitatis fundamentis, magnum construxerunt aedificium sanctitatis. Fuit eorum castitas illibata, paupertas arctissima, profunda humilitas, obedientia promptissima, asperrima poenitentia, in Deum charitas ardentissima, conversatio prorsus coelestis. Eorum vero aliqui perfectionis studium illud, quo flagrabant, per salutaria instituta propagare, et perenne esse cupientes, novis praeclarisque ordinibus auxerunt Ecclesiam Dei.

Oh vere beata Mater Ecclesia, quam sic honor divinae dignationis illuminat, ut nunquam aut extingui, aut languescere flagrantem illam in Deum, atque homines charitatem sit passa, qua a primis saeculis incensi fideles, terrenis omnibus abdicatis, evangelicae perfectionis statum amplexi sunt, quaque excitati sanctissimi homines Basilius in primis, et Benedictus (quo Nos patre gloriamur, et cujus instituto ab adolescentia Nostra addicti fuimus) admirabiles illas regulas tradiderunt, quibus in Oriente, et Occidente monachi regerentur. Nam inde usque ad nostra tempora et alios spiritu Dei plenos identidem suscitavit, quorum opera, et studio sacrae illae societates instituerentur, in quas divina aspirante gratia adsciti homines, abjectis omnibus saeculi curis, in id solum incumberent, ut christianae charitatis perfectionem, quae legis plenitudo est, facilius ac tutius consequerentur: divina id accidit voluntate, quandoquidem hanc perfectionis et sanctitatis professionem, cujus servator ipse Noster Christus Dominus, traditis evangelicis consiliis, auctor fuit, in Ecclesia sancta sua perpetuo voluit conservari, unde novum, et valde conspicuum sanctitatis ejus accresceret argumentum: Ecquis non miretur (4), et praedicet, qui contemptis et desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, et intentissimam ad Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ita posse

(1) *S. Aug. de serm. d. in monte secund. Matth. lib.* 1. *num.* 3. *opp. tom.* 3. *par.* 2. *col.* 166.

(2) *Serm.* 95 *cap.* 2. *tom.* 1. *col.* 368. *edit. Baller. venet.* 1753.

(3) *Matth.* vi. 20.

(4) *Aug. lib.* 1. *de mor. eccl. cap.* 3. *num.* 67. *tom.* 1. *col.* 710.

meruerunt? Quis praeterea non fateatur, incredibiles utilitates ex coenobitarum coetibus tum in Ecclesiam Dei, tum in civilem etiam societatem manasse? Eorum siquidem doctrina, praedicatione, et exemplo informati populi, acceptabiles Deo facti sunt; eorum meritis, precibusque aversa saepissime ira Dei, eorum opera adjuti in pascendis gregibus antistites, clericique, haereses compressae, levati infirmi, captivi, vel propriae libertatis jactura e servitute redempti, pauperes evangelizati, informata juventus, instituti clerici, excultae literae, scientiae, atque artes servatae sunt. Ex omnibus vero regularium societatibus unaquaeque in vocatione sua permanens, qua vocata fuit a Deo, in aedificationem jugiter corporis Christi ita concurrit, ut, ob id potissimum, mira varietate circumdata, veluti reginam, in vestitu deaurato, Christi sponsam Ecclesiam a dextris Christi adstantem dicere possimus. Sint haec omnibus proposita, ut rectum possit esse judicium de instituto, vitaque regularium, ac, ne quis decipiatur, ut inquit apostolus (1), per philosopiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Nova nunc gloria, et splendore illustrant regulares ordines praeclara merita, et eximiae virtutes horum coelitum, qui omnes regularem vitam amplexi fuerunt, ac viventes laborarunt (2), sicut boni milites Christi Jesu, vitaque functi (3) a Domino acceperunt retributionem haereditatis. De eorum triumpho gaudent angeli, coelitesque omnes, suaque miscet gaudia cum Ecclesia triumphante terrestris filia Sion.

Nos igitur, venerabiles fratres, ac dilecti filii, laetitia exultare oportet, solemnemque diem in conspectu altaris Domini celebrare. Sed nostra erit laetitia triumphanti, ac militanti Ecclesiae acceptior atque jucundior, si, quae tantis a nobis ornantur laudibus, tamquam justam habent venerationem nostram, etiam factis et actionibus imitemur. Cum enim Deus insignia nobis sanctorum, qui iisdem ac nos fuerunt infirmitatibus, pravisque cupiditatibus obnoxii, proponit exempla, ostendit quo pacto et nos absolutissimum illud virtutum omnium exemplar et fontem totius sanctitatis Jesum Christum, quem tam egregie illi in se expresserunt, pro modo facultateque nostra imitari possimus, ut conformes effecti imagini filii Dei, ad societatem eorum gloriae, adjuvante Domino, perveniamus. Habentes igitur eumdem spiritum fidei (4), eumdem patrem Deum (5), eumdem mediatorem Dei, et hominum Christum Jesum, qui clamat (6): Estote perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est; hoc laboremus, hoc agamus, ut omnes curas cogitationesque nostras ad hanc normam dirigamus, atque ita ad eum, ad quem hi quinque sancti pervenerunt, finem feliciter perveniamus. Hi jam (7) de sua immortalitate securi, ac de nostra salute solliciti, Deum pro nobis assidue deprecantur, nosque ejusdem, qua ipsi fruuntur, gloriae participes fieri vehementer cupiunt. Fac igitur (8), ut veniat super nos misericordia tua Domine, atque, ut (9) in via testimoniorum tuorum delectemur, sicut in omnibus divitiis per preces et merita sanctorum tuorum Francisci, Benedicti, Angelae, Coletae, Hyacinthae; et quemadmodum eos spiritu sancto tuo replevisti, ita et nos eodem spiritu repleamur, et sancti paracliti gratia roboremur per Jesum Christum filium tuum dominum nostrum, cui pariter ac tibi, et eidem Sancto Spiritui sit gloria, honor, obsequium, imperium per omnem aeternitatem.

(1) *Ad coloss. II.* 8.
(2) *II Timoth. II.* 3.
(3) *Coloss. III.* 24.
(4) *II. ad cor. IV.* 13.
(5) *I. ad Timot. II.* 5.
(6) *Matth. V.* 48.
(7) *Cyprian. de mortalit. in fine pag.* 116. *edit. Amstelod.* 1700.
(8) *Ps.* 118. 41.
(9) *Ibidem* 14.

Dat. die 24 maii 1807 anno VIII.

CCCCLXXXIV.

Canonizatio sanctae Coletae Boilet virginis reformatricis ordinis sanctimonialium sanctae Clarae.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Sponsam Christi Ecclesiam vidit in spiritu regius psaltes a dexteris ejus adstantem veluti reginam in vestitu deaurato circumdatam varietate. Vere enim virtutum omnium germina, quae nonnisi in catholica succrescunt Ecclesia, pretiosam, ornatissimamque vestem ejus efficiunt; diversaeque sanctitatis species, quae in membris ejus effulgent, vestem ipsam mira circumdant, atque exornant varietate. Sunt haec in primis invicta martyrum fortitudo, constans poenitentium perseverantia, modesta viduarum pietas, intacta virginum pudicitia, multiplicesque aliae aliorum fidelium virtutes, quibus bonum certamen certantes, et cursum suum consummantes, demum ad coelos in aeternum cum Christo evolant regnaturi. Sed quoniam quo infirmior est pugnantis conditio, et imbecillior sexus, eo majus est vincentis meritum, decet sane, ut nostra etiam crescant gaudia, dum dives in donis suis Deus, coelestis gratiae prodigia in virginibus, licet minus firmis sint viribus, ostendere non cessat, et frigescentem mundum perspicuis sequioris sexus exemplis ad perfectam charitatem, virtutisque culmen per omnes aetates excitat, atque impellit.

De praestantia vitae regularis.

§. 2. Etsi autem prudentum virginum choro omnes virgines illae adnumerandae sint, quae sub regularis disciplinae suavi jugo non secundum carnem ambulantes, sed spiritu facta carnis mortificantes, uni sponso Christo placere studuerunt; peculiaribus tamen laudum preconiis dignae sunt illae, quae supra sexum fortes, divinoque spiritu ferventes, ad novum aliquem sanctimonialium ordinem condendum, aut, quod proximum est, antiquum jam conditum ad veteres leges, sanctioremque vivendi formam revocandum animum adplicuerunt; arctamque vitae spiritualis semitam, quam ipsae avide arripuerunt, et feliciter cucurrerunt, aliis tenendam, et secuturis temporibus continuandam actionum quoque suarum exemplis praemonstrarunt.

Generales laudes praeclarissimae virginis.

§. 3. Inter has saeculo decimo quinto ineunte insigniter excelluit praeclarissima virgo beata Coleta, quae cum in tenera aetate se, suamque voluntatem cum terrenis omnibus oblectamentis Deo in holocaustum obtulisset, divini amoris igne inflammata, charitate in proximos flagrans, ut consilia evangelica plenius exequeretur, tertio ordini s. Francisci nomen dedit, ejusque regulam professa est. Dum in salutem animae suae impense incumberet, omnesque perfectionis religiosae virtutes in se exprimeret, corpus jejuniis, atque asperrimis afflictationibus maceraret, omnia ad gloriam Dei ageret, et referret, a spiritu Sancto, qui ubi vult spirat, non obscuro instinctu ad reformationem ordinum s. Francisci se vocari sensit. Illa quidem prae humilitate tantum onus subire detrectabat, sed prodigiis coelestibus incitata reformationem inchoavit, brevique ad optatum exitum perduxit. Postremo plena meritis, et virtutibus, supernisque donis locupletata aeternam gloriae repromissionem de manu sponsi Christi recipere meruit. Quae, cum ob ingentem sanctitatis opinionem statim post obitum venerationem, cultumque publicum adepta sit, discussis, perpensisque omnibus, quae ad constitutionum pontificiarum praescriptum, consuetudinemque receptam ad examen revocari debet, cultu nempe publico legitime b. Coletae exhibito, et continuato, heroica ejus vitae sanctimonia, miraculis demum ejus ope a Deo impetratis; ad decus, et utilitatem Ecclesiae catholicae, cui nullis meritorum Nostrorum suffragiis, sed divina tantum dignatione praesidemus, maximopere pertinere arbitramur, ut b. Coletae, in qua benignissimus Deus divitias bonitatis suae copiosissime effudit, et luculentissime manifestavit, sanctitatem in militanti Ecclesia venerandam, imitandamque declaremus. Igitur in consilium adscitis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, praeterea patriarcha, archiepiscopis, et episcopis in Romana curia existenti-

bus, suumque assensum praestantibus, post imploratam coelestis luminis opem, b. Coletam in sanctarum virginum numerum, ac caetum retulimus; eamque ab omnibus christifidelibus pie colendam, sancteque honorandam statuimus, et decrevimus: in qua scilicet tuta exempla ad morum emendationem, et solida praesidia ad pacem, tranquillitatemque populorum obtinendam reposita esse confidimus.

De ejus ortu, et vitae tenore.

§. 4. Corbiae in Picardia dioeceseos Ambianensis piis, honestisque parentibus nata est ancilla Christi idibus januarii anno Domini MCCCLXXX. Ab ipsa infantia eximia sanctitatis praebuit indicia: ludos enim ejus aetatis proprios, et mundi illecebras respuens, orationi, et rerum coelestium assiduae vacabat contemplationi: iis vero adeo oblectabatur, ut jure elogium sit illud promerita, quo sacrae literae Tobiam prosequutae sunt, quod cum esset junior, nihil tamen puerile gessit in opere. Deinde eas sibi vivendi leges indixit, ut pane et aqua contenta, cilicio, ferreisque flagellis intempesta nocte uteretur, minime sibi passa somnum irrepere, nisi brevissimum, qui fractas vires vix reficeret. Miserorum inopiae sublevandae sic ab ineunte aetate assueverat, ut jure cum Job posset dicere: ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. Summam siquidem in aegrotos benignitatem, ardentissimamque in egenos charitatem exercens, infima quaeque ministeria sibi demandari semper studuit, et quidquid aut cultui supererat, aut victui, in pauperes erogatum voluit. Facultatibus deinde suis in pauperes distributis, tacta solitudinis desiderio in eremum secessit, ubi a daemonibus frequenter lacessita, ac lacerata vulneribus, orationi tamen sic instabat, ut interdum in extasim rapta angelorum visione, et colloquio frui mereretur. Tum tertii ordinis s. Francisci regulam professa iis cruciatibus, quibus corpus suum affligebat, licet nihil jam addi posse videretur, adjunxit tamen plurimum: nudis semper pedibus, etiam hyemis tempore, incedens, jejuniis continuis corpus pene conficiens, coelestem plane vitam aggressa est, id unum prae oculis habens, nihil ut unquam nisi ad Dei gloriam loqueretur, ageret, meditaretur. Hinc uberes gestientis animi voluptates, et deliciae: hinc voces, et suspiria, quibus internus charitatis ardor foris erumpebat: hinc admirabiles mentis excessus; quibus, spiritu sarcinam corporis elevante, sublimis a terra in coelum rapi videbatur.

Quomodo curam susceperit reformandae regularis observantiae ordinis a se professi.

§. 5. Tot virtutibus instructa, totque supernis charismatum donis cumulata beata Coleta, cum aliquando vehementer Deum pro peccatorum conversione precaretur, divinum oraculum accepit, futurum, ut iniquorum correctio, quam desiderabat, per reformationem ordinum a s. patre Francisco institutorum, adimpleretur. Haesit ad haec humillima virgo, serio monitum coeleste secum reputans, et in eo expendendo noctes, diesque instistens, verita, ne praestigiis a daemone illuderetur. At cum divinae voluntati prae magna animi sui demissione nimium reluctaretur, oculorum et linguae usum amisit usquedum ei sese plenissime subjecit. Itaque divino afflata spiritu, et coelitus edocta de necessariis ad reformationem suscipiendam, nulla interposita mora sibi media comparare studuit, quibus demandatum opus exequeretur. Obstabant quidem, quominus facultatem opportunam obtineret, juvenilis famulae Dei aetas, humilis ejus conditio, et summa instituti, quod revocare cupiebat, austeritas. Non sine tamen prodigio omnia vicit impedimenta, et non solum voti compos facta est, verumetiam reformandarum monialium abatissa ex obedientia fuit constituta. Itaque omnem curam, omnemque cogitationem suam in id intendit, ut quod a Deo jussa erat perficere, diligentissime compleret. In Sabaudia, quo maxima de ejusdem sanctitate jam opinio pervaserat, arduum opus incoepit anno MCCCCVII. Quam multas vero reformationis initio, et quam acerbas injurias, calumniasque pertulerit cum ab aliis, tum ab illis ipsis, qui ei faverant, haud facile dictu est. Neque enim eam solum ut veneficam, sortilegam, et daemonum invocatricem traducebant: sed usque adeo detractionibus impetere ausi sunt, ut alio commigrare coacta fuerit. In tanta rerum perturbatione, et asperitate nihil de gradu heroicae forti-

tudinis, constantiaeque ancilla Christi dejecta, comprobavit, quam vere sit dictum, justum non contristare quidquid acciderit. Contumeliis enim, et impudentissimis lacessita conviciis, ita sese gerebat, ut in iis quam maxime delectari videretur: cujus admirabili patientiae singularem aliquam vel in terris mercedem Deus rependit. Cum enim gravi, et periculoso morbo premeretur, Beatissimae Virginis ope, cujus adspectu, alloquioque fertur recreata, convaluit. Praeterea reformationem suam, divino numine adjuvante, brevi propagatam vidit, adaucto sanctimonialium ubique numero, et compluribus per diversas provincias constructis monasteriis.

De ejus humilitate.

§. 6. Quadraginta annorum spatio b. Coleta ad divini nominis exaltationem summo conatu adlaboravit, sed ita tamen, ut in semetipsa magnam construxerit virtutum fabricam, quae eo erat excelsior, quo de fundamento profundioris humilitatis cogitaverat. Divinis charismatibus liberaliter locupletata singularibus populorum, magnatum, principum laudibus celebrata, ea tamen erat animi demissione, ut communi luce se indignam diceret, et haberet. Cum invita, ac reluctans praefecturam omnium reformatarum monialium accepisset, ac proinde tamquam a Domino super familias suas constituta, universis praeesset, nihilominus omnium se infimam nominabat. Eminebat praeterea in ea talis vitae severitas, quae vix credi potest; incensissimus in Deum, et proximos amor; in ministeriis assiduitas admirabilis sine ulla vigiliarum, laborumque remissione. Ut leges praescriptas moniales accuratissime observarent, diligentissime studebat; sed nihil habuit antiquius, quam ut quidquid verbo docuerat suo ipsamet firmaret exemplo. Comis, blanda, facilis, omnes materna sollicitudine complectebatur. Cum vero virtutum, et miraculorum fama Italiam, Galliam, Germaniam, aliasque regiones pervagata esset, innumerabiles undique confluebant gentes, ut ejusdem precibus spirituales gratias a Deo obtinerent. Viri etiam virtute, et doctrina conspicui eamdem conveniebant, ut de obscuris, subtilibusque quaestionibus, deque rebus ad christianam perfectionem spectantibus interrogarent; quos inter sanctus Vincentius Ferrerius, qui relicta Aragonia ad eam venit, tam quam ad omnis sanctitatis magistram, Christianaeque perfectionis exemplum.

De ejus obitu, et fama sanctitatis pro sinus diffusa.

§. 7. Sexagesimum sextum aetatis suae annum Dei ancilla compleverat, cum ad coelestes sponsi nuptias se vocari praesciens, ut plena lampade intraret, salutaris sumendae hostiae desiderium, quo summopere tenebatur, ardentissime adeo explevit, ut charitatis flamma in ore, atque oculis clare emicante, filiarum adstantium pietatem miris modis accenderit. Tum doloribus Dominicae passionis contemplandis intenta, manibus, pedibusque in Christi crucifixi similitudinem positis, ad divini sponsi amplexus inter plaudentes angelorum choros evolavit Gandavi die vi. martii anno millesimo quadragesimo septimo. Demortuae is color erat, ea species, ut jucundiorem conspectum redderet, quam cum viveret. Illius vero mortis rumore ad Corbienses, finitimasque regiones allato, effusa undique multitudo accurrit, spectatissimi omnium ordinum viri, matronae, proceres, sacerdotes, praeterea surdi, muti, paralytici, aegroti cujusque generis spem certam sanationis in famulae Dei intercessione reponentes: qui omnes una voce clamabant, dignam esse Coletam, quae coelitum numero adderetur. Statim igitur ab obitu cultum publicum obtinuit, quem apostolica Sedes ampliavit, missam, et officium in illius honorem pluribus ecclesiis ordinis ab ea reformati indulgens.

Approbatio cultus habita in sacra congregatione Rituum.

§. 8. De hujusmodi cultu publico cum in congregatione cardinalium sacris ritibus praeposita quaestio esset agitata, communi calculo judicatum fuit, tam praeclaris rationum momentis eum inniti, ut commissio causae canonizationis ejusdem beatae jure meritoque posset admitti. Huic judicio die septima septembris anni millesimi septingentesimi trigesimi noni prolato recol. mem. Clemens pp. XII. praedecessor Noster subinde annuit, commissionemque signavit. Die vero xxiii. januarii anni sequentis MDCCXL. eadem congregatio, causa diligenter discussa, rescripsit, constare de cultu ab immemorabili tempore praedictae beatae

exhibito, seu de casu excepto a decretis fel. rec. Urbani VIII. pariter praedecessoris Nostri ex indultis apostolicis: quod rescriptum, cum interea laudatus Clemens XII. obiisset, piae mem. Benedictus XIV. itidem praedecessor Noster die xxvi. augusti ejusdem anni suo oraculo confirmavit. Tunc locus factus fuit examini de heroica virtutum praestantia, et in congregatione sacrorum Rituum ordinaria die xvii. augusti anni MDCCLXXI. cardinales consentientibus suffragiis responderunt, ita de virtutibus theologalibus ac cardinalibus, earumque adnexis constare, ut ad quatuor miraculorum discussionem posset deveniri. Quam sententiam fel. rec. Clemens XIV. pariter praedecessor die xxiv. ejusdem mensis et anni ratam habuit atque adprobavit. Igitur quatuor prodigiosae sanationes, quae, b. Coleta intercedente, contigisse ferebantur, propositae fuerunt, ut in tribus congregationibus de more discuterentur. Post primam congregationem postulatores ipsi unam ex quatuor istis sanationibus seposuerunt: tres reliquas ejusdem memoriae Pius VI. Noster item praedecessor die xii. augusti anni millesimi septingentesimi octogesimi primi inter vera miracula, vimque naturae superantia, recensendas esse decrevit, et rite recensuit. Trium horum miraculorum primum contigit in sorore Rosa Croes, quae ab inveterata impotentia ad motum, orta ex transversa, et complicata fractura rotulae sinistri genu, ejusque mala coagmentatione, momento temporis convaluit. Alterum experta fuit soror Maria Theresia Smidt tertiaria ordinis sancti Francisci, quae a tumore ulcerato in epigastrio sinistro, aliisque pessimis aegritudinibus repente sanata est. Tertium miraculum fuit subita sanatio fr. Romani de la Motte laici professi ordinis recollectorum sancti Francisci, a phthisi pulmonari confirmata, et antiquata, viribus penitus restitutis.

Dispensatio a quarto miraculo.

§. 9. Jam vero, cum postulatores intelligerent, plurima huic causae favere pro obtinenda dispensatione a quarto miraculo, supplices preces eidem Pio VI. antecessori Nostro obtulerunt, qui, exquisita sententia particularis congregationis ad hunc effectum a se deputatae, inspectisque peculiaribus ejusdem causae circumstantiis, die xxi. aprilis anni MDCCXC. petitam dispensationem concessit. Post haec ab universa sacrorum Rituum congregatione quaesitum est, num tuto in canonem sanctorum b. Coleta referri posset. Et si autem congregatio ipsa minime de hoc dubitaverit, tamen laudatus Pius VI. diuturnas ad Deum interposuit preces, ut viam veritatis agnosceret, atque ita demum die xv. augusti ejusdem anni MDCCXC. definivit, ad solemnem b. Coletae canonizationem quandocumque procedi posse. Et ille quidem in votis habuit rem tantam perficere: sed difficillima, quae consecuta sunt, tempora tam piis desideriis obstiterunt. Nos vero, qui Domino sic disponente eidem in pastorali catholicae Ecclesiae regendae munere successimus, aequitati, et rationi congruere censuimus, ut, quae pie, et religiose inchoata sunt, debitum sortiantur effectum, existimantes etiam, et sperantes, multiplicatis intercessoribus esse obtinendum, ut Deus misericordiarum in Nos propitius respiciat, atque a tot tantisque, quibus undique premimur, calamitatibus Nos eripere tandem dignetur.

Processus adhibitus pro canonizatione

§. 10. Quamobrem exemplis, et vestigiis praedecessorum Nostrorum inhaerentes, brevem relationem vitae, virtutum, cultus, et miraculorum b. Coletae ex authenticis sacrae Rituum congregationis monumentis religiose depromptam formis imprimi mandavimus, quam legere, et perpendere possent omnes et singuli, qui sententiam suam in hac causa dicturi essent. Tum in consistorio secreto habito coram Nobis die xxiii. proxime elapsi mensis martii, postquam dilectus filius Noster Julius Maria tituli s. Mariae supra Minervam S. R. E. presbyter cardinalis della Somaglia nuncupatus sacrorum Rituum congregationis praefectus, merita et conditiones causae diligenter exposuit, omnes venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales, qui praesentes aderant, tempus jam esse, ut solemnia canonizationis decernerentur, unanimi suffragio pronunciarunt. Successit publicum consistorium die xx. superioris mensis aprilis a Nobis convocatum, in quo dilectus filius Augustinus Valle consistorialis aulae Nostrae advocatus pro praedictae b. Coletae canonizatione accuratam, et luculen-

tam orationem habuit, precesque tum veteres, tum novas, praesertim nomine universae recollectorum, et monialium clarissarum familiae Nobis exhibuit. Itaque in semipublico consistorio die xiv. vertentis maji congregato non modo S. R. E. cardinales, sed etiam patriarcham, archiepiscopos, et episcopos, quorum multi in hanc urbem Nostram ex diversis Italiae partibus a Nobis acciti convenerant, ut tam arduum negotium consiliis suis juvarent, reique majestatem praesentia sua cohonestarent, de more congregavimus suffragia omnium et singulorum excepturi pro canonizatione b. Coletae, et aliorum quatuor beatorum; nimirum Francisci Caracciolo, Benedicti a sancto Philadelphio, Angelae Mericiae, et Hyacinthae Mariscotti. Facile universi in eam sententiam consenserunt, ita de eximia sanctitate ancillae Dei Coletae, ac de signis, et prodigiis ejus intercessione editis, ex legitimis sacrorum Rituum congregationis actis constare, ut jure illi supremi venerationis honores haberentur decreto Nostro promulgandi; idque ut perficeremus, vehementer supplicarunt: de quibus omnibus publica instrumenta confici mandavimus: sententias quoque chirographo singulorum subscriptas colligi praecepimus in Sanctae Romanae Ecclesiae tabulario asservandas.

Preces publicae indictae ad opem a Deo petendam.

§. 11. Omnia feliciter processerant, nihilque omnino necessariae diligentiae praetermissum videbatur; sed novas adhuc preces ad Deum pro rei gravissimae magnitudine fundere decrevimus, ac proinde, praeter indictos per urbem generalium jejuniorum dies, humillimas, et assiduas Nostras cum publicis orationes conjunximus, in conspectu Altissimi deprecantes, ut spiritu intelligentiae repleret Nos, quo in tanto opere exequendo ejus voluntatem tuto perficere possemus.

Canonizatio

§. 12. Deniquehac die dominica vigesima quarta maji, qua solemne festum sanctissimae Trinitatis peragitur, expletis jam omnibus, quae sacris constitutionibus, et Sanctae Romanae Ecclesiae consuetudine perficienda erant, ad basilicam principis apostolorum in Vaticano, apparatu splendido, et religioso, qualis domum Dei decet, ornatam, supplicationis solemnis ritu processimus, praecedentibus ex ordine omnibus cleri saecularis et regularis ordinibus, omnibusque Romanae curiae collegiis, ibique cum S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum venerabili corona iteratas preces, quas dilectus filius Noster Innicus Didacus tituli sancti Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Caracciolo nuncupatus, postulationum pro obtinenda canonizatione procurator constitutus, ter Nobis exhibuit, pro b. Coletae glorificatione supplicans, libenti animo admisimus. Itaque implorata prius per litanias sanctissimae Triadis miseratione, nec non Deiparae, coelestium spirituum, et sanctorum omnium intercessione, decantato etiam speciali hymno, quo Spiritum Paraclitum rogavimus, ut lucis suae radium coelitus emitteret, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, ad religionis Christianae incrementum, et ad Divini cultus decus, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, divina ope saepius implorata, ac de praedictorum S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in urbe existentium unanimi consilio, et sententia, beatam Coletam Boilet reformatricem ordinis sanctae Clarae, splendore virtutum praestantem, donis supernis cumulatissimam, signisque, et miraculis post obitum illustrem, sanctam esse decrevimus, et in sanctarum virginum numerum adscripsimus, et tamquam sanctam honorandam, invocandamque esse definivimus, prout tenore praesentium decernimus, adscribimus, et definimus; statuentes, ut singulis annis in universa Ecclesia memoria ejus inter sanctas virgines die sexta mensis martii pia devotione recoli, ac ritu debito celebrari debeat. Omnibus vero Christifidelibus, qui quotannis in ejus festo sepulchrum, in quo corpus ejus requiescit, vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus.

Concessio indulgentiae plenariae, pro eis, qui prae-

§. 13. Mox solemni hymno Deum, Dominumque Nostrum venerati, laudes, et confessiones pro debita gra-

pates canonizationi fuerunt. tiarum actione decantavimus, et in ara basilicae maxima ad sacros b. Petri cineres incruentam salutis nostrae hostiam in spiritu humilitatis obtulimus, facta speciali commemoratione ipsius sanctae Coletae, nec non sanctorum Francisci Caracciolo, Benedicti a s. Philadelphio, Angelae Mericiae, et Hyacinthae Mariscottiae, quos hodie pariter in tabulas ecclesiasticas, sanctorumque album retulimus. Postremo omnibus adstantibus, quos ad tantam solemnitatem celebrandam religionis studium magna frequentia attraxerat, plenariam peccatorum indulgentiam, auctoritate Nobis coelitus impertita, in forma Ecclesiae consueta concessimus.

Conclusio

§. 14. Cum autem ad eum cultus gradum s. Coleta sit evecta, ut templa, et altaria ad ejus honorem aedificari possint immortali Deo dicata; ejusque sacrae imagines in veneratione haberi debeant, congruum profecto est, ut fideles, qui tantopere in hac ejus celebritate gaudent, dent sedulo operam, ne quid immundum, aut profanum templo Dei, hoc est animae suae inferatur; corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibeant; ejusque virtutum pulcherrimam formam, et sanctitatis imaginem divina opitulante gratia, in se ipsis exprimere, ac repraesentare studeant. Ita enim fiet, ut Deus, sancta Coleta, aliisque sanctis intercedentibus, miseratione placatus indignationem suam avertat a Nobis, optatamque tranquillitatem Ecclesiae suae restituat.

Fides habenda transumptis.

§. 15. Quoniam vero idem cardinalis procurator humiliter Nobis supplicavit, ut praemissa omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deducere, et apostolicas literas ad perpetuam rei memoriam decernere, et edere dignaremur, propterea Nos his precibus libenter annuentes, omnia et singula praemissa tenore praesentium roboramus, et confirmamus, atque iterum definimus, et decernimus: mandantes, ut harum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina eminentissimorum cardinalium canonizationi praesentium.

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. cad. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberini presb. card. Pignatelli.
✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.
✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.
✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.
✠
✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.
✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.
✠
✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.
✠
✠
✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.
✠
✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.
✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta,
✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.
✠
✠
✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.
✠ Ego J. tituli s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.
✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.
✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.
✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.
✠
✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi
✠
✠
✠
✠
✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.
✠ Ego A s. Adriani diac. card. Gazzoli.
✠
✠
✠
✠
✠

A. card. pro-Datarius. R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei

F. Lavizzarius

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

CCCCLXXXV.

Dat. die 24 maii 1807 anno VIII.

Canonizatio beatae Hyacinthae de Mariscottis monialis professae in monasterio sancti Bernardini Viterbii ordinis s. Francisci.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. In evangelica parabola, qua operarii tota die otiosi circa undecimam horam conducti parem mercedem habuerunt, ac caeteri, qui primo mane, hora tertia, sexta, et nona ad vineae labores a patrefamilias missi sunt, magister noster et Salvator Jesus Christus nos docuit, gloriam aeternae beatitudinis, quae, cum merces sit, meritis rependitur, labori, atque operis intensioni respon-

dere, non tempori, quo quis laboravit, aut operatus est. Sic erunt, inquit, novissimi primi, et primi novissimi. Neque etiam dubitandum est, quin majus, praestantiusque praemium a justo bonorum operum remuneratore Deo ii accipiant, qui licet serius ad Dei servitium accesserint, sic tamen postea, divina opitulante gratia, per poenitentiae, omnisque pietatis opera in evangelicae perfectionis stadio cucurrere, ut aliis multis in Dei servitio prioribus post se relictis, dignos se praebuerunt, qui singulari quadam gloriae corona donarentur.

Sanctitas vitae venerabilis ancillae Dei.

§. 2. Atque ita reapse factum videtur in beata Hyacintha Mariscottia. Deus enim, qui mirabilis est in sanctis suis, et electos per occultas, hominibusque ignotas vias fortiter, suaviterque ad sanctitatem perducit, b. Hyacintham, quae licet in tertio ordine s. Francisci strictam paupertatem professa esset, avita tamen generis nobilitate, paternaeque domus divitiis abstracta atque illecta de mundano adhuc pulvere aliquatenus sordescebat, supremo tandem coelesti gratiae lumine replevit, persuasitque, emere a se aurum ignitum probatum, ut vere locuples fieret, et vestimentis albis indueretur. Mutatio illa dexterae excelsi fuit; extemplo enim superfluis rejectis omnibus, voluntateque sua abbatissae arbitrio, nutuique submissa, quo remissior antea fuerat in via mandatorum Dei currenda, eo alacriori, atque incensiori postea studio virtutum omnium curriculum ingressa est, et doloris simul atque amoris vulnere perculsa, repleta spiritu consilii, et fortitudinis, per reliquum vitae tempus mortificationem Jesu in suo corpore gestavit: Deoque unice adhaerens, et in ejus altissima contemplatione defixa, cum admirabiles de virtute in virtutem progressus fecisset, a sponso Christo Jesu ad nuptialem coenam, et debitum gloriae locum vocata, in osculo Domini decessit, stupendis post obitum clara miraculis.

Pubblicatio canonizationis ejusdem beatae.

§. 3. Ejus vitam, et merita universo Christifidelium coetui ad exemplum, et imitationem proponere maxime opportunum est, ut omnes quidem, sed praecipue qui Deo peculiariter consecrati sunt, misericordias Domini laudent, ejusque voci obsequantur, qui non cessat vocare recedentes a se, et derelinquentes fontem aquae vivae, ut fodiant sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Nos igitur, quibus apostolicum munus pascendi gregem Christi, regendique universam Ecclesiam concreditum est, cupientes, quantum Nobis ex alto conceditur, saluti animarum consulere, ac venerationem, cultumque sanctorum in aedificationem Christiani populi promovere, expletis jam omnibus et singulis, quae sacri canones, et praedecessorum Nostrorum constitutiones praescribunt, matura deliberatione praemissa et coelesti auxilio saepius implorato, de plenitudine auctoritatis a Deo Nobis factae beatae Hyacinthae Mariscottiae sanctitatem solemniter declaravimus, eamque eo cultu, quo Deus in sanctis suis glorificatur, honorandam esse statuimus, decrevimus, et definivimus. Cujus gesta, virtutes, et miracula brevi narratione modo complectemur.

De ortu Hyacinthae, ejusque professione regularis observantiae.

§. 4. Ex parentibus piis, et prisca nobilitate conspicuis, comite Marco Antonio Mariscottio, et Octavia Hortensia Ursina, Hyacintha nata est Vignanelli gentilitiae ejus familiae oppido prope Viterbium, intra fines tamen dioecesis Civitatis Castellanae, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo octogesimo quinto. Septennis ad putei oram ludens a vitae discrimine divinitus fuit servata. Parentum, maximeque matris cura christianae legis praeceptis fuit optime imbuta, et quamvis muliebres adamaret ornatus, virginalem tamen modestiam, et singularem in parentes pietatem, et obsequium semper praetulit. Ut morem patri gereret, in monasterium s. Bernardini Viterbii, illic educanda venit, et quamvis animo a regulari vita alieno, anno aetatis xix. ibidem religiosam vestem sumpsit, Claricis nomine, quod in baptismate acceperat, in sororis Hyacinthae commutato.

Quomodo sese gesserit in primordiis suae professionis exponitur.

§. 5. Institutum s. Clarae, seu, ut ajunt, tertii ordinis s. Francisci jam professa, nihilominus per plures annos deliciarum paternae domus minime oblita, pretiosa supellectile usa est, et vestes etiam induit paupertati religiosae minus congruentes. At vero decem circiter post annos, ex quo Deo se devoverat, cum gravi morbo

conflictaretur, acriter a confessario admonita, piamque s. Catharinae Senensis imaginem conspicata, anteactae vitae errores magnopere doluit, neque in posterum gloriari statuit, nisi in cruce Domini Nostri Jesu Christi.

Subita ejus mutatio, et novae vitae tenor.

§. 6. Confestim quidquid vel auri, vel argenti, vel pretiosae vestis, aut supellectilis habebat, annuos etiam redditus, indumenta, tunicas ultro tradidit abbatissae, nihil ut sibi omnino reservaret. In ejus cella excelsa tantum crux instrumentis passionis Dominicae adornata, lectulus tribus asseribus, vili sacculo, et villosa lodice stratus, in quo pro cervicali lignum, aut saxum, nisi quandoque alio ex obedientia uteretur. Vestitus ejus vulgaris in primis et abjectus, rude velum, detrita usu tunica, arcta praeterea, vix ut gressus movere posset, eaque a patribus observantiae, vel cappuccinis emendicata. Quin etiam humanum omnem animi affectum exuens, paterni oblita generis, consanguineorum loco sibi nonnullos selegit coelites, et avito cognomine non amplius usa, se sororem Hyacintham Mariae virginis subscribebat. Corporis affligtandi studio quam vehementissime flagrabat. Perpetuum jejunium, cibus semel tantum in die e simplici plerumque pane, eoque secundario, aut micis e culina, vel e furno collectis, nisi forte viles aliquos fructus adjungeret: si obedientia urgeret (quod quidem raro) coctis herbis, saepius insipidis, vescebatur, et modico utebatur vino, valde tamen diluto. Pluribus diebus, ac fere continentibus, panis frustulo, quod vix tres uncias aequaret, vel lupinis, aut amaris herbis contenta erat: adjuncto etiam cum reficeretur quodam supplicii genere; nam sic semper mensae assidebat, ut non sine magno incommodo id praestare posset. Somni quoque parcissima lectulum jam asperum injectis vitis sarmentis magis asperabat, neque cubabat unquam, nisi prius ad collum ferream catenam alligasset, quo citius ad orandum excitaretur. Non alio indumento utebatur, quam absoleta tunica, impari illa quidem ad arcendam aeris intemperiem; et si quando etiam indusio, eo semper et laneo, et rudi. Nudis praeterea cruribus, pedumque plantis incedebat, superiore tantum pedum parte ad modestiam contecta: et extremo quidem tempore a medicis coacta induit sandalia, cruribus tamen semper nudata. Quin etiam in monasterii horto modo per nives ita hilariter incedebat, ac si inter rosas versaretur, modo genua, aut crura tamdiu aquae immergebat, dum rigescens frigore cellam repeteret, ut insisteret precationi. Ad haec cilicio corpus discruciabat, ferreis flagellis, et urticarum, aut ruscorum manipulis sese quotidie caedebat, persaepe etiam cruentabat: tum vero plures alias sane novas, ac miras corporis affligtandi rationes excogitavit, quas, ut carnem suam plane crucifigeret, singulis praesertim sextis feriis adhibebat. Nam ancilla Dei, praeterquam quod quinque sibi inusserat cauteria, quibus Christi vulnera in se ipsa quoad posset exprimeret; insuper feria quoque sexta noctu, fune de collo suspensa, crucem bajulans quaedam obibat monasterii loca, in iisque singulos patientis Christi cruciatus tum contemplari, tum imitari curabat. Proinde in aquas se gelidas immergere, colaphis caedere, triplici asperrimo flagello cruentare, caput acutis spinis transfigere, strata humi, expansisque brachiis, Christi in cruce suspendium in se ipsa referre; denique flexis genibus scalas quasdam ascendere, quasi eae ipsae essent, quas Sanctas Nostra in urbe appellamus, in more habebat. Interdiu autem cibo abstinere, aut amaras tantum herbas comedere, cera ex accensis candelis stillante, aut ignitis laminis corpus ustulare; tametsi vulnera ex nocturnis flagellationibus, et ruscorum spinae nunquam e corpore avulsae haud leviter eam excruciarent. Atque hoc vitae institutum ad extremum usque servavit; mirum ut omnibus videretur, foeminam deliciis olim assuetam, corporis habitu delicatam, parumque firma valetudine in se tantopere saevire posse.

De virtutibus ejusdem beatae.

§. 7. Nec minore studio b. Hyacintha precatione, rerumque coelestium commentatione pascebat animum, tantis interdum obortis lacrymis, ut iis respersa circa illam humus appareret; non raro etiam a sensibus alienata: quandoque ut diutius, ac liberius orationi vacaret, ad quadraginta continentes dies e cella nunquam egrediebatur, nisi ut ad chorum una cum caeteris monialibus

se conferret, aut ad poenitentiae, et eucharistiae accederet sacramenta. Quod si quid operis faceret, vel cum hominibus colloqueretur, tunc quoque aut divina cogitabat, aut de divinis sermones conferebat sic, ut mentem a Deo nunquam abduceret. Praeter preces monialibus singulis communes, sacris quibusque, quae in monasterii templo fierent, intererat: eucharistiae vero sacramentum, quo saepissime reficiebatur, tanto amore, ac dulcedine sumebat, ut eo die cibum omnino fastidiret. Singulari pietatis affectu complures sanctos, quos sibi patronos adsciverat, tum maxime gloriosissimam Dei coluit genitricem, in cujus honorem singulis sabbatis sub vesperam, quamvis rigeret hyems, septem in monasterii horto obibat aediculas, in unaquaque earum diutius orans.

De exemplo Christi sibi proposito.

§. 8. Quandoquidem vero b. Hyacintha Christum Jesum, qui se mitem et humilem corde professus est, in exemplum sibi ad imitandum proposuerat, tanto hinc humilitatis amore succensa fuit, nihil ut unquam praetermitteret, quod ad sui despectum conferre posset, nihilque magis aegre ferret, quam si vel minimum commendaretur. Hinc vestitus ille, quo nihil abjectius, hinc sermo tam demissus, vel cum inferiores alloqueretur, ut nihil supra; hinc saepius ea usurpata verba, se unam esse ex fatuis virginibus; hinc etiam illa animi firmitas, qua oblatum abbatissae munus semper detrectavit. Dum per praesides licuit, plures per annos singulis fere diebus in coenaculo, fune de collo suspenso, denudatisque humeris diris se primum flagris caedebat, pravae, ut ajebat, anteactae vitae veniam ab omnibus demississime petens; singulis denique quibusque monialibus, conversis quoque, pedes deosculabatur. Quin etiam saepe prae foribus coenaculi, aut conclavis tirocinii strata humi proculcari a praetereuntibus expetebat.

De virginali candore usque ad obitum servato.

§. 9. Ad haec Hyacintha casta corpore, et spiritu, ut agnum cum virginibus sequeretur nihil unquam, ne ante ipsam quidem vitae commutationem, gessit, unde vel leviter pudor laederetur, dubitari ut nullo modo possit, quin virginalem candorem ad obitum usque integrum servaverit. Totus corporis ejus habitus ad modestiam compositus, oculi ad terram perpetuo demissi. Si forte huic virtuti contrarium audiisset, illico sudore diffluere, et animo etiam deficere videbatur. Alios ad castitatis amorem magnopere hortabatur: nonnullas quoque preces condidit ad hanc ipsam virtutem illibatam servandam. Neque minus in ea obedientiae studium, sine qua ne in virtutibus quidem se exercere voluit, experta, quod aliquando cum abbatissae consiliis paruisset, colici, quibus afflictabatur, dolores statim remisissent.

Quomodo animi motus, et cupiditates compescere continuo studuerit.

§. 10. His suffulta virtutibus famula Dei animi quosque motus, et cupiditates compescere, et vero etiam frangere facile potuit; famem non pellere, sed irritare; monialibus graveolenti morbo laborantibus ministeria quaeque praestare, ulcera etiam putrida lambere; quamvis natura ita comparata, ut potius a solitudine esset aliena, ipsarum monialium congressus defugere, nunquam vero in propinquorum, nedum aliorum colloquia venire, nisi aut obedientia, aut charitas ad id ipsam adigeret. Mira in primis erat ejus aequanimitas, constantia, hilaritas, etiam in adversis quibusque, colicis doloribus, aliisque morbis tolerandis, in dicteriis, conviciis, et quibusvis injuriis ipsi illatis gaudenti animo excipiendis: pro quibus et gratias agebat, et se demittens pedes eorum, qui intulerant, deosculabatur, imo etiam eis beneficia rependebat. Denique in angustiis quibuslibet non alius Hyacinthae animus, non alia vox erat; quam ut pati posset, et Christo crucifigi.

De ejus charitate in Deum.

§. 11. Jam vero charitate in Deum tanta Hyacintha flagrabat, quanta maxima dici potest: nimirum ab omni vel levi culpa summopere abhorrens, id unum mente agitabat, ut divinae voluntati omnino inserviret. Divini hujusce amoris vis adeo vehemens erat, ut undique foris emicans ex suspiriis, quae trahebat, ex lacrymis, quas effundebat, et fervidis piae mentis affectibus, in quos erumpebat, ex colloquiis, quae de rebus coelestibus, ut alios etiam ad Deum amandum inflammaret, habebat, denique ex ore, gestu, totiusque corporis habitu satis cuilibet pateret. Atque ex hoc tam incenso in Deum amore charitas in homines emanabat egregia sane, et admirabilis, in foemina maxime in-

tra monasterii claustra degente. Ut delictorum veniam, morumque emendationem peccantibus a Deo impetraret, preces assidue, lacrymasque fundebat, diris quoque sese caedebat flagellis: utque homines a peccandi occasione deduceret; tum alias per annum, tum praecipue postremis bacchanalium diebus divinam hostiam in ejus monasterii templo, vel etiam alibi, publicae adorationi proponendam curavit. Ad haec qua monitionibus, qua suasionibus, qua aliis rationibus errantes ad salutis viam revocare conabatur, eo successu, ut non pauci e vitiorum coeno emersi ad bonam frugem reversi sint; nonnullae etiam meretrices ad morum honestatem traductae in tuto opera ipsius fuerint collocatae: plures quoque inimicitiae graves, mortalesque fuerint omnino restinctae. Magistrae tirunculárum, educandarum munus eo consilio libenter diu exercuit, ut puellas christianis praeceptis erudiret: quod quidem ea suavitate, ac sapientia perficiebat, ut vel ipsae moniales docentem libenter audirent. Curam quoque omnem in id conferebat, ut puellas, praesertim si periclitantes, ac pauperes, virginitatis amore accenderet, et emendicata undequaque pecunia juvaret, ut vitae religiosae disciplinam possent amplecti. Neque mirum, si ejus confessarii affirmaverint, in lucrandis Deo animabus plus Hyacintham valere, ac proficere, quam sacros oratores. Eadem quoque charitate eas complectebatur animas, quae post obitum piaculari igne torquentur, pro quibus et Deum assidue orabat, et auxilia precum ab aliis implorabat, et emendicata pecunia sacra facienda curabat.

Quomodo prospiceret alienis necessitatibus.

§. 12. Ut vero alienis necessitatibus, atque incommodis prospiceret non solum ea, quae in communi mensa apponebantur, aut dono accipiebat, praesidum permissu in pauperes conferebat; verum etiam pecuniam, aliaque opportuna, quibus eorum inopiam sublevaret, undique conquirebat: quin et moniales, caeterosque ad hujusmodi pia opera praestanda impense hortabatur. Ipsa viduas, pupillos, egenos quosvis cibariis, vestibus, pecunia sustentabat: carcere detentos sive a capitis discrimine vindicare, sive a vinculis erogata pecunia liberare, sive qua posset alia ratione consolari studebat. Monialibus aegrotantibus praesto in primis erat, et ministeria quaeque exhibebat, eo etiam libentius, quo foediore, ac putidiore morbo laborarent. Aegrotos vero exteros, quos nosset, omnes vel escis, vel medicaminibus, vel aliis ad rem opportunis juvare pro viribus enitebatur.

Sodalitates conditae in civitate Viterbii.

§. 13. Quae tam eximia in proximos charitas, ut perennis quodammodo, et perpetua permaneret, duas Viterbii pias sodalitates condendas, et suis quoque legibus, episcopo comprobante, muniendas curavit, quarum altera aegrotantium in publico valetudinario, alterum senum pauperum in unum locum congregandorum, et alendorum curam gereret: utraque vero emendicatam stipem in eos erogaret, qui vel carcere inclusi detinerentur, vel mendicare erubescerent, aut illam in alia pia opera impenderet. Sodales Hyacinthae monitis instructi, ac subsidio adjuti, votis ejus egregie respondentes, miseris haud leve solatium, et omnibus maxima virtutis documenta praebuerunt. Hujusmodi pia opera, et charitatis exercitationes tam praeclarae, simul et salutares visae sunt, ut viri illi sapientiae et virtutis laude praestantes, qui in alma nostra urbe anno millesimo septingentesimo vicesimo nono piam sodalitatem, cui nomen a sacro corde Jesu in s. Theodori aede ad forum Boarium instituerunt, nihil satius fieri posse putarint, quam si plurima ex iis, quae sodalibus illis olim Hyacintha praescripserat, novis hisce sodalibus, eadem Hyacintha patrona, praescriberentur. Proinde si hujusce piae sodalitatis homines tum doctrina, tum dignitate, tum pietate amplissimi, omnibus quidem illustri virtutis exemplo, abjectis vero, et egenis maximo etiam usui semper ex instituto fuerunt, et modo sunt, id profecto Hyacinthae in proximos charitati, ejusque opportunis praescriptionibus referamus acceptum oportet.

De praestigiis, et sollicitationibus adhibitis a daemone ad vincendam ejus virtutem.

§. 14. Tam perfectam, consummatamque virtutem iniquo animo ferens daemon praestigiis, sollicitationibus, aliisque modis b. Hyacintham tentare, et ab instituto vitae genere revocare conabatur; Dei tamen famula nunquam animo fracta, divinoque implorato auxilio victrix semper

discedebat, imo vehementius etiam ad summum virtutis gradum properabat. Cum autem sanctimonia vitae undique praefulgeret, admirabilem ejus in omni virtutum genere constantiam aliis quoque gratiarum charismatibus Deus voluit ornatam; siquidem saepe et prodigia edidit, et animi secreta perspexit, et futura praenunciavit, coelestibus demum visionibus, atque alloquiis recreata, et in divinarum rerum contemplatione a sensibus abstracta, et vero humo sublimis efferri visa est. Ex quibus omnibus factum, ut magnam spectatae, cumulataeque virtutis opinionem apud cujusque aetatis homines ipsa haberet, eamque tam late quoque diffusam, ut vel ipsi aliquando nautae tempestate jactati ejus opem implorarint; qua quidem implorata, a mortis discrimine evaserunt.

De obitu beatae.

§. 15. Verum jam matura coelo b. Hyacintha, annum agens quinquagesimum quintum, vicesimum vero sextum circiter, ex quo tam asperum vitae genus fuerat amplexa, doloribus colicis, quibus saepe in vita, tum etiam passione iliaca correpta fuit. Vitae exitum, prout saepius jam praedixerat, sibi adventare intelligens, poenitentiae, et extremae unctionis sacramentis muniri voluit, id unum moleste ferens, quod divino pane, quo pridie tamen fuerat refecta, ob ingravescentis morbi impetum rursus recreari nequaquam posset. Inter gravissima morbi incommoda, quae tranquillo, serenoque animo pertulit, cujusque virtutis actus exercens, a singulis etiam monialibus veniam petiit tanta cum animi demissione, ut ex omnium oculis lacrymas expresserit. Denique dum psalmorum versiculos recitaret, et Deiparae, aliorumque coelitum opem imploraret viginti quatuor circiter post horas, ex quo decubuerat, iii. kalendas februarias anno millesimo sexcentesimo quadragesimo evocata ad agni nuptias advolavit ad sponsum, ut acciperet coronam gloriae, quam ei Dominus paraverat in aeternum.

De opinione sanctitatis ejus apud omnes diffusa.

§. 16. Ad ejus corpus invisendum tantus hominum concursus factus, ut militum custodiis opus fuerit, qui affluentis populi turbam, impetumque alia saltem ex parte coercerent. Neque vero solum ejus faciem spectabilem, et majestate plenam, membraque flexibilia omnes demirabantur, verum etiam ungues, capillos, vestimenta summo cum pietatis affectu certatim excidebant, sic, ut aliis, aliisque subinde vestibus eam induere oportuerit. Quae sanctitatis opinio cum in dies invalesceret, et frequens hominum multitudo ad ejus sepulcrum pie accurreret, acta de ejus virtutibus, et prodigiis ex auctoritate ordinaria anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo perfecta sunt, ex apostolica vero quatuor post annos. Post haec virtutum inquisitione instituta, et re saepius in sacrorum Rituum congregatione de more expensa, tandem eas vere heroicas existere fel. rec. Clemens XI. praedecessor Noster iii. kalendas februarias anno MDCCXV. apostolico decreto confirmavit.

Judicium de miraculis ab ea factis.

§. 17. Huic judicio successit alterum de miraculis, quae plurima, b. Hyacintha suffragante, post ejus mortem patrata dicebantur, e quibus duo pluribus in comitiis ab eadem congregatione ad trutinam revocata, communibus suffragiis approbatione digna visa sunt, quorum alterum piae mem. Innocentius VIII., praedecessor Noster xv. kalendas sextiles anno MDCCXXII., alterum ejusdem mem. Benedictus XIII. pariter praedecessor iii. idus majas anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto inter vera miracula referendum esse dixit.

Tenor miraculorum.

§. 18. Primo loco approbatum miraculum referebat, quod soror Virginia Pedantes conversa in monasterio Viterbiensi s. Bernardini jam inde ab ineunte aetate epilepsia aliquantulum vexata, martio tamen anni MDCCIX. saepius, et vehementius adeo correpta est, ut ab omni sensu alienata valde se contorqueret, et spumam ex ore eliceret. Vi morbi in dies saeviente, vi. idus decembris ita fuit conflictata, ut nonnisi septem post horas sensus receperit. Ubi primum tamen Hyacinthae opem exposcere per morbum ei licuit, subito eam sibi adstantem adspexit, dexteraque capiti imposita ajentem audivit, sanitati jam restitutam, ut plane contigit. Alterum miraculum erat, quod Felix Sterbinia tres et viginti annos nata ineunte majo anni MDCCI. continente febri, pectoris dolore, spirandi difficultate, tussi, purulenta, foetidaque

excretione, atque adeo pulmonea vomica laborabat, empyemate etiam afflictata: quintili ineunte, Ecclesiae sacramentis jam munita, atque a medicis deposita erat; statim vero ac sibi Hyacinthae effigiem admovit, omnino convaluit.

Beatificatio ejusdem famulae Dei.

§. 19. Deinde cum cardinales pronunciassent, Hyacintham in beatorum coelitum numerum tuto adscribi posse, idem Benedictus praedecessor pridie idus quintiles anni ejusdem id utique fieri posse, edito decreto affirmavit, prout solemni ritu in basilica Vaticana perfectum est proximis kalendis septembribus. Accessit facultas Viterbii, et Vineanelli incolis, universisque ex sacra s. Francisci familia, qui ad horas canonicas tenentur concessa recitandi quotannis b. Hyacinthae officium, et missam de communi virginum, oratione tamen propria, itemque lectionibus propriis secundi nocturni, quas rec. mem. Clemens XII. praedecessor Noster pridie idus quintiles anno MDCCXXXIX. comprobavit.

Nova prodigia a beata facta.

§. 20. Caeterum, ut b. Hyacintha sanctarum virginum catalogo referri posset, acta confecta sunt de prodigiis, ea deprecante, editis posteaquam in beatorum coelitum ordinem fuerat adscita. Ex eis tria cardinalium congregationis sacrorum Rituum judicio fuerant commissa, quorum etsi duo tantum causa postularet, tamen omnia attente, diligenterque perpensa, demum in congregatione generali viii. kalendas decembris anno millesimo septingentesimo octogesimo nono approbationem obtinuerunt; quam sacrae congregationis sententiam fel. rec. Pius VI. proximus praedecessor Noster vi. idus decembris ejusdem anni ratam esse voluit, ac tres sanationes miraculo fuisse patratas declaravit: quae ita se habuerunt. Prima: Soror Paula Felix Urbinia ex puellarum collegio, vulgo delle Tavelle, Ravennae undevigesimo aetatis anno sicco astmate tentari coepit, et per septennium saepe acri febre, aliisque incommodis eousque vexata fuit, dum inveterato astmate ex medicorum sententia se laborare intellexit. Itaque de sua salute desperans ad b. Hyacinthae opem confugit iii. nonas februarias anno MDCCXLIV., quo quidem die in summo discrimine versabatur, neque ita post, omni depulso morbo, pristinae valetudini fuit restituta.

Idem ut supra

§. 21. Altera: Soror Margarita Fusconia ex eodem puellarum collegio Ravennae, celtica lue a matris utero contracta, assiduis capitis doloribus pressa, atque acutis quoque febribus saepe in anno jactata, post annos decem et septem, ex quo tam adversa jam detinebatur valetudine, accedentibus tuberculis in ore, et in gutture, gravius in dies morbo urgebatur, prorsus ut inveterata, atque immedicabili arthritide eam premi artis medicae periti pronunciaverint. Cum igitur nulla salutis spes affulgeret, b. Hyacinthae opem imploravit, ejusque effigiem chartaceam affectis corporis partibus admovet, ac repente ad integram, confirmatamque valetudinem pervenit.

Idem ut supra

§. 22. Tertia prodigiosa sanatio contigit in Anna Gertrude Tirinonia una ex alumnis collegii puellarum, cui a s. Paschali nomen, hac in nostra urbe, quae olim a gravissimo morbo morti jam proxima, b. Hyacintha exorante, convaluerat: sex post mensibus eadem saevo, vehementique dolore sub sinistra mammilla fuit affecta, cui accessit anhelatio, cibi fastidium, viriumque infirmitas; majo vero anni MDCCLXXIX. asperiore vexata tussi, majore spirandi difficultate, acriori dolore, eoque in aegra corporis parte pulsu, ut auribus etiam perciperetur; postremo, elata, incurvataque costa, oedemate toto corpore afflictata, viribus destituta, desperata a medicis habebatur, quippe quae organico praecordiorum vitio omnino laboraret. At iii. kalendas februarias die sacra b. Hyacinthae anno millesimo septingentesimo octogesimo cum ejus praesidium implorasset, ejusque reliquia signo crucis muniri postulasset, vix dum reliquia admota, omni laethalis morbi abacta vi, ipsa lecto desiliit, vestem induit, stetit, ac deambulavit.

Judicium sacrae congregationis Rituum super sanctitate ejusdem beatae

§. 23. His tribus miraculis approbatis, cum universi cardinales sacris ritibus praepositi affirmare non dubitaverint, beatam Hyacintham in sanctorum numerum adscribi tuto posse, idem Pius praedecessor Noster, divino prius implorato praesidio, xviii. kalendas septembres anno millesimo septingentesimo nonagesimo decretum edidit canonizationis b. Hyacinthae Mariscottiae quandocumque opportunum videretur peragendae. Itaque Nos ex debito pastoralis officii, quod in-

firmitati Nostrae divina clementia credidit, iteratis precibus jam olim exhibitis, ac denuo repetitis in primis Mariscottiae nobilissimae familiae, monasterii Viterbiensis s. Bernardini, et universi ordinis s. Francisci, imo votis publicis fidelium permoti, b. Hyacintham sanctis virginibus adnumerare aequum, et pium esse censuimus. Quocirca de veteri more Sedis apostolicae in tribus consistoriis eamdem causam agitari mandavimus; in quorum primo, quod secretum fuit, die xxiii. martii proxime elapsi coram Nobis habito venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales, postquam summam virtutum, et miraculorum b. Hyacinthae, seriemque actorum in sacra Rituum congregatione, dilecto filio Nostro Julio Maria tituli s. Mariae supra Minervam presbytero cardinale della Somaglia nuncupato congregationis sacrorum Rituum praefecto referente, attentis animis audivissent, eadem omnes sententia sibi placere dixerunt, ut ad solemnem b. Hyacinthae canonizationem juxta consuetum Sedis apostolicae morem procederemus.

Preces porrectae pro obtinenda ejus canonizatione.

§. 24. Non multo post tempore, nimirum die xx. aprilis consistorium publicum convocavimus, in quo Hieronymus Bontadossi sacri consistorii advocatus, petita, et impetrata a Nobis venia, seriem vitae, virtutum, et miraculorum beatae Hyacinthae luculenta, et diserta oratione exposuit, et de more pro ejusdem canonizatione preces obtulit; interea summa virtutum, et miraculorum b. Hyacinthae, seriesque actorum ex authenticis sacrae Rituum congregationis monumentis deprompta typis commissa fuerat, cujus exemplaria omnibus, et singulis dari jussimus, qui adhuc in hac causa sententiam dicturi erant. Quam ad rem et ut sanctificationis celebritas quam maxima posset dignitate perageretur, episcopos e provinciis urbi vicinioribus acciri mandavimus. Igitur in consistorio semipublico S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum die xiv. hujus mensis indicto, in quo etiam Nostri et apostolicae Sedis notarii, protonotarii nuncupati, ex numero participantium, et sacri palatii apostolici causarum auditores vocati adfuerunt, iidem cardinales, patriarcha, archiepiscopi, et episcopi, uno omnes ore, et spiritu censuerunt dignam profecto esse b. Hyacintham, quae sanctarum virginum canoni adjungeretur. Exultavit anima Nostra in Domino cum tam venerabilem fratrum Nostrorum coronam in eam sententiam consensisse intelleximus, ut Nos ad extremam manum tam pio operi imponendam enixe adhortarentur: quorum suffragia, proprio chirographo munita, colligi, et in S. R. E. tabularium inferri jussimus; instrumentum quoque publicum de actis ejus consistorii confici mandavimus.

§. 25. Absolutis omnibus, quae ex Catholicae Ecclesiae disciplina, et novissimis antecessorum Nostrorum decretis impleri debuerunt, quod reliquum erat, jejunia, et orationes publicas indiximus, et una cum devota plebe humillimas Nostras preces Deo obtulimus, ut lumen veritatis Nobis ostenderet, auxiliumque praestaret, ut in tam sancto, et arduo negotio rectam viam et cognoscere, et ei insistere possemus.

Preces, et jejunia publica indicta ad petendam opem divinam in judicio ferendo.

§. 26. Hac denique die vicesima quarta maij, qua hoc anno solemnitas sanctissimae Trinitatis recurrit, supplicationis generalis ritu, praeeuntibus utriusque cleri ordinibus, congregationis sacrorum Rituum consultoribus, Nos ipsi demum cum dilectis filiis aulae Nostrae officialibus, et familiaribus, cum schola cantorum, cunctisque Romanae curiae praelatorum collegiis, presbyteris quoque poenitentiariis sacerdotali veste indutis; denique cum venerabilibus fratribus episcopis, archiepiscopis, et patriarcha, qui in urbe est, universoque venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium collegio, frequenti procerum, et magistratuum numero stipati, ex apostolicis aedibus prodeuntes, et subsequentibus apostolicae Sedis notariis, ac regularium ordinum generalibus superioribus, ad Vaticanam principis apostolorum basilicam, nova dignitate, ac majestate fulgentem, processimus: ibique antequam sacra mysteria perageremus, ecclesiasticum conventum celebrantes, post exhibitas Nobis semel, iterum, atque iterum a dilecto filio Nostro Innico Didaco tituli s. Augustini S. R. E. presbytero cardinali Caracciolo nuncupato postulationes pro ipsius b. Hyacinthae Mariscottiae, quemadmodum etiam pro bb. Francisci

Caracciolo, Benedicti a s. Philadelphio, Angelae Mericiae, et Coletae Boilet, solemni canonizatione, implorata prius divina ope, coelestium spirituum, et sanctorum omnium intercessione, atque invocato Spiritu Paraclito, ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augumentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra, ipsam b. Hyacintham, monialem professam tertii ordinis sancti Francisci, incensae in Deum, et proximum charitatis, poenitentiae singularis, omniumque christianarum virtutum laude, et miraculorum gloria maturo Nostro, et adstantium fratrum Nostrorum judicio cumulatissimam, una cum praefatis Francisco, Benedicto, Angela, et Coleta sanctam esse decrevimus, et definivimus, et in sanctorum album retulimus, ejusque memoriam, quam in subsecuta missae celebratione Nos ipsi solemniter venerati sumus ab universa Ecclesia quotannis die trigesima januarii coli mandavimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui praesentes aderant, plenariam, iis vero, qui singulis annis praedicta die ad ejusdem sanctae venerandum sepulcrum accessissent, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino concessimus.

Gratiarum actio.

§. 27. Debitas quoque gratias decantato hymno egimus, Deum patrem, regemque gloriae Christum, et sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudantes, et confitentes. Tum Altissimo vota nostra reddentes hostiam immaculatam pro pace Ecclesiae, et incolumitate plebis Christianae Deo solemni ritu immolavimus.

Fides habenda transumptis.

§. 28. Quoniam vero idem cardinalis, et procurator deputatus, obsequenter Nobis supplicavit, ut super praemissis literas apostolicas decernere dignaremur; Nos justissimae huic petitioni ultro annuentes praesentes Nostras literas in perenne gestorum omnium monumentum edi, et publicari jussimus; mandantes, ut earum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina cardinalium praesentium canonizationi.

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. cad. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta,

✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.

✠

✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tituli s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠

✠

✠

✠

✠

A. card. pro-Datarius. R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei

F. Lavizzarius

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

Dat. die 24 maii 1807 anno VIII.

CCCCLXXXVI.

Canonizatio beati Francisci Caracciolo sacerdotis professi, et fundatoris Clericorum Regularium minorum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Ad cathedram apostolorum principis summa Dei benignitate, nullis licet Nostris meritis, sublevati, atque adeo in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, ad consummationem sanctorum positi, muneris Nostri esse sentimus, non modo errores contra orthodoxam fidem serpentes evellere, securamque viam, quae ducit ad vitam, demonstrare; verum etiam nova, quae in Ecclesia sancta Dei jugiter florent, virtutum heroicarum exempla fidelibus imitanda proponere, quibus illi incitati, despectis caducis, et terrenis omnibus, sola coelestia et perennia bona concupiscant. Sed cum multi omni aetate viri eximia vitae claruerint sanctimonia, quibus pretiosissima in coelis corona justitiae a Domino reddita est, honoresque venerationis in terris solemni ritu decreti sunt, peculiarem tamen sibi locum vindicant regularium ordinum institutores, qui voce Salvatoris Nostri Jesu Christi admoniti in evangelio dicentis, messem quidem esse multam, operarios autem paucos, et apostolis, discipulisque suis praecipientis, ut a Domino messis operarios mitti rogent, non solum ipsi pro virili parte in agro Dominico excolendo strenuam operam collocarunt, verum in futura etiam tempora prospicientes igne divinae charitatis incensi, et gratia Paracliti Spiritus roborati sanctissimas illas societates instituerunt, in quas adsciti homines, et votorum religione adstricti, alii vitae contemplativae totos se devoverent, alii vero hanc ita sequerentur, ut simul iis etiam ministeriis se manciparent, quae proximorum saluti procurandae utilia essent atque opportuna.

De utilitatibus promanantibus a canonizatione sanctorum.

§. 2. Neque enim honorificum duntaxat est Ecclesiae sponsae Christi, quae circumdata varietate in sacris literis describitur, praecipuos religiosarum familiarum fundatores ita perfectione vitae, et prodigiorum coelestium gratia excelluisse, ut in sanctorum numerum referri meruerint, verum universo quoque fidelium coetui utilissimum est, iis vitam laudabiliter actam, et virtutes eorum imitandas proponi, a quibus tot spiritualia dona in Christianos populos derivarunt, et adhuc per eorum alumnos ex instituti sui legibus in vinea Domini Sabaoth assidue laborantes uberrime manare non cessant. Quid, quod regularium institutorum alumni validioribus stimulis ad currendam perfectionis viam sese excitari sentiunt, dum magistros, parentesque suos sublimibus meritis praefulgentes, donisque coelestibus insignitos, ad supremos altarium honores evectos intuentur? Gaudeat igitur, et exultet sponsa Christi Ecclesia, quae tam multa atque illustria sanctitatis germina Christo parit, et dum tantis undique premitur tribulationibus, novis filiorum suorum triumphis mirifice decoratur. Eminet inter hos servus Dei fidelis beatus Franciscus Caracciolo, quem tamquam amicum carissimum, ut ascendat superius, Dominus invitat, novumque nobis protectorem ad mortalis hujus vitae difficultates superandas in coelis constituit. Pretiosissima quidem corona gloriae illustria ejus, praeclaraque merita donata sunt, qui, calcatis mundi deliciis, aeternae saluti unice intentus totum se cultui divino addicens, cum aliis ejusdem propositi sodalibus ordinem Clericorum Regularium minorum instituit, qui praeter juge orationis, jejunii, et afflictationis corporis studium, spiritualibus proximorum commodis consulerent, et in apostolicis ministeriis obeundis sese assidue diligenterque exercerent. Hunc ille ordinem amplificavit, prudentissime rexit, et, quod primum est, exemplis, sanctissimisque moribus instruxit, donec feliciter consummato cursu ad aeternae beatitudinis praemium evolavit.

Resolutio habita super canonizatione venerabilis servi Dei.

§. 3. Quo circa post maturum, diligensque examen ex veteri more, et catholicae Ecclesiae disciplina adhibitum, cum de hujus beati viri virtutum excellentia, et miraculorum gloria legitime constiterit, Nos, de consilio, et consensu venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in Romana curia con-

gregatorum eum in sanctorum confessorum album retulimus, et ut vere sanctum ab universa Ecclesia honorandum, et colendum esse definiendo decrevimus, ejusque vitam ad sanctitatis normam exactam fidelibus imitandam proposuimus.

Tenor vitae habitae a venerabili servo Dei.

§. 4. Natus is est in Aprutii avito oppido, cui sanctae Mariae de Villa nomen, ex nobilibus, piisque progenitoribus Ferdinando Caracciolo, et Isabella Baratucci anno reparatae salutis millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, die vero decima tertia octobris. Sortitus animam bonam, sancteque educatus, in pueritia a levitatibus, ejus aetatis propriis, alienus fuit, cum vero a pueris excessit, a vitiorum illecebris semper abhorruit. Vicesimum aetatis suae annum cum attigisset, gravissimo, molestissimoque morbo, elephantiae simili, conflictatus, quo totum ejus corpus misere foedatum erat, cum spes salutis vix ulla relicta esset, superno lumine illustratus humanarum rerum, mundique vanitatem agnoscens statuit in corde suo, si convaluisset, divino prorsus servitio, ac proximorum utilitati sese mancipare. Convaluit, nihilque habuit antiquius, quam, ut id, quod proposuerat, alacriter exequeretur. Neapolim se contulit, sacrisque eruditus literis, et sacerdotio initiatus sodalitio «de Bianchi» vulgo nuncupato, adscribi voluit, cujus praecipua cura est iis, qui extremo supplicio damnati sunt, verbis, aliisque pietatis operibus, auxilium opemque ferre; quo quidem eximiae charitatis officio maximo cum fructu, et summo animi fervore toto reliquo vitae suae tempore functus est. Assidue autem Deum precabatur, ut viam sibi ostenderet, qua fideliter, quod proposuerat, impleret. Annuit votis Deus, et mirabili ratione; nam cum Franciscus in praedicti sodalitii sacello oraret, Ascanii nomen in sacro baptismatis fonte illi impositum adhuc retinens, epistola ei tradita est, qua Augustinus Adorni nobilis Januensis, et Fabricius Caracciolo alium Ascanium de familia Caracciolo in partem consiliorum suorum de regulari clericorum minorum ordine instituendo vocabant. Franciscus errorem minime suspicatus, occasionem divinitus oblatam ultro arripuit, et illico Augustino, et Fabricio sese fidissimum adjutorem exhibuit, qui divinae providentiae consilia demirantes libentissime illum in tanti operis societatem receperunt.

Erectio novi ordinis ab eo facta, cum ordinatione regularum a sancta Sede confirmatarum.

§. 5. Tunc piissimi hi tres viri in Camaldulensium eremum prope Neapolim profecti, orationi, jejuniis, aliisque vitae austeritatibus intenti, coelesti ope a patre luminum implorata, novi ordinis leges condiderunt. Beatus Franciscus cum Augustino Romam venit, et a fel. rec. praedecessore Nostro Sixto V. regulam approbari obtinuit, qua scilicet, praeter alia, alumni ejus ordinis jubentur continuis orationibus, spiritualiumque operum exercitio, et aspera carnis maceratione ad suam, aliorumque Christifidelium animarum salutem, et profectum vacare, quibus etiam ecclesiasticas dignitates non ambiendi, neque acceptandi, nisi summo pontifice jubente, solemne votum tunc additum fuit. Spirituali gestiens gaudio vir Dei Franciscus, et Augustinus Neapolim redeunt, et solemni professione emissa, propagandi ordinis desiderio inflammati ambo simul Hispaniam petunt; sed cum nihil tunc proficerent, Neapolim revertuntur. Biennio vix elapso a solemnibus votis nuncupatis, Augustinus Adorni immatura morte decedens, magnum sui desiderium, et praeclarum virtutum suarum odorem reliquit. Ex quo factum est, ut omnis propagandi, augendique ordinis sollicitudo in Franciscum incumberet; qui primum Neapoli, tum in Hispania, deinde Romae sui instituti domicilia fundavit. Verum in Hispania, quo semel, et iterum pedes, mendicans, et aspero cilicio praecinctus se contulit, multum ei elaborandum, multaque fuerunt perferenda, inimico homine zizania super seminante, et calumniis acerrime conatus ejus turbare tentante. At difficultates demum, contrariaque omnia vicit Franciscus Dei omnipotentis primum ope, deinde virtutibus suis mirifice praefulgentibus, patrocinio tandem, munificentiaque Philippi II., et Philippi III. regum catholicorum.

De virtutum splendore, quibus excellebat

§. 6. Profecto virtutum splendor, quibus Dei famulus excellebat, omnium excitabat admirationem. Theologicam ejus fidem cum alia argumenta multa, tum ingens illud studium, quo alios in fidei mysteriis, catechesibus, et concionibus erudiebat, mirifice demonstrabat. Spe vero in Deum summa fretus terrena quaevis ad mortem usque constanti animo despexit, ad solum

beatae vitae praemium anhelans, quod sibi a Deo, per Christi merita, magna cum fiducia expectabat. Immo ne in necessitatibus quidem temporalibus divinam opem sibi unquam defuturam persuasum habebat, nonnullis etiam prodigiis in hoc confirmatus, cibis ei, atque eleemosynis, cum maxime opus esset, ex insperato exhibitis. Sed prae caeteris virtutibus charitas Dei in Francisci corde diffusa eminebat. Nihil illi dulcius, quam de Deo loqui, nihil in sacris concionibus frequentius, quam de charitate disserere, unde divini amoris promotor, et concionator tum in Hispania, tum in Italia passim appellabatur. Tantus vero erat divinae charitatis ignis, quo intus aestuabat, ut in ejus quoque vultu sese proderet manifeste. Adorationem eucharistici sacramenti ad integras usque noctes protrahere consuevit, quo tempore cor ejus tamquam cera liquescebat, et oculi lacrymis profundebantur; exclamare etiam solitus: « Zelus domus tuae comedit me ». Quem cultum coelestis eucharistici panis ut promoveret, constituit, ut sui ordinis alumni quotidie per vices coram augustissimo sacramento venerabundi persisterent; quod pium perenne exercitium, veluti praecipuam sui ordinis tesseram, esse voluit. Ex vehementi in Deum amore efficax proximorum dilectio in Francisco oriebatur, qui diu noctuque super egenum, et pauperem intelligebat. Cum regularem vitam profiteri constituit, venditis prius bonis omnibus, quae possidebat, pretium dispersit, deditque pauperibus. Solemni professione emissa, in publicis viis stipem emendicabat, ut pauperum inopiam sublevaret, egenisque matronis victum quotidie subministraret; quin etiam tres in hebdomada dies solo pane et aqua transigebat, ut sua abstinentia inopes reficeret. Aliquando hyemis tempore pauperi ferme nudo, et frigore pene exanimi, exteriori tantum sibi veste relicta, caetera sua indumenta largitus est. Carceribus detentos amicissime solabatur, aegrotantibus primum fidei christianae rudimenta explicabat, tum consilia, et alia pietatis officia exhibebat: illis vero, qui in extremo mortis agone versabantur, praesto erat, et flexis genibus, qua sacris precibus, qua fervidis adhortationibus spirituale praestabat auxilium, neque eos deserebat, donec inter hujusmodi charitatis officia expirassent.

Quomodo obtinuerit a sa. me. Paulo V. ecclesiam sancti Laurentii in Lucina, et honores continuo recusaverit.

§. 7. Ejus autem cor tunc maxime dilatatum fuit, cum a rec. mem. Paulo V. praedecessore Nostro impetravit, urbis paraeciam s. Laurentii in Lucina suo ordini administrandam tradi, in qua praeclaram ille nactus fuit occasionem exercendae frequentissime charitatis. Nam cum aeternae proximorum salutis studium medullis propemodum ejus ac visceribus inhaereret, sacramentalibus confessionibus excipiendis summa semper patientia, atque etiam hilaritate se dabat; ad perditorum hominum conversionem procurandam non verbo solum, sed orationem etiam, jejunia, suique corporis flagellationem adhibebat: ne puellarum periclitaretur pudicitia corrogatis eleemosynis, aut piis matronis, asceteriisve custodiendas tradebat, aut ut provide nuberent curabat. His, aliisque charitatis in proximos officiis merito assecutus fuit, ut pater pauperum, et charitatis vocaretur. Accedebat virtutum aliarum omnium chorus, quae regularis instituti propriae ac peculiares sunt. Paupertatis cultor eximius saepe domus angulo pro cella utebatur; lacera, et attrita veste indui gaudebat; jejunium mensae cuivis lautae, et jucundae praeferebat; ut brevissimum carperet somnum, lectulo decumbebat, qui tabula, aut humo commodior non esset. Mentis, corporisque puritatem maxima cura custodivit, servavitque illaesam. Carnem ita compescuit, et in servitutem redegit, ut homo aeneus appellaretur. Effrontis mulieris artes, quae ipsum impulerat, ut caderet, divina protegente gratia, elusit, impudentiamque coarguit; quae facti poenitens ad ejus pedes provoluta veniam a Deo, et a Dei servo lacrymans precata est. Jam obedientiae virtutem, quam omnium virtutum lydium lapidem esse dicebat, quantopere adamaret, vel tunc satis patuit, cum ante Deiparae imaginem voce paullulum elata salutationem angelicam domi recitans, a superiore tacere jussus est. Conticuit ille statim, et submissis genibus immobilis mansit, dum idem superior, post aliquod temporis spatium, ut surgeret, imperavit. Neque minor in viro Dei elucebat animi demissio, qui cae-

teris omnibus eo se minorem et contemptibiliorem existimabat, quo coram Deo atque hominum etiam opinione, ac judicio major erat, et dignior. Electus perpetuus praepositus generalis ordinis aegre honorificum istud onus subiit, a quo sponte sese postmodum abdicavit. Dum tamen praepositi generalis munere fungebatur, aegrotantibus suis alumnis fercula inferebat, lectulos sternebat, cubicula verrebat, vilia, et abjecta quaevis munia praestabat, et per noctes etiam insomnis assidebat. Cum pro ordinis sui confirmatione obtinenda Romam sine sacculo, sine pera venisset, ut honores effugeret, ad januam coenobii fratrum cappuccinorum sese inter mendicos abscondit, et ab eisdem hospitio receptus cibum in eadem paropside cum leproso et ulceroso libentissime sumpsit. Nihil igitur mirum videri debet, si ecclesiasticas dignitates ab eodem praedecessore Paulo V. oblatas constantissime recusaverit, et in suo ordine aliis semper subesse vehementissime optaverit.

De donis obtentis a Deo, et portentis patratis.

§. 8. Supernis vero donis Deus servum suum ita demisse de se sentientem clarificavit, praecipue sanationum gratia, et prophetiae spiritu. Nam gravissimis oppressos morbis quandoque signo crucis, quandoque sola manus impositione sanitati restituit. Effraenato juveni, salutaria ejus monita irridenti, intra unius horae spatium mortem denunciavit, quam ille, ut praedixerat servus Dei, repente oppetiit. Navim conscendens, horridam tempestatem, et omnes ex ea incolumes evasuros praevidit, praedixitque. Cum autem voti solvendi causa sacram Lauretanam aedem beatissimae Mariae virginis adivisset, et jamdiu corpore dissolvi, et cum Christo esse cuperet, brevi eum sui voti compotem futurum, Deus in augusto templo illo ipsi patefecit. Sane inde rediens, cum ad Agnonem, citerioris Aprutii oppidum, ordinis propagandi ergo accederet: Hic requies mea, dixit, in saeculum saeculi. Altero transacto die, postquam ad dictum oppidum pervenerat, in domo patrum Oratorii, a quibus hospitio receptus fuerat, in febrim levem incidit, quae deinde gravis, et pessimae indolis evasit. Extemplo per generalem exomologesim conscientiae suae munditiem augere voluit; tum sacrosanctum Christi corpus, etsi viribus omnino fere destitutus, e lectulo tamen prosiliens, et genuflexus, singulari pietate, atque animi fervore accepit. Alumnis suis epistolam mittendam dictavit, qua eosdem ad regularis disciplinae, omniumque virtutum amorem adhortabatur. Ingravescente morbo extremae unctionis sacramento munitus, insigne patientiae, fortitudinis, et firmissimae in Deum spei exemplum praebens, modo Jesu Christi, modo beatissimae virginis, quam summo semper veneratus fuerat obsequio, ac sanctorum se commendans patrocinio, ad coelum se pergere affirmans, in pervigilio solemnitatis corporis Christi dilectam Deo et hominibus placidissime efflavit animam die quarta junii anno millesimo sexcentesimo octavo, aetatis vero suae quadragesimo quarto.

De fama sanctitatis, ejus vix divulgata morte, et prodigiosis sanationibus ipso intercedente operatis.

§. 9. Divulgata Francisci morte, ob praeconceptam de ejus sanctitate opinionem magnus hominum concursus factus est, etiam ex finitimis oppidis, ut corpus illius inviserent, manus deoscularentur, et vestis frustula certatim sibi raperent. Ad haec corporis flexibilitas, odor suavissimus, vultus hilaris, prodigiosae sanationes ejus ope impetratae gloriam ejus in coelis demonstrabant. Fertur etiam, extractis ex dissecto corpore visceribus, in corde ejus apparuisse carneis literis descripta Davidica verba » Zelus domus tuae comedit me », quae ille quidem, dum in vivis ageret, semper in corde, ac saepissime habebat in ore. Per tres dies cum pio confluentis populi desiderio satis fuisset factum, post inde ex illius oculis subtractum, et noctis tempore citissimo itinere Neapolim ad ordinis domum s. Mariae Majoris delatum fuit, ibique honorifico funere sepultum, et divinis prodigiis illustratum. Viginti circiter post annos in corporis translatione ad decentiorem locum singularis in illum populi pietas eos praetergressa est fines, quos sapientissima decreta piae recordationis Urbani VIII. praedecessoris Nostri statuerant, de cultu publico ante Ecclesiae judicium Dei servis non exhibendo; ac propterea causa ejus beatificationis et canonizationis non ante diem vigesimam octavam septembris anni millesimi septingentesimi primi, qui

a felici ipsius obiti nonagesimus secundus numerabatur, in sacrorum Rituum congregatione introducta fuit. Tum processus apostolici, tam in genere, quam in specie, constructi fuerunt, quibus probationes de splendore virtutum servi Dei, deque gloria miraculorum ejus intercessione a Deo editorum continebantur. Cum caetera omnia rite ac feliciter processissent; et interea omnipotentis Dei dextra novis prodigiis suum famulum clarificaret, nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregatio declaravit, ob peculiares ejusdem causae circumstantias posse sacrae Rituum congregationis consultores in virtutum judicio etiam miracula prae oculis habere.

Judicium latum de ejus virtutibus in gradu heroico

§. 10. Virtutibus igitur servi Dei in sacrorum Rituum congregatione diligenti examine discussis, earumque praestantia in gradu heroico probata, sanctae memoriae praedecessor Noster Benedictus pp. XIV. ejusdem congregationis sententiam confirmans die vigesima tertia aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo declaravit, de virtutibus Francisci in gradu heroico constare; cum tamen virtutes ipsae ex testibus de auditu tantum, multiformiter licet adminiculatis, probatae essent, simul censuit ad ejus beatificationem non ante esse deveniendum, quam miracula omnino quatuor probarentur, atque approbarentur juxta formam decreti eadem ipsa die editi. Deinde cum octo miracula in tribus consuetis sacrorum Rituum congregationibus ad examen, et approbationem proposita fuissent, idem praedecessor Benedictus XIV. ex unanimi praelaudatae congregationis sententia die decimanona septembris anno millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo de duobus miraculis constare declaravit, nimirum de sanatione Januarii Cappelli, qui, invocato Dei servo, repente liberatus fuit ab ulcere cancrenoso, pro cujus tentanda sanatione chirurgus die sequenti ignem decreverat, itemque de altera sanatione Philippi Rubinacci ad extremum deducti ob lapsum ab eminenti loco secuta ossium luxatione, et fractura, qui ad servi Dei invocationem illico sanitatem, liberumque et expeditum totius corporis motum obtinuit, nulla adhibita medici ope, aut chirurgi manu. Consecuta sunt alia duo miracula per Francisci intercessionem a Deo patrata, quae pari ratione examini subjecta, et a sacrorum Rituum congregatione approbata piae memoriae Clemens XIII. praedecessor quoque Noster decreto suo die trigesima novembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo confirmavit: quorum alterum erat repentina sanatio Caroli de Vivis a copioso, et immodico sanguinis ex ore effluxu ac pravis symptomatibus, quae eum ad deploratum statum redegerant, cum instantanea, et perfecta deperditarum virium reparatione: alterum repentina pariter sanatio Antoniae Niglio ab immanibus doloribus ischiadis, motum omnem inhibentis, et intestinorum, adjuncta gravi, continuaque febri, aliisque gravibus symptomatibus, viribus illico restitutis.

Beatificatio venerabilis servi Dei;

§. 11. Quatuor his miraculis ita probatis fel. rec. Clemens XIV. praedecessor Noster, attentis peculiaribus circumstantiis, concessit, ut ad beatificationem deveniri posset, quin causa in sacra Rituum congregatione iterum proponeretur, literasque apostolicas in forma brevis pro solemni servi Dei beatificatione celebranda expediri jussit sub die quarta junii anni millesimi septingentesimi sexagesimi noni. Post beatificationis solemnia eo ipso anno die festo sanctissimi Nominis beatae Mariae virginis rite celebrata, statim de duobus aliis miraculis beati Francisci intercessione editis agi coeptum est, quae in sacra Rituum congregatione ad trutinam legitime revocata, approbationem obtinuerunt; quorum primum fuit subita, et perfecta sanatio Agathae Montellae Romanae ab ulcere fistuloso in cavum pectoris penetrante, comite febri lenta, cum integra virium recuperatione: alterum similiter repentina, integraque sanatio Angelae Nardi Romanae a teterrimo cancro in regione lienis. Sententiam sacrae congregationis secutus fel. rec. Pius papa VI. praedecessor Noster haec duo miracula die decima septima decembris anni millesimi septingentesimi octogesimi sexti approbavit, ac subinde die decima quinta augusti anno millesimo septingentesimo nonagesimo post generalem solitam congregationem pronunciavit, tuto ad solemnem beati Francisci canonizationem procedi posse. Quod cum

idem praedecessor Noster ad exitum propter temporum difficultatem perducere non potuisset : Nos, habita ratione precum, quae ab exordio causae a regibus et principibus apostolicae Sedis pro famuli Dei canonizatione exhibitae fuerunt, et quas ordo clericorum regularium minorum exhibere non desistebat, juxta canonicas sanctiones, et venerabilia praedecessorum Nostrorum decreta in tam arduo negotio procedere volentes, primum universo S. R. E. cardinalium collegio totius causae seriem, scilicet compendium vitae, virtutum, et miraculorum ex actis sacrae Rituum congregationis depromptum, typisque impressum distribui jussimus : tum in consistorio secreto die vicesima tertia martii proxime elapsi eosdem de totius rei summa allocuti, quid illi existimarent, rogavimus, et cum ingenti animi Nostri laetitia audivimus eorum omnium communia esse vota, ut supremam gravissimo judicio manum quantocius imponeremus.

Judicium latum super ejus decernenda canonizatione.

§. 12. Igitur, accitis in urbem ex Italia pluribus archiepiscopis, et episcopis, ut eorum quoque consilium ex laudabili apostolicae Sedis consuetudine exciperemus, hi omnes plenam causae cognitionem hauserunt tum ex eo, quod diximus, vitae servi Dei compendio, quod singulis traditum fuit, tum ex copiosa, et gravi oratione, quam in consistorio publico coram Nobis die decima sexta aprilis proxime praeteriti dilectus filius Joseph Capece-Latro advocatus consistorialis aulae Nostrae habuit de sanctitate vitae, et miraculis beati Francisci, ut pro ejus canonizatione instaret. Itaque in dicto consistorio semipublico die octava currentis mensis, cum, praeter eosdem fratres Nostros S. R. E. cardinales, convenissent magno numero patriarcha, archiepiscopi, et episcopi in Romana curia praesentes, uno spiritu omnes, et una voce censuerunt, beatum Franciscum inter sanctos omnino referendum esse, ac Nos ad peragendam canonizationem vehementer adhortati sunt. Quorum omnium suffragia chirographo singulorum munita colligi, et in Ecclesiae tabularium inferri jussimus, confectis de re tota publicis instrumentis. Caeterum, ut divinam voluntatem plenius intelligeremus, Nobisque ex alto caeleste lumen affulgeret, quo recta via incederemus, Nostris assiduis, enixisque precibus communes aliorum orationes conjungendas curavimus, et praeter indictos per urbem generalium jejuniorum dies; supplicationes ad certas ecclesias fieri praecepimus, concessa indulgentia iis, qui ad eas se conferrent, et pro impetrando Nobis divino auxilio et Spiritus Sancti gratia pie, ac devote orarent.

Canonizatio.

§. 13. Denique hac die vigesima quarta maii sanctissimae Trinitatis solemnitati consecrata, ad Vaticanam basilicam, servata supplicationis publicae forma, praecedentibus solemni ritu omnibus utriusque cleri saecularis, et regularis ordinibus, omnibus magistratuum, et officialium Romanae curiae collegiis una cum praedictis Nostris fratribus S. R. E. cardinalibus, patriarcha, archiepiscopis, et episcopis, processimus: ubi ad confessionem principis apostolorum pervenimus, dilectus filius Noster Innicus Didacus tituli s. Augustini S.R.E. presbyter cardinalis Caracciolo nuncupatus ad canonizationem impetrandam procurator constitutus iterum atque iterum supremorum principum ecclesiarum, et ordinum nomine preces pro beati Francisci, aliasque pro beatorum Benedicti, Angelae, Coletae, et Hyacinthae canonizatione Nobis exhibuit. Quare pro uberiori superni luminis gratia obtinenda cum venerabili consacerdotum conventu, et devotissimo populo sacras litanias decantavimus, Deum optimum maximum, Deiparam, angelos, sanctosque omnes precati, ut caeleste Nobis adesset auxilium. Praeterea Spiritum Sanctum Paraclitum hymno, et oratione solemni rogavimus, ut lucis suae radium emitteret : itaque post maturas deliberationes rite praemissas, declaratumque ecclesiastici senatus consilium, divinae voluntatis nutum exequentes, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, et beatorum apostolorum Petri, et Pauli, et apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, in honorem sanctae, et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et religionis Christianae incrementum, praedictum Franciscum Caracciolo sacerdotem professum, et fundatorem ordinis clericorum regularium minorum catalogo sanctorum confessorum adscripsimus, eumque veneratione, quae sanctis cum Christo in caelis regnantibus de-

betur, prosequendum, et honorandum esse declaravimus, et definivimus; statuentes insuper, et concedentes, ut in ejus honorem in universa Ecclesia aedes sacrae, et altaria Deo dicari, et memoria ejus quotannis die quarta mensis junii inter sanctos confessores non pontifices recoli possit in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Eadem auctoritate Christifidelibus, qui singulis annis praedicta die sepulcrum ejusdem s. Francisci devote visitaverint, septem annos, totidemque quadragenas de injunctis eis, aut alias debitis poenitentiis in perpetuum relaxavimus.

Gratiarum actio.

§. 14. Mox debitas Deo gratias egimus, decantato laudis, et confessionis hymno, omnibusque Christifidelibus, qui pietatis, et religionis causa frequentissimi convenerunt, plenam peccatorum remissionem, et indulgentiam misericorditer in Domino concessimus. Tum in ara maxima supra sacratissimam confessionem beati Petri Principis apostolorum reverenter incruentum missae sacrificium celebravimus, facta speciali commemoratione sancti Francisci, uti etiam sanctorum Benedicti, Angelae, Coletae, et Hyacinthae, quorum suffragia ardenter imploravimus, ut iracundiae suae flagella Deus a Nobis avertat, atque ita concedat sanctorum glorias nos celebrare in terris, ut eorumdem virtutem aemulantes cum ipsis regnare possimus in caelis.

Expeditio literarum et fides habenda transumptis.

§. 15. Quibus omnibus peractis, cum idem cardinalis procurator humillime Nobis supplicasset, ut ad universalis Ecclesiae notitiam praemissa omnia deducere, literasque Nostras apostolicas ad perpetuam rei memoriam edere dignaremur, Nos justissimae petitioni annuentes, has praesentes Nostras literas, quibus omnia et singula praemissa confirmamus, atque iterum sancimus, perpetuo valituras extare voluimus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina cardinalium praesentium canonizationi

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. cad. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta,

✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.

✠

✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tituli s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. sanctae Mariae in Via Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠

✠

✠

✠

✠

A. card. pro-Datarius. R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei

F. Lavizzarius

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

CCCCLXXXVII.

Dat. die 24 maii 1807 anno VIII.

Canonizatio beati Benedicti a s. Philadelphio laici professi ordinis minorum de observantia reformatorum sancti Francisci

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Civitatem sanctam novam Jerusalem Joannes apostolus, et evangelista in apocalypsi contemplatus, vidit in ea turbam magnam, quam numerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu agni. Ex quo sane admirabilis Dei et Salvatoris nostri beni-

gnitas apparet maxime, qui, cum velit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, ad fidem omnes vocat, neminem respuit, et cum personarum acceptor non sit, ex quavis gente ad se venientes excipit, dives in omnes, qui invocant illum. Propterea cum natus esset infans in Bethlehem, gentibus revelari, ab eisque adorari voluit: deinde cum aeterni Patris promissione gentes in haereditatem, et terminos terrae in possessionem suam esset habiturus, misit apostolos ad praedicandum evangelium omni creaturae, et Paulum singulari vocatione apostolum, doctoremque gentium constituit, ut fieret oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto.

De origine beati.

§. 2. Ex innumerabili vero illa justificatarum gentium plenitudine quosdam Deus elegit, et peculiari quodam sanctitatis fulgore illustres reddidit, quos cum principibus populi sui sedere facit in caelis, et tamquam super candelabrum collocat, ut luceant omnibus, qui in domo sunt, et qui in terrestri Jerusalem adhuc militant, eos exemplo suo ad arduum virtutis iter capessendum inflamment, adjuventque patrocinio. Ex eodem igitur Aethiopum genere, quo natus erat potens ille eunuchus Candacis reginae Aethiopum, quem insigni prodigio a Philippo apostolo aquis ablutum baptismatis acta perhibent apostolorum, originem traxit beatus Benedictus a s. Philadelphio, in quem divitias bonitatis suae tam copiose Dominus effudit, ut sublimibus virtutibus, caelestibusque charismatibus cumulatus in diebus sanctae conversationis suae admirationi omnibus fuerit et exemplo. Perspectum et in illo fuit mirum in modum, Deum superbis resistere, dare autem humilibus gratiam, infirmaque mundi eligere, ut confundat fortia. Benedictum siquidem humili, abjectoque natum loco, ad sublimissimum perfectionis et sanctitatis fastigium erexit: rudi, atque illiterato scientiam sanctorum dedit, quique aspectum, laudesque hominum diligentissime refugiebat, eum donis caelestibus sic decoravit, ut sanctitatis ejus fama in populos, et nationes manarit.

De fama ejus sanctitatis.

§. 3. Ut vero ejus vita eximiis virtutibus, meritisque praecelluit, ita obitus multis prodigiis, atque omnibus illis indiciis effulsit, quae cum sanctis Domini in caelis cooptatum, et aeternam mercedem recepisse liquido demonstraret. Factum inde est, ut cujus sanctitatem et gloriam miraculis eo intercedente patratis, demonstrare omnibus dignatus erat Deus, ei cultus publicus brevi fuerit pluribus in locis delatus. Ut igitur benignus, et misericors Deus, qui facit mirabilia magna solus, magis ac magis in sanctis suis glorificetur, absoluto jam pridem examine de cultu publico ei praestito, de virtutum ejus splendore, deque miraculorum veritate, cum omnia ad constitutionum apostolicarum praescriptum de more processerint, Nos Catholicae Ecclesiae regimini licet immeriti miseratione tamen divina praepositi, in id potissimum studia, curasque omnes nostras conferentes, ut cultus divinus promoveatur, et pietas fidelium accrescat, de plenitudine apostolicae auctoritatis Nostrae b. Benedictum condignis venerationis honoribus decorare decrevimus, firma in Deum spe confisi, ut qui jam de sua est securus, de nostra sit salute sollicitus, divinam clementiam exorans, ut conveniant populi in unum, et cognoscant gentes, quia non est alius Deus praeter Deum nostrum.

De vita et moribus ejusdem beati.

§. 4. In oppido sancti Philadelphii Messanensis dioecesis in Sicilia anno Domini circiter MDXXIV. natus est Benedictus, ob genus ejus, nigrumque colorem Maurus vulgo appellatus: parentes siquidem habuit origine Aethiopes, et divitis cujusdam servos, catholicos tamen, et singulari pietate spectabiles. Promiserat herus, se primam eorum prolem libertate donaturum. Quare cum Benedictus primogenitus ex iis natus sit, fuit ille quidem liber ab ortu: sancteque insuper educatus, atque ingenua indole praeditus, vix puerulus satis ostendit, qui, quantusque futurus esset in tempore. A puerorum ludis abhorrens id unum animo contendebat, ut pietatem coleret, Deiparae praesertim virginis cultui impense addictus. Ut vero per aetatem licuit, caelesti convivio saepe recreari, simul corpus jejuniis, ciliciis, flagellis affligere coepit. Vicesimo circiter aetatis anno durius vitae genus amplexus est, atque in solitudinem divino instinctu vocatus a Hieronymo Lanza viro nobili,

et pio, qui sancti Francisci institutis jam devinctus, facultate ab apostolica Sede obtenta, cum aliis ejusdem propositi sociis, quartum perpetui quadragesimalis cibi, et trium in hebdomada feriarum esurialium, vitaeque solitariae votum susceperat, eumdem, venditis boum jugis, unde sibi victum parabat, pretioque in egenos collato, confestim sequutus est.

De professione votorum eremitarum ex facultate apostolica, et abstinentiis quotidie adhibitis in eremo.

§. 5. In eremum sanctae Dominicae agri Coroneae, quae a s. Philadelphii oppido quatuor, aut quinque millia passuum distabat, receptus sub disciplina ejusdem fr. Hieronymi, tyrocinio exacto, solemnia vota ex facultate apostolica nuncupavit. In eo vitae statu virtutes omnes eousque colere curavit, ut iis brevi cumulate instructus, ac caeteros omnes ejusdem disciplinae alumnos superasse visus sit. Quotidiana jejunia servabat, eaque adeo rigida, ut a vino semper abstinens, tantum panis, atque herbarum semel in die comederet, quo sustentare utique vitam, famem tamen depellere nunquam posset. Corporis macerationes cruentis flagellationibus, asperrimisque ciliciis adjunxit incredibiles: somnum brevem humi cubitans capiebat: divinarum rerum meditationi sic deditus erat, ut dies noctesque pene totas orando traduceret. Horum eremitarum virtus cum paulatim innotescere caepisset, ac Benedicti inprimis, cujus sanctitatem Deus ipse pluribus prodigiis manifestabat, ex eremo in eremum una simul saepius commigrarunt, ut hominum frequentiam, congressusque defugerent; et modo Mancusae in cryptis asperrimis, modo in altissimo, horridoque s. Peregrini monte prope Panormum, modo aliis remotis in locis agrestia tuguriola extruxerunt. Ubique opinio virtutis, qua Benedictus eminebat, augebatur, neque solum apud exteros, sed apud suos etiam, qui vita defuncto fr. Hieronymo Lanza, eum prae caeteris dignum judicarunt, quem in demortui praesidis locum sufficerent. Post vigintiduos annos, ex quo Benedictus eremo se addixerat, in eoque perfectissimum vitae genus ducere instituerat, fel. rec. Pius IV. praedecessor Noster edixit, ut pii illi viri, relicta solitudine, et quarto quadragesimalis cibi, et trium in hebdomada jejuniorum voto soluti, quamlibet ex approbatis sacris familiis amplecterentur. Omnes extemplo paruerunt; et Benedictus quidem sacro cappuccinorum ordini dare nomen cogitabat; sed cum in templo cathedrali Panormi Deum oraret, ut quid sibi agendum esset ostenderet, ter caelesti lumine fuit dignatus, quo ad sacram minorum s. Francisci familiam se vocari plane intellexit.

De instituto vitae eremitalis ab eo servato etiam in coenobiis.

§. 6. Igitur in coenobio Panormitano s. Mariae Jesu ejus ordinis inter laicos admissus, nec ita multo post in coenobium s. Annae Julianae ex obedientia profectus, tres ibi annos permansit, et absconditam, solitariamque vitam duxit, quae a pristina vitae ratione parum dissentiebat. Panormum revocatus ibidem reliquum omne vitae tempus exegit. Etsi autem Benedictus regulare institutum immutasset, et ex eremo in frequentem urbem venisset, sui tamen semper similis vitae institutum, quod ab initio susceperat, ad obitum usque servavit. Cibus scilicet perpetuo quadragesimalis, parcissimus, et ex vilioribus, persaepe simplex panis. Hispidum, quod semel induerat, cilicium nunquam detractum: perexigua corporis quies, et plerumque humi: multus, et operosus labor: rudis, ac trita tunica: corpus flagris, iisque saepe cruentis afflictum, aliaeque voluntariae carnis macerationes. Orationis, meditationisque perpetuum studium minime intermissum, etiamsi operibus vacaret, vel iter conficeret. Antiquae solitudinis studio captus, Dominicaeque passionis commentationi potissimum addictus, quantum in se erat convictum hominum refugiebat; sermo illi rarus, ac tantum de caelestibus rebus, de quibus eo charitatis ardore disserebat, ut in miros mentis excessus quandoque raperetur.

De paupertate evangelica, obedientia, et virginali pudicitia ad extremum usque servata.

§. 7. Severus puritatis custos, toto corporis habitu in modestiam composito, nulli manus osculandas tradebat, imo etiam semper tunica contectas habebat, ne denudatae conspicerentur. Ita virginalem pudicitiae florem ad extremum usque servavit, unoque ore angelus in carne appellabatur. Paupertatem evangelicam summopere coluit, ad eamque socios vehementer adhortabatur. Palearum sacculus, crux in pariete carbone delineata, una, aut altera Mariae virginis, et sanctorum chartacea imago,

haec tota cellae suppellex. Peram, aut viaticum, dum iter ageret, nunquam deferebat: munuscula sponte oblata constantissime recusabat. Adeo vero se totum praesidum suorum voluntati subjecerat, nihil ut unquam sponte sua, omnia autem ad eorum arbitrium, nutumque ageret, idque prompte, et alacriter. Ex obedientia ad plures cujusvis conditionis homines audiendos, qui eum frequenter affari cupiebant, illico, precatione vel quovis alio opere intermisso, advolabat. In extremo morbo medicamina, quae nihil omnino profutura caelitus cognoverat, libenter adhibuit, prout medici, vel praesidis voluntas ferebat. Mansuetus praeterea, docilis, patiens, in omnique genere aequabilis, nunquam infirma valetudine, caeterisque adversis, nunquam diaboli tentationibus, quas patiebatur, nunquam conviciis hominum, quibus impetebatur, perturbari potuit; siquidem ad omnes vitae eventus sic erat animo comparatus, ut unum respiceret Deum, in eoque spem omnem suam collocaret.

De charitate in Deum quae maxime effulsit.

§. 8. Caeterarum omnium virtutum praestantissima, charitas in Deum in Benedicto effulsit maxime, qui nihil, nisi caelestia spectare, et contemplari studebat, omnem vero, levissimam licet, Dei offensionem summopere refugiebat: frequens, ac pene quotidianus sacramentorum poenitentiae et eucharistiae usus, diuturna ad divinas epulas praeparatio, diuturnior post eas gustatas gratiarum actio; simul vero is pietatis ardor, ut saepe caelesti fulgore circumfusus totum collustraret templum, atque extra sensus raptus diu immotus consisteret. Hinc incensa ejus charitas in proximos, quorum omnium aeternam salutem et vehementissime optabat, et corporis afflictatione, assiduisque orationibus a Deo precabatur. Qui vero ad Benedictum, ut eum consulerent, confluebant, iis omnibus ipse facilis, et praesto aderat, etiam dum aegrotaret, et opportuna consilia, et remedia cuique praebebat. Praeterea inclusos carcere, aut morbo laborantes, frequenter invisebat, ministeria quaeque, et charitatis officia ipsis exhibens, aliquid etiam in subsidium deferens, eosque ad patientiam, spemque in Deo collocandam excitans. Idem ejus animus, idem studium in hospites, coenobitas praesertim suos, quibus omni officiorum genere ministrabat. Eadem charitas, eademque in egenos misericordia, quibus fiebat refectio Benedicti jejunantis abstinentia. Ipse autem Panormitani coenobii praeses factus, nihil urgebat magis, quam ut janitor a nemine paupere faciem suam averteret.

De ejus sapientia, et virtute in patrandis prodigiis.

§. 9. Ad hanc mirificam perfectionem, sanctitatemque vitae caelestia dona accesserunt; in primis singularis, et divinitus indita sapientia, qua homo, caeteroquin illiteratus, de altissimis fidei mysteriis tam apposite disserebat, et difficillima sacrorum codicum loca tam apte interpretabatur; ut et doctissimis ipsis theologis admirationi esset, et coenobitae, qui eum audiebant, non ipsum esse censerent, sed Spiritum Sanctum, qui per eum loqueretur. Interdum abdita cordis penitus perspexit, saepe futura praenunciavit, suum quoque obitum, exiguumque in funus populi concursum. Prodigiorum autem virtute jam tum famulus Dei eminebat, cum in eremo adhuc versabatur: multo tamen magis, emicuit laicus severioris s. Francisci disciplinae cum esset. Plurimi vel crucis signo ab eo muniti, vel oleo lampadis ante Mariae virginis aram accensae inuncti, vel ejus precibus Deo commendati, statim a gravissimis, desperatisque morbis emergebant. In egentium subsidium non ita raro cibos augebat; et in suorum coenobitarum commodum quandoque caelitus comparabat, quandoque vero multiplicabat annonam.

De ejus humilitate.

§. 10. Nihil igitur mirum, si Benedictus probatissimus omnibus esset, omniumque ordinum viri, nobiles, docti, socii quoque coenobitae, et coenobitarum praesides ejus opem implorarent, consilia exquirerent, precibus sese studiosissime commendarent: siquidem apud omnes constabat divino eum spiritu afflari. Quare sanctitatis ejus opinio longissime pervagata, Neapolim, Romam, Hispanias, et Lusitaniam pervasit. Interea ipse mitis, et humilis corde de se demississime sentiebat: omnium mortalium minimum ex animo putabat, peccatorem autem vel maximum praedicabat: idoneas quasque opportunitates captare studebat, quibus se aliis despiciendum praeberet. Honoris vero significationes, atque hominum

plausus quam moleste ferret, aperte ostendebat; et ut hominum laudes quoad posset vitaret, remotiores semper, minusque frequentes vias, cum ad aegrotos, aut ad alia charitatis opera ex obedientia iret, seligebat. Verum nihil ei tam gratum, et jucundum fuit, quam ut omnia, et viliora quidem; atque abjectiora coenobii ministeria praestaret, etiam tum cum Panormitani coenobii moderator fuit constitutus.

De ejus prudentia, et obedientia.

§. 11. Nimirum Siculae minorum provinciae praepositi Benedicti virtutes, singularem in primis prudentiam tanti faciebant, ut ex tot aliis praestantibus viris eum unum seligendum duxerint, quem Panormitano coenobio praeficerent, ubi rigidior disciplina recens instituta magis ac magis erat confirmanda. Excusavit quidem ipse literarum ignorantiam, infimam sui conditionem, multaque alia, quae humilis de se opinio sugessit. At cum nihil profecisset, obedientiae praecepto urgente, tacitus, promptusque paruit. Praesidum votis plene, cumulateque respondit: coenobitasque sibi concreditos brevi post tempore, qua monitis, qua exemplis, qua lenitate, et sermonis suavitate in culpis etiam pro re, et tempore vindicandis, ad severiorem disciplinam deduxit.

De ejus obitu.

§. 12. Triennio exacto ex coenobii praefectura solitudini restitutus, vehementius etiam per plures annos in virtutibus progredi studuit; quoad de proximo ex hac vita excessu certior caelitus factus, gravissimi morbi molestias per triginta dies laeto libentique animo subiit, nihil unquam sua sponte postulavit, nihil ex iis, quae sumenda porrigebantur, recusavit. Interea vel precari, vel divina, et quidem multo magis acerbissimos Christi cruciatus contemplari, pro viribus enitebatur. Caelesti pane reficiendus, fune de collo suspenso, veniam a singulis quibusque coenobitis sociis petiit, lacrymasque profundens, et fidei charitatisque ardorem animo conceptum, verbis etiam efferens, sacrum Christi Corpus, ceu viaticum suscepit. Quo quidem suscepto, extra sensus abreptus miro vultus splendore emicuit, et suavissimum odorem efflavit. Ex hoc mentis excessu cum se recepisset, manibus in pectore ad Crucis speciem compositis, oculis vero in caelum defixis, saepius repetens suavissima Jesu, et Mariae nomina, eaque psalmographi verba: « in manus tuas Domine commendo spiritum meum », ad sinum, complexumque Domini, quem unum in omni vitae tempore dilexerat, advolavit, pridie nonas aprilis, millesimi quingentesimi octogesimi noni feria tertia solemnium paschalium, annos natus sexagintas tres.

Preces a regibus, clericis, et populis porrectis pro obtinendo honorifico loco pro custodia exuviarum ven. servi Dei.

§. 13. Quamquam vero pauci, ut ipsemet praedixerat, in ejus funus venerint, postridie tamen illius diei, cum obitus ejus fama in vulgus manasset, magnus hominum cujusque aetatis, et conditionis concursus in templum factus est, tantoque cum pietatis sensu, ut et sacras reliquias quisque vellet habere, et vix fieri potuerit, quin ejus corpus effoderetur. Porro beneficia, et prodigia, quae a Deo plurimi, Benedicto intercedente, impetrarunt, famam sanctitatis ejus, quae jampridem omnium animis alte insiderat, ita auxerunt, ut non modo Europam universam, sed disjunctissimas quoque terras, et Americam ipsam peragraverit. Propterea anno MDXCII. nonis maiis corpus ejus e terra erutum, cardinali Matthaejo, sacrae minorum s. Francisci familiae patrono, veniam concedente, fuit in sacrario repositum. Mirum tunc quoque visum, corpus idem, quod per triennium in humido aliorum sepulcro nullo modo medicatum jacuerat, integrum tamen, incorruptumque perstare, et suavissimum odorem spirare, quem diu etiam postea spirasse compertum est. Duobus post annis idem cardinalis Matthaejus archiepiscopo Panormitano mandavit, ut de Benedicti virtutibus, ac miraculis inquisitionem legitime institueret, quam ad annum quidem perfecit. Cum sanctimoniam servi sui Deus aliis atque aliis prodigiis testari videretur, et preces Philippi II. Hispaniarum, et utriusque Siciliae regis, nec non universi cleri, et populi Panormitani Sedi apostolicae fuissent exhibitae, congregatio sacrorum Rituum concessit, ut sacrae ipsius exuviae in templum transferrentur, et in honorifico loculo e terra elevato conderentur, quod quinto nonas octobris anno MDCXI. cardinalis Joannettinus ab Auria tunc archiepiscopus Panormitanus praestitit,

Beatificatio ejusdem ven. servi Dei.

§. 14. Cum plurimae aliae publici cultus, et honoris significationes accessissent, votivae tabellae ejus sepulcro appensae, imagines, et signa altaribus imposita, novus processus auctoritate ordinaria constructus fuit anno MDCXX. subinde duo auctoritate apostolica; alter Panormi anno MDCXXV.; alter in oppido s. Philadelphii anno proximo, in quos ea omnia fuerunt relata, unde servi Dei et virtutes, et miracula constarent. Interea fel. rec. Urbanus VII. praedecessor Noster super hisce causis nova decreta edidit, ex quorum sinistra interpretatione b. Benedicti causa intermissa fuit, donec anno demum MDCCXIII. eam resumendi facultas data est annuente piae mem. Clemente XI. Nostro pariter praedecessore. Ita apostolicis absolutis actis tum Panormi, tum in urbe de cultu publico ipsi exhibito, re semel, atque iterum in congregatione sacrorum Rituum expensa, tandem v. idus majas anno MDCCXLIII. decretum prodiit: constare de cultu publico b. Benedicto praestito, sive de casu excepto a decretis s. m. Urbani pp. VIII., cui quidem judicio rec. mem. Benedictus XIV. antecessor Noster proximis idibus assensum suum praebuit: qui etiam paulo post sacrae minorum s. Francisci familiae, et universo clero dioecesis Panormitanae, et oppidi sancti Philadelphii potestatem fecit recitandi ipsius beati officium, et missam de communi confessoris non pontificis, oratione tamen propria jam approbata. Porro ejusdem mem. Clemens XIII. praedecessor Noster iis omnibus lectiones secundi nocturni proprias recitandas indulsit.

Processus adhibitus ut in sanctorum numerum adscribi posset.

§. 15. Ut autem b. Benedictus ex provida Sanctae Romanae Ecclesiae dispositione in sanctorum numerum adscribi posset, virtutum ejus disquisitio rite instituta fuit ex tabulis ordinaria, et apostolica auctoritate jam digestis, in quas ejus et sanctissima gesta fuerant relata. Re mature perpensa, congregatio sacrorum Rituum pronunciavit, singulares, et plane heroicas b. Benedicti virtutes extitisse: quod decretum piae mem. Pius VI. proxime decessor Noster apostolica auctoritate confirmavit xvii. kalendas aprilis MDCCLXXVII. Quaestio supererat de miraculis. Quatuor fuerant cardinalium, qui sacris Ritibus praesunt, judicio commissa, quae b. Benedicto suffragante divinitus edita ferebantur post cultum publicum a sacrorum Rituum congregatione ipsi permissum. Ex his quatuor duo tantum (neque vero res plura postulabat) in comitiis generalibus pridie nonas aprilis anno MDCCXC. accurate perpensa, et unanimi cardinalium suffragio probata, idem Pius VI. praedecessor in miraculorum numero reponenda esse decrevit.

Miracula patrata sub ejus intercessione.

§. 16. Primum miraculum fuit hujusmodi: Franciscus Centinius et Capitius novem annorum puer ab oppido s. Philadelphii ictu glandis ab ignea ballista explosae tam grave vulnus in gutture acceperat, ut aspera arteria perforata, vel potius penitus discissa, vulneris ipsius hiatu spiritum duceret, quin ulla spes salutis affulgeret: ubi autem b. Benedicti reliquia saucio gutturi admota est, statim vulneri obducta cicatrix, atque integra valetudo restituta. Alterum: Philippus Scaglioneus ex oppido s. Philadelphii, ab ortu ad decimum quartum aetatis annum ea pedis utriusque infirmitate laborabat, ut neque per se ipse staret, neque loco moveretur, multoque minus pedibus ire ullo modo posset, at vix dum beati Benedicti opem imploraverat, cum religiosum ordinis s. Francisci sibi adstantem aspexit, simul suadentem, ut surgeret, et graderetur, utpote jam sanus. Statim ille Benedictum, quem invocaverat, eum esse ratus, dicto audiens erexit sese, et exinde expedite semper ambulavit.

Opinio Pii VI de sanctitate beati.

§. 17. His prodigiis approbatis, cuncti ejusdem congregationis sacrorum Rituum cardinales laudato praedecessori Pio VI. summo consensu affirmarunt, b. Benedictum sanctis viris adscribi posse: ac demum idem ipse Pius VI. praedecessor, pluribus jam ante precibus ad Deum fusis, SanctiqueSpiritus ope implorata, xviii. kalendas septembris ejusdem anni b. Benedictum in sanctorum album referri posse declaravit, decretumque canonizationis ejus quandocumque faciendae expediri, et publicari jussit. Cum igitur antiquis, repetitisque plurimorum votis novae enixae accessissent preces, quas singuli quique Siculorum civium ordines, maxime vero sacra minorum s. Francisci universa familia Nobis exhibendas cura-

runt, atque omnia essent absoluta, quae in congregatione sacrorum Rituum peragi debuerunt, congruum quoque Nobis videbatur, ut ultimam denique sententiam super beati viri canonizatione ferremus.

Preces indictae ad divinam opem implorandam.

§. 18. Quamobrem ex Sanctae Romanae Ecclesiae disciplina in consistorio Nostro secreto die xxiii. martii proxime elapsi a dilecto filio Julio Maria tituli sanctae Mariae supra Minervam presbytero cardinali de Somalia nuncupato sacrorum Rituum congregationis praefecto praemissorum omnium relatione apposite facta, cum reliqui cardinales sibi placere dixissent, ut b. Benedictus sanctorum fastis adscriberetur, publicum deinde consistorium die xvi. proxime superioris aprilis convocavimus, in quo dilectus filius Bellisarius Cristaldi consistorialis aulae Nostrae advocatus diserta oratione virtutum excellentiam, vitaeque sanctitatem b. Benedicti laudavit. Praeterea in alio consistorio semipublico die viii. hujus mensis coram Nobis habito, cum prius omnibus suffragaturis summa vitae, virtutum, et miraculorum b. Benedicti ex actis sacrae Rituum congregationis exacte deprompta, typisque publicata, fuisset tradita, ut ad sententiam dicendam parati accederent, omnes quotquot adfuerunt, venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales, patriarcha, archiepiscopi, et episcopi, quorum plurimi ex vicinioribus dioecesibus a Nobis acciti Romam convenerant, unanimi consensu b. Benedictum in sanctorum numerum referendum esse censuerunt. Quorum omnium suffragia, quibus singuli subscripserunt, colligi, et in Sanctae Romanae Ecclesiae tabulario custodiri mandavimus; instrumenta etiam super his omnibus confici jussimus. Deo autem maximas gratias egimus, quod servum suum per ministerium Nostrum honorificari velle dignaretur, diemque canonizationis indiximus, omnesque interim adhortati sumus, ut ad coelestem Spiritus Sancti gratiam Nobis impetrandam suas preces Nostris adderent, eleemosynisque, et jejuniis perseveranter insisterent, ut in tanta re, et tam arduo negotio auctor bonorum omnium Deus, Pater luminum adesset Nobis, dirigeretque consilia Nostra.

Canonizatio.

§. 19. Demum omnibus rite expletis, quae sacri canones, et ecclesiastica consuetudo praescribunt, hac die, quae fuit dies dominica sanctissimae Trinitatis, cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, nec non patriarcha, archiepiscopis, et episcopis, Romanaeque curiae praelatis, officialibus, et familiaribus Nostris, clero saeculari, et regulari, ritu solemnis supplicationis, ad Vaticanam beatissimi Petri apostolorum principis basilicam splendide ornatam convenimus, ubi dilecto filio Nostro Iunico Didaco tituli sancti Augustini S. R. E. presbytero cardinali Caracciolo nuncupato procuratore semel, iterum, ac tertio pro canonizationis decreto supplicante, sacris precibus, et litaniis decantatis, et creatore Spiritu invocato, ut mentem Nostram visitaret, pectusque superna gratia impleret, ad honorem sanctissimae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, ad Christianae religionis augumentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, divina ope saepius implorata, ac de praedictorum S.R.E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in urbe existentium consilio et sententia, beatum Benedictum a s. Philadelphio omnium virtutum genere cumulatissimum, et miraculorum gloria illustrem, vere sanctum esse definiendo pronunciamus, et una cum Francisco Caracciolo, Angela Merici, Coleta Boilet, et Hyacintha Mariscotti sanctorum canoni inseruimus, eumque ab omnibus Christifidelibus honorandum colendumque esse decrevimus: statuentes, ut ubique ecclesiae, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, in ejus honorem aedificari possint, in ejusque memoria singulis annis die quarta mensis aprilis inter sanctos confessores non pontifices recoli debeat: eademque auctoritate omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui quotannis eodem die festo sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus. His pera-

forma Ecclesiae consueta concessimus.

Deprecatio

§. 16. Decet vero, ut in tanta hac celebritate sincere gaudeamus in Domino, patre, et auctore bonorum omnium, suppliciter ab eo flagitantes, ut per intercessionem sanctae Angelae ostendat Nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui per gentes, quae non cognoverunt eum, ut omnes nationes in una vera fide concordes Salvatorem Dominum Jesum Christum adorent, et glorificent.

Fides habenda transumptis.

§. 17. Caeterum precibus ejusdem Innici Didaci cardinalis, et procuratoris annuentes omnia et singula praemissa de Nostrae auctoritatis plenitudine confirmamus, roboramus, atque iterum sancimus, et universae Ecclesiae denunciamus, et has apostolicas literas perpetuo valituras publicari jubemus; mandantes, ut earum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina cardinalium praesentium canonizationi

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. cad. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta,

✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.

✠
✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tituli s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego A sanctae Mariae in Via Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi

✠
✠
✠
✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠
✠
✠
✠
✠

A. card. pro-Datarius. R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei

F. Lavizzarius

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

CCCCLXXXIX.

Dat die 5 junii 1807 anno VIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui die vicesima tertia maii, et undecima julii visitaverint ecclesias ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum a primis vesperis, usque ad occasum solis.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis

Salutem et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti: omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis, tam fratrum ordinis minorum s. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quam monialium ejusdem ordinis, ubicumque existentibus, in vicesima tertia maii, ac undecima julii mensium diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die v. junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXC.

Dat die 12 junii 1807 anno VIII.

Declaratio ampliationis ecclesiasticae jurisdictionis Castrensis nuncupatae in regno Hispaniarum concessae patriarchae Indiarum, et vicario generali exercituum catholici regis.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem

Exponuntur quae a praedecessoribus ordinata fuerunt circa exercitium jurisdictionis castrensis in regno Hispaniarum.

§. 1. Compertum est Nobis, Carolum III. felicis recordationis regem catholicum pio flagrantem desiderio parandi militibus, aliisque ad regios exercitus pertinentibus praesidia, quibus, quum fixas sedes plerumque non habeant, frui nihilominus valeant spiritualibus utilitatibus, et adjumentis, quae ceteri Christifideles ab ecclesiasticis suis superioribus, et praelatis consequuntur, Clementem XIII. s. m. praedecessorem Nostrum supplicem adiisse, ut praedictos milites, aliosque ad regios exercitus pertinentes ab ordinariorum jurisdictione eximeret, subjiceretque jurisdictioni venerabilis fratris pro tempore existentis Indiarum patriarchae, ac regiorum exercituum vicarii generalis, qui facultates sibi impertitas per ecclesiasticos viros a semetipso delegandos exercere posset super praedictos ubicumque locorum ii morarentur. Annuit pro religiosissimi principis desiderio praedictus Clemens praedecessor Noster, literisque in forma brevis die decima martii anni 1762 datis, in venerabilem fratrem patriarcham Indiarum expetitas contulit facultates, quas deinde aliis similibus literis die decima quarta martii anni millesimi septingentesimi sexagesimi quarti datis confirmavit, quibus etiam ad tollendas nonnullas contentiones inter cardinalem de la Cerda nuncupatum Indiarum tunc patriarcham, et ordinarios locorum exortas declaravit, concessas facultates porrigi in omnes, qui aut pacis, aut belli tempore sub ejusdem Caroli regis vexillis, terra, marique militarent, viverentque stipendio, et aere militari, aliosque praeterea,

qui ob aliquam legitimam causam illos sequerentur. Eaedem facultates prorogatae deinceps de septennio in septennium fuerunt tam ab ipso Clemente praedecessore Nostro literis in forma brevis die vigesima septima augusti anni millesimi septingentesimi sexagesimi octavi datis, quam a Pio felicis recordationis papa sexto praedecessore itidem Nostro similibus literis die vicesima sexta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, et vigesima prima januarii millesimo septingentesimo octogesimo tertio, ac secunda octobris millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, ac a Nobis ipsis similibus pariter literis die decima sexta decembris millesimo octingentesimo tertio expeditis.

Ampliatio praedictae jurisdictionis facta a Clemente xiv

§. 2. His et praedecessorum, et Nostris apostolicis literis ordo constitutus fuit Castrensis ecclesiasticae jurisdictionis, quam quum Clemens praedecessor, limitibus, quos memoravimus, circumscripsisset, Pius tamen pariter praedecessor tuis, tuique parentis supplicationibus benigne annuens ampliavit etiam respectu personarum, erga quas exercere eam oporteret, concessa quoque venerabili fratri patriarchae Indiarum facultate absque ullo scrupulo, tutaque conscientia declarandi quaenam personae gaudere praedicta Castrensi jurisdictione deberent, cujus quidem praedecessoris Nostri exemplum in superius memoratis Nostris literis Nos quoque sequuti sumus. Hujus ampliationis occasione duo in lucem prodierunt designationes hujusmodi personarum, altera a cardinali delgato die tertia februarii 1779; altera ab illius in dicto patriarchatu successore cardinali Sentmanat die decima julii 1804. editis, quibus quum propositum esset personas recensere, quas Castrensis ecclesiastica jurisdictio complecti deberet, praestitutos tamen antea fines praetergredi ultimus praesertim visus est, ita ut Hispaniarum archiepiscopi, et episcopi non leviter offenderentur, et ipse venerabilis frater archiepiscopus Toletanus cardinalis de Bourbon nuncupatus vir sane praeclarissimus, et religiosissimus conquestus ob hanc causam apud regium thronum tuum fuerit de venerabili fratre Indiarum patriarcha, quod in declarandis supradictis personis facultates ab hac apostolica Sede Nostra concessas multis modis excesserit, ingenti ordinariorum potestatis dispendio.

Quaerelas subortas super distributione jurisdictionis composuit pontifex.

§. 3. Quas querelas, etsi praedictus Indiarum patriarcha diluere conatus sit, ac ostendere, nihil in ea re a se peccatum esse, attamen, quae tua est, carissime in Christo fili Noster, pietas, et erga hanc apostolicam Sedem devotio, totam hanc controversiam, integrumque de ea judicium ad hanc Nostram apostolicam Sedem deferri jussisti, ad quam utpote antedictae jurisdictionis fontem pleno jure spectat ipsius jurisdictionis amplitudinem, certosque fines praescribere, ac declarare. Quam ob causam audita antea sententia congregationis dilectorum filiorum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, quam hanc in rem deputavimus, die decima januarii superioris anni literas apostolicas in forma brevis ad te dedimus, quibus quidquid in nuperrimo praedicti cappellani majoris edicto super aliis personarum classibus jurisdictioni suae subjiciendis, additum reperitur, super ea, quae in praecedenti defuncti cardinalis Delgado edicto, aut in literis apostolicis concessionis hujusmodi singillatim fuerat expressum, id omne contra Nostram, et hujus sanctae Sedis mentem, et concessiones factum fuisse declaravimus, atque apostolica auctoritate definivimus.

Dubitationes propositae a rege catholico

§. 4. Hisce peractis, sperabamus omnem in posterum ambigendi occasionem fuisse sublatam. Sed ineunte hoc anno expositum Nobis humiliter tuo nomine fuit, haerere adhuc piissimo tuo in animo dubitationes de hac ecclesiasticae Castrensis jurisdictionis ampliatione, versarique hac de re interdum magnas inter angustias religiosissimam conscientiam tuam, quas sperares tolli radicitus posse, si Castrensis ecclesiasticae jurisdictionis ratio per Nos ad eam formam redigeretur, cujus ipse specimen, ac veluti prospectum Nobis scriptis reverenter exhiberi jussisti, additis etiam seorsim rationibus, et declarationibus, quae eorum, quae postulabas, opportunitatem demonstrarent, Nos propterea orans, ut per Nostras apostolicas literas exhibitam tuo jussu Castrensis jurisdictionis formam adprobare benigne dignaremur.

Solutio dubiorum.

§. 5. Quamobrem quum nihil Nobis sit optatius, quam controver-

siarum germina amputare, omnesque compescere anxietates, quae tuam, piissime rex, tuorumque subditorum conscientiam agitare possent, libenti animo postulationes tuo nomine porrectas accepimus, rogataque iterum sententia congregationis dilectorum filiorum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, quos in re adeo gravi in consilium advocare censuimus, cuncta a te in ordinationem ecclesiasticae Castrensis jurisdictionis proposita examini subjecimus. Comperimus autem, quod quum ea non adeo ingenti intervallo ab iis finibus recedant, quos cardinalis Delgado descripserat sua in declaratione, quam Nos apostolicis Nostris postremis literis quodam modo adprobavimus, tum illud praeseferunt peculiare, ac commendatione dignissimum, quod graphice, ac veluti in tabula depictum commonstrant totius ejusdem Castrensis jurisdictionis ambitum, dumque ita amguitates, et controversias amovent, praeciduntque, hac utilitate pensant aliquatenus quidquid decerptum ordinariorum potestati, augent Castrensi jurisdictioni. Quae quidem eo lubentius animo observavimus, quo magis comperimus graviores Nobis suppeditare rationes, ob quas desiderium, quo jugiter flagramus, obsecundandi iis, quae tibi grata, et accepta esse noscimus, implere tutius atque alacrius valeamus. Quum enim conveniat providae apostolicae Sedis benignitati facilem se, et liberalem ostendere in gratiis, et favoribus elargiendis Christianis principibus, qui ex praeclaris majorum suorum meritis, et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, et obsequio erga sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur, nihil Nobis optatius obtingere potest, quam quum occasionem oblatam cernimus, qua obsequi tuis votis valeamus, qui tuorum majorum exemplis, tuaque egregia animi indole excitatus omnibus hisce laudibus cumulatissime praefulges.

Regulae observandae in exercitio praedictae jurisdictionis.

§. 6. Quibus causis permoti, teque specialibus favoribus, et gratiis pro tua erga hanc Nostram apostolicam Sedem observantia prosequi volentes, tuisque piis desideriis annuere, Castrensem jurisdictionem in tuis regnis, et dominiis eo modo, quem inferius juxta propositas a te regulas, enucleabimus, constituere, et circumscribere decrevimus, prout vigore praesentium constituimus, et definimus. Ac primum quidem statuimus, ac decernimus, quod Castrensi ecclesiasticae jurisdictioni praedictae subjecti sint, et subjecti habeantur tam illi, qui foro gaudent belli, aut marinae militari, aut politico dummodo integro hoc foro gaudeant, et civili scilicet, et criminali, quam eorum etiam familiae, et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae, atque personae, toto, integroque gaudeant praedicto foro, expresse declarantes, quod quae illorum familiae, et personae hoc foro non gaudent, aut gaudent quidem, sed non integro sub Castrensi ecclesiastica jurisdictione haud comprehenduntur. Quam quidem praefiniendae ejusdem jurisdictionis priorem regulam quum amplectimur, pro certo habemus, nec majestatem tuam, nec reges tuos successores ullo umquam tempore permissuros, ut toto, et integro belli, aut marinae foro ulli alii gaudeant, praeter eos, qui pro re militari, aut politica regiis exercitibus sint addicti, quique horum familias constituant, ac in horum versentur famulatu. Quoniam vero si omnes, et quotquot praedicto gaudent foro ad ecclesiasticam Castrensem jurisdictionem pertinere deberent graves persaepe orirentur difficultates in administrandis spiritualibus praesidiis aliquibus personarum classibus, quae quum per omnia majestatis tuae regna, et dominia dispersae sint, non raro in locis degunt, in quibus nec ulli existunt castrenses parochi, nec eos constituere expedit, idcirco, ut saluti animarum, et sacramentorum administrationi pro injuncti Nobis pastoralis muneris sollicitudine, undique consultum sit, volumus, et decernimus, quod generalis regula superius praestituta de personis ecclesiasticae jurisdictioni Castrensi in posterum subjiciendis locum non habeat in officialibus, aliisque personis iis copiis adscriptis, quae militiae in Hispaniis nuncupantur, quandocumque dicti officiales, dictaeque personae in armis non sint ob aliquod servitium majestati tuae praestandum, in quo tamen casu illae quidem personae jurisdictioni Castrensi subjectae erunt, sed non earum familiae, nec earum

famuli, nisi illae, aut isti ipsas personas sequantur, et integro gaudeant foro.

Qui a regula generali habentur excepti.

§. 7. Praeterea a generali praedicta regula excipimus quemcumque militiae addictum, qui tamen a regio majestatis tuae servitio immunis sit, etiamsi aliquod a pietate tua stipendium accipiat. Excipimus insuper viduas militum, earumdemque familias, et servos; nautas, naucleros praeterea, et artifices in cathalogo descriptos, veluti servitio armamentariorum, et regiarum navium mancipatos, qui etsi integro gaudeant marinae foro, tamen tunc solum sub Castrensi jurisdictione erunt, quum ad opera, servitiaque, quibus vacant, vocati consueta stipendia percipere incipiant, in quo tamen casu familiae, servique eorum ad Castrensem jurisdictionem non pertinebunt, nisi morentur in urbe provinciae principe, aut in loco, in quem convenire jussi fuerint ad proprias uniuscujusque artes exercendas, et integro foro saepedicto gaudeant. Demum sub Castrensi ecclesiastica jurisdictione comprehendi nolumus damnatos ad opus, qui intra arces atque praesidia non continentur, quippe qui custodiae tantum causa a militari imperio pendent, haud vero pertinent ad militiam.

Declaratio specialis pro aliis comprehensis in jurisdictione Castrensi.

§. 8. Praeter hos vero, quos fori militaris causa Castrensi jurisdictioni subesse volumus, ad eamdem jurisdictionem spectabunt omnes personae, quae regios exercitus sequuntur, eisque exercitibus quocumque nomine, seu titulo, probantibus tamen ducibus, aliisve militaribus superioribus, inserviunt, etiamsi praedictae personae supradicto foro non gaudeant, idque servabitur in casu cujuscumque militaris expeditionis, tametsi copiae fuerint auxiliares, dummodo tamen spirituali earum regimini alia prospectum non sit ratione, quae a praesenti Nostra dispositione sit diversa, cui regimini, et peculiaribus ejus constitutionibus nihil detractum volumus. Ad eamdem praeterea jurisdictionem spectabunt omnes, qui in navibus majestatis tuae existunt, quamvis militiae non sint adscripti, aut ad aliud quodcumque forum, aliamve jurisdictionem pertineant: quod servari volumus in navibus mercatoriis, quae nomine aerarii regii conductae, praesidio navium majestatis tuae protectae, propter aliquam causam, sive expeditionem iter facient, etiamsi bellicae naves, quibus proteguntur auxiliares sint majestatis tuae, quo in casu eadem repetita intelligantur, quae de copiis auxiliaribus superius constituimus. Eamdem vero ob loci causam regiorum exercituum vicarius generalis jurisdictione utetur in omnes, qui in quibuscumque arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis militaribus, opificiis in usum rei militaris, et nauticae majestatis tuae institutis, collegiis militaribus commorentur, in quibus majestas tua castrenses habeat parochos, aut expedire censeat hujusmodi parochos constituere, excepto oppido Septa, praesidiisque minoribus in Africa existentibus, quibus in locis eorumdem ordinarii plena jurisdictione fruentur, qua hactenus potiti sunt, rationeque loci potiri debuerunt, eaeque tantum personae vicariatui subjectae erunt, quae comprehenduntur sub aliis regulis generalibus a Nobis constitutis.

§. 9. In aliis vero arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis, opificiis, et collegiis militaribus praefatis vicariatui suberunt etiam quotquot iis in locis in poenam detinentur, nec non damnati ad opera, infirmi, aliique, quiquamcumque ob causam iis in locis commorari debeant. Arcium autem, fortalitiorum, castellorum supradictorum nomine intelligenda esse declaramus loca illa muris instructa, et praesidiis munita, quorum ambitus non pagum, non vicum, non oppidum, non civitatem, aut alia id genus complectitur.

De iis qui in arcibus, castelliis et similibus detinentur.

§. 10. Demum jurisdictioni Castrensi subesse volumus ecclesiasticos viros, qui legitimo, et consueto more designati aliquod obtineant munus sive pro administratione justitiae, sive pro expeditione negociorum ipsius jurisdictionis, sive pro cura animarum una cum ipsorum familiis, et reliquis personis eorumdem servitio addictis, quod ipsum ad laicos quoque porrigi volumus, qui legitime, ut supra, munus aliquod exerceant in vicariatu propter easdem causas administrandae justitiae, expediendique negocia vicariatus, itemque ad ipsorum uxores, et filios non emancipatos cum parentibus cohabitantes, et ad servos. Constituta pro modo, quem

De comprehensione ecclesiasticorum virorum.

hactenus enucleavimus, ecclesiasticae jurisdictionis Castrensis forma, ratioque ex quatuor manat fontibus, titulisve, propter quos dumtaxat sive omnes, sive eorum aliquem quatuor pariter personarum classes vicariatui generali subjici, et pro subjectis habendas esse auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus, et definimus, ita quidem, ut prior classis ratione fori complectatur personas, quae integro eodem gaudent foro militari tam civili, quam criminali, altera ratione servitii eas comprehendat, quae regios exercitus sequuntur, et eis inserviunt, tertia ratione loci ex illis constituatur, quae degunt in locis militari imperio subjectis, quarta denique ratione officii iis constet personis, quae apud ipsum vicariatum muneribus funguntur.

Reservatio declarandi dubia si ulteriora prodirent.

§. 11. Ex quibus quidem quum certi, statique fines Castrensis ecclesiasticae jurisdictionis sub oculis quodammodo sint, et illius forma, ratioque in nucleo veluti posita videatur, non immerito, carissime in Christo fili Noster, in spem ducimur, nullas deinceps ambiguitates, perplexitatesque suborituras esse, quibus religiosissimae conscientiae tuae tranquillitas, cui prae omnibus consulere cupimus, angi, turbarique valeat. Quod si nihilominus aliquod adhuc oriri dubium contingat, utrum aliqua, aut aliquae personae sint, aut non sint jurisdictioni Castrensi subjectae, quoniam Nostris his literis praescribitur, et declaratur, nullam aliam personam dictae jurisdictioni manere subjectam, nisi illas, quae quatuor classibus antea expositis comprehenduntur, idcirco majestatis tuae erit declarare utrum persona, aut personae, super quibus dubium oritur, in praedictis quatuor classibus comprehendantur, ad hoc ut sint, aut non sint Castrensi jurisdictioni subjectae.

Confirmatio praecedentium literarum.

§. 12. Tandem moderno, et pro tempore existenti patriarchae Indiarum, cappellano majori, ac personis ab ipso delegatis, seu delegandis, ac subdelegandis in ecclesiastica dignitate constitutis, sive aliis sacerdotibus probis, et idoneis facultates omnes juxta tenorem, et formam praedictarum literarum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, nempe Clementis XIII, die decima martii millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, die decimaquarta martii millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, ac die vigesima septima augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, nec non Pii VI. die vigesima sexta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, ac januarii millesimo septingentesimo octogesimo tertio, quam decima januarii millesimo octingentesimo sexto expeditarum, concessas, confirmatas, ampliatas, et explicatas, quarum omnium tenores pro plene, et sufficienter expressis hic haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo etiam confirmamus, tribuimus, et elargimur; excepta tamen facultate in dictis literis Pii VI. praedecessoris concessa, ac in superioribus Nostris confirmata, sed in postremis pariter Nostris literis die decima januarii millesimo octingentesimo sexto explicata « declarandi scilicet, quae, et quales debeant esse personae hujusmodi exercituum, et quibus ipsae frui, ac potiri valeant privilegiis « de qua superius jam provisum est, quamque per praesentes apostolica auctoritate excipimus, abolemus, ac penitus abrogamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 13. Itemque easdem gratias, concessiones, privilegia, et indulta quaecumque, de quibus in praedictis apostolicis literis facta est mentio pro memoratis quatuor classibus personarum iisdem modo, et forma auctoritate, et tenore praedictis ad septennium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ordinum, quorum personae hujusmodi professae fuerint etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et

sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCI.

Dat. die 17 junii 1807 anno VIII.

Dismembratio civitatum Cassel, et Kostein cum eorum territoriis, et terris a dioecesibus, quibus suberant, eorumque incorporatio dioecesi Moguntinae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Gallorum imperatorem de latere legato.

Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Cum nuper charissimus in Christo filius Noster Napoleo Gallorum imperator Nobis significare curaverit, quod oppidum Cassel civitas nuncupatum, ac pagus Kostein pariter nuncupatus, una cum respectivis eorum territoriis, imperiali ejus dominio subjecti ad praesens conspiciantur, et expedire sibi videatur, si populi in locis ac territoriis praedictis commorantes a spirituali jurisdictione et obedientia episcopi, cui modo subsunt, abdicati, ordinariae jurisdictioni moderni, et pro tempore existentis episcopi ecclesiae Moguntinae subijcerentur, in quem finem preces ipsius imperatoris ad Nos delatae fuerunt.

Remissio gratiae faciendae a legato a latere certis sub conditionibus.

§. 2. Pensatis itaque rerum et temporum circumstantiis, et supplicationibus hujusmodi, benignum praebentes auditum, tibi dilecte fili Noster, dummodo justis de causis ita in Domino censeas expedire, ut praevia exhibitione authentici documenti consensus venerabilis fratris moderni episcopi, et dilectorum quoque filiorum capituli et canonicorum cathedralis ecclesiae, cui populi supradictorum locorum nunc subsunt, eadem loca una cum suis respectivis territoriis modo in imperiali ditione ejusdem Napoleonis, ut asseritur, comprehensis ab enunciata dioecesi auctoritate Nostra apostolica tibi specialiter ad hoc delegata abdicare, sejungere, et separare, atque illa episcopali ecclesiae Moguntinae adjungere, unire, et incorporare, nec non habitatores, et incolas inibi degentes tam ecclesiasticos quam laicos, omnimodae superioritati, jurisdictioni, et obedientiae venerabilis fratris moderni et pro tempore existentis ecclesiae Moguntinae antistitis subjicere possis, ita quod dictae ecclesiae Moguntinae praesul per se, vel alium seu alios ejus nomine oppidi Cassel civitatis nuncupati, burgi Kostein pariter nuncupati, eorumque respective territoriorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, ac omnimodi juris dioecesani propria auctoritate apprehendere potestatem habeat, libere ac licite possis et valeas, vigore praesentium necessariam facultatem concedimus, atque impertimur.

Clausulae salutares et irritantes.

§. 3. Abdicationem vero et unionem praedictas quando per te vigore hujusce delegatae auctoritatis factae fuerint, semper et perpetuo validas fore decernimus, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari volumus, et mandamus, quibuscumque etiam speciali, expressa, et individua mentione dignis in contrarium non obstantibus, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum quoque et inane similiter decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quintodecimo kalendas julii, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCII.

Dat die 19 junii 1807 anno VIII.

Deputatio superioris congregationis Missionum facienda a vicario generali.

Dilecto filio Claudio Placiard presbytero saeculari congregationis Missionis

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Proemium.

§. 1. Qua semper voluntate fuimus in congregationem Missionis, quaque etiam cura illi jugiter et prospicere, et favere studuimus, sicut plura demonstrant, quae nuperis hisce temporibus pro ipsa ordinavimus, ita clarius ostendent, quae pro majori ejus emolumento nunc disponere intendimus. Siquidem tibi non latet, quod postquam bo. me. Franciscus Florentinus Brunet tuus in vicarii generalis munere antecessor ab urbe decessit, Nos per apostolicas Nostras in simili forma brevis die xxx. octobris MDCCCIV. datas literas ad illius gerendas vices in congregationis regimine deputavimus dilectum filium Carolum Dominicum Sicardi, eique etiam assistentes, et admonitorem ad id designavimus. Ac licet subinde per alias similes literas dictum Franciscum Florentinum in pristinum titulum, pristinaque jura vicarii generalis restituimus, placuit tamen Nobis simul statuere, ut ejus vicem, ejusque sub dependentia idem Carolus Dominicus in urbe hac degens pro-vicarii generalis exerceret functiones.

Memorantur aliae literae ad rem datae

§. 2. Quum vero ipse Franciscus Florentinus de hac mortali vita migrasset, teque ante obitum suum vi facultatum, quas Nos ei tribueramus, in sui muneris successorem nominavisset, Nos supplicationibus tunc pro parte tua Nobis porrectis benigne inclinati, te per novas in forma pariter brevis literas Nostras in eodem vicarii generalis officio confirmavimus sub certis modo, et forma ibidem expressis, ac salva, firmaque manente quoad dictum Carolum Dominicum dispositione praecedentium literarum, et alias prout in literis Nostris die v. decembris MDCCCVI. expeditis uberius continetur.

Expositio precum.

§. 3. At quoniam, sicut exponi nuper fecisti Nobis, congregationi tuae hujusmodi in Gallia domus satis commoda, et ampla tam ad colligendos alumnos, quam ad residentiam superioris generalis, ejusque assistentium concessa, sufficientesque etiam redditus assignati jam sint, ac spes non inanis affulgeat fore, ut et majores redditus, et validiores vires possit in dies acquirere, hanc tu idcirco, quae favorabilis adest, nactus occasionem, universum congregationis gubernium pro unitate ipsius opportune firmanda, ejusque amplificatione facilius promovenda in una, eademque persona per Nos consolidari, et reponi vehementer desideras, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitas.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur re, de qua modo supplicatum est Nobis, diligenter, ac mature perpensa, ac de congregatione praedicta Domini vineae magnopere utili, et fructuosa jure, meritoque solliciti, eam non modo tueri, sed et quantum cum Domino possumus, magis magisque ad commune Ecclesiae bonum adaugere cupientes, teque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia cunctarum, quae superius memoratae sunt, literarum revocatione, prout eas omnes, et singulas auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus expresse, penitusque abrogamus, deinde iisdem auctoritate, et tenore tibi, ac favore tui eumdem titulum, idemque munus, quo adhuc fungeris, confirmamus, et assignamus ad tempus tamen dumtaxat Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito duraturum, tibique jura, privilegia, et facultates tum quae juxta congregationis constitutiones auctoritate apostolica confirmatas ejus vicariis generalibus competunt, tum et quae vi earumdem constitutionum solis superioribus generalibus reservatae

sunt, tribuimus, et impertimur; nec non facultates easdem ad hoc quoque, ut possis assistentes, et admonitorem ad formam tamen constitutionum eligere, et aliquem insuper tua ex congregatione, ceteroquin capacem, et habilem in futurum tui vicariatus successorem nominare per schedulam, extendimus, et ampliamus; ea tamen sub lege, ut successor tuus hujusmodi officium vicariatus generalis ad sex menses dumtaxat, et cum solitis facultatibus tali officio adnexis administrare, et nominationis suae confirmationem ab hac sancta Sede debeat incunctanter expetere.

Conditiones aliae.

§. 5. Tu vero supradictis juribus, privilegiis, et facultatibus, quas Nos tibi praeter, et ultra quam fert munus tuum, specialis dono gratiae concedimus, uti non valeas, nisi quum in possessionem domus, quae congregationi, ut praefertur, est assignata, perveneris, eamque ingressus una cum sodalibus tuis vivendi regulam a sancto fundatore alumnis suis praescriptam, sanctaque hac Sede adprobatam in pristinum, plenumque vigorem restitueris, ita scilicet ut isthaec domus exemplo, et normae futura sit ceteris domibus congregationis.

Aliae ut supra.

§. 6. Demum quoad praedictum Carolum Dominicum, qui pro-vicarii generalis officium laudabiliter gessit, quum ante officium hujusmodi illo fungeretur primi assistentis generalis, ne ob ingravescentem aetatem sine magno discrimine possit nunc se committere itineri, ut Galliam petat, ibique resideat, Nos eum propterea eadem auctoritate apostolica in suo pristino titulo, et gradu primi assistentis generalis reponentes, ipsi, licet congregationis statuta aliter jubeant, nihilominus et tecum non commorari, et Romae permanere, suoque assistentis munere etiam procul a te, quantumque in locorum distantia poterit, fungi permittimus, et cum eo desuper dispensamus.

Praeceptum de obediendo.

§. 7. Quocirca in virtute sanctae obedientiae mandamus universis, ac singulis dictae congregationis superioribus, alumnis, aliisque ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, ut te in vicarium generalem sic, uti praemissum est, confirmatum, et constitutum, reverenter suscipiant, tuisque jussibus pareant, nec te tuo durante munere unquam in hoc quavis auctoritate, ac quolibet sub praetextu perturbare, seu a quoquam perturbari, et molestari faciant, atque praesumant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 8. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, tibique in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis apostolicae nuntios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus literis supra recensitis, et constitutionibus, ac ordinationibus apostolicis, nec non praedictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ea, quae per has Nostras literas nunc a Nobis disposita sunt, vigere tantum debere, quoad usque cogi, haberique possit generale capitulum, quod ut primum per temporum circumstantias licuerit, et provinciarum congregationis visitatores ita in Domino judicaverint, tu omnino debeas convocare, auctoritate praedicta tibi injungimus, tuamque super hoc conscientiam oneramus.

Fides habenda transumptis.

§. 10. Volumus insuper, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae

adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xix. junii millesimo septingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 23. junii 1807 anno VIII.

CCCCXCIII.

Confirmatio literarum apostolicarum editarum a Paulo V. super votis emittendis a monialibus monasterii ordinis sancti Benedicti in civitate Barchinonensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium

§. 1. Pastoris aeterni vices, meritis licet imparibus, gerentes in terris illud curandum Nobis esse ducimus, ut, quantum cum Domino possumus, tueamur, atque servemus regulares ordines non modo virorum, sed etiam mulierum, quae et mundi, et sexus, et suimet-ipsarum victrices Deo se hostias viventes, gratas, et acceptabiles obtulerunt.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii ordinis sancti Benedicti ex instituto venerabilis servae Dei Joannae Lestonach civitatis Barchinonensis, quod dictum earum monasterium ex alio simili in civitate Burdegalensi vigore apostolicarum literarum felicis recordationis Pauli pp. V. praedecessoris Nostri olim erecto monasterio ortum duxit, cui ex fundationis lege, praeter consueta regularium ordinum vota additum est charitatis opus instituendi gratis puellas etiam non convictrices cum in doctrina Christiana, ac recta vivendi ratione, tum in primis legendi, scribendique rudimentis, ac etiam muliebribus pensis exolvendis, ac alias, prout ex memoratis ejusdem Pauli praedecessoris in simili forma brevis die prima aprilis millesimo sexcentesimo septimo expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, dictum primarium Burdegalense monasterium nuperrimis temporum procellis obrutum remanserit, idcirco dictae superiorissa, et moniales, veritae, ne dubium aliquod temere suboriatur super valida sui, et aliorum similium monasteriorum alibi existentium duratione, pro majori suae, et reliquarum consororum omnium conscientiae tranquillitate dictas Pauli praedecessoris literas apostolica quoque Nostra auctoritate confirmari vehementer desiderant, quo firmius in superstitibus monasteriis hujusmodi eaedem literae subsistant, et serventur exactius. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas Pauli praedecessoris literas pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum pro insertis habentes, easdem literas una cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium pro dicto Barchinonensi, aliisque ejusdem instituti remanentibus monasteriis confirmamus, et approbamus, eique inviolabilis, ac novae perpetuae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti defectus, si qui desuper in eas quomodolibet obrepserint, supplemus, et sanamus. — Tenor concessionis.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Roma- — Clausula sublata et decretum irritans.

nae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae memoratus Paulus praedecessor in dictis suis literis non obstare voluit, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCIV.

Dat. die 13 junii 1807 anno VIII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione B. M. virginis a Piedi della Menocchia nuncupati, et applicatio bonorum favore ecclesiae collegiatae sanctae Mariae in Cosmedin.

Dilecto in Christo filio vicario archiepiscopi Firmani in spiritualibus generali.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
Salutem et apostolicam benedictionem

Proemium. §. 1. Ad servandam divinarum virtutum celebrationum memoriam, illarum praesertim quae in aliquibus ecclesiis gloriosae, et Deiparae beatae Mariae semper virgini dicatis canonice institutae reperiuntur, quaeque ob deficientiam reddituum valde dubitandum foret, ne tractu temporis pretermitti possent, non solum utile, verum etiam expediens videtur et pro salutaribus tam piarum institutionum operibus ecclesiis ipsis meliori quo fieri possit medio etiam per alicujus beneficii ecclesiastici applicationis fratrum ministerium a Nobis provideatur, ad hoc ut divinus cultus semper accrescat, et ecclesiae ipsae optata in spiritualibus, et temporalibus suscipiant incrementa.

Expositio precum. §. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Aloisii Donati presbyteri, et canonici saecularis, et insignis collegiatae basilicae nuncupatae ecclesiae sanctae Mariae in Cosmedin etiam nuncupatae de urbe expositio continebat, quod cum dicta collegiata ecclesia in qua pluribus ab hinc annis annua memoria translationis almae Domus Lauretanae cum debita pompa, et honorificentia celebrari consuevit nullos habeat peculiares redditus pro hujusmodi functionis continuatione, ad eo ut valde dubitundum sit ne tam pium, et salutare opus tractu temporis in desuetudinem abire possit ac omnino praetermittatur, secus vero dictus Aloisius plurimum cupiat, ut opus praedictum ad Deiparae b. Mariae virginis laudem, et honorem mediante infrascripta suppressione, et respectiva applicatione in infrascriptum eventum ut infra facienda etiam post ipsius Aloisii obitum conservetur; ideo Nobis humiliter supplicari fecit Aloisius praedictus, quatenus pro ejus desiderio in praemissis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eumdem Aloisium specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati dicretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint ad id evocandi perpetuum simplex, et personalem residentiam minime requirens beneficium ecclesiasticum ad altare vel sub invocatione b. M. virginis a Piedi della Manocchia nuncupatae oppidi Massignani Firmanae dioecesis quod dictus Aloysius, ut asseritur, ad presens obtinet, ac cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti ducatorum auri de camera, et juliorum decem monetae Romanae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, ex nunc pro ut ex tunc, et e contra cum primum illud per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel ammissionem, Tenor concessionis.

seu religionis ingressum, et professionem in ea emissionem dicti Aloisii, aut alias etiam quovis modo etiam apud Sedem apostolicam praedictam etiam in aliquo ex mensibus Nobis, aut Romano pontifici pro tempore existenti Sedique praedictae per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas, vel edendas aut alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus, etiam per costitutiones, et regulas easdem seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et in posterum concedenda competentibus vacare contigerit, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, vel essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de cetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri, vel impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae hujusmodi nullae prorsus, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant auctoritate apostolica tenore praesentium sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et extinguas, illoque sic suppresso, et extincto omnia, et singula ejusdem beneficii sic, ut praefertur, suppressi, et extincti bona, res, proprietates, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, vel emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia ex nunc pariter prout ex tunc, et e contra, postquam tamen beneficium praedictum et persona dicti Aloisii, ut praefertur, vacaverit idem collegiatae ecclesiae ita quod liceat dilectis filiis modernis, et pro tempore existentibus capitulo et canonicis ipsius collegiatae ecclesiae postquam tamen casus vacationis hujusmodi evenerit per se, vel alium, seu alios proprio, ac ejusdem collegiatae ecclesiae nomine praedicti beneficii, ut praefertur suppressi, et extincti, illiusque bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, et proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum praedictorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, dictaque bona, res, et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus, redditus, et proventus quoque praedictos, jura, obventiones, et emolumenta hujusmodi percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per dictos modernos, et pro tempore existentes capitulum, et canonicos dictae collegiatae ecclesiae omnibus, et singulis, siquae sint ejusdem beneficii, ut praefertur suppressi, et extincti oneribus in suos ac ejusdem collegiatae ecclesiae usus et utilitatem pro supradicti tamen operis conservatione, et non alias convertere, dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari auctoritate apostolica earumdem tenore praesentium etiam perpetuo applices, adnectas et incorpores.

Clausulae irritantes, et decretum. §. 4. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, annexionem, et incorporationem hujusmodi per te praesentium vigore fieri contingerit, ut praefertur easdem praesentes nullo unquam tempore ex quocumque, capite, vel qualibet causa quantumvis juridica et legitima, etiam pia, privilegiata ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, aut quidpiam aliud in contrarium disponi ullatenus unquam posse, nec illos sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas, vel edendas comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictos modernos, et pro tempore existentes capitulum et canonicos praedictae collegiatae ecclesiae quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos qua-

vis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, irritumque decernimus, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus Nostra et cancellariae praedictae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, et aliorum etiam generalium conciliorum uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri, ac beneficia unius sive alterius dioecesis beneficiis seu ecclesiis uniri prohibentium, alisque etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Aloisius beneficium per eum, ut praefertur, obtentum ac etiam, ut praefertur, suppressum et extinctum hujusmodi in praejudicium dictae applicationis tam simpliciter quam ad favorem alicujus etiam ex causa permutationis resignare, aut in manibus ordinarii loci libere dimittere, seu juri sibi in illo, vel ad illud quomodolibet competenti cedere non possit, et si Aloisius praedictum beneficium, ut praefertur suppressum, et extinctum hujusmodi resignare vel dimittere seu juri cedere contigerit, ut praefertur, resignatio, vel dimissio, seu juris cessio hujusmodi in praedictae collegiatae ecclesiae tantum, et non alterius favorem factum sit et esse censeatur eo ipso. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub anulo piscatoris die xxiii. junii millesimo septingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCV.

Dat. die 23. junii 1807 anno VIII.

Reintegratio constitutionis Pii V. vi cujus paramenta sacra adhibita ab episcopis devolvuntur post eorum obitum ad ecclesias cathedrales, quibus praefuerunt.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum. §. 1. Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ecclesiae Tiburtinae, episcopos ecclesiae isti praepositos ab anno 1743. usque ad praesens usos, gavisosque jugiter esse facultate ex indulto apostolico specialiter ipsis concessa donandi, ac relinquendi supellectiles, quae sui essent juris sacras aeque ac profanas favore mensae episcopalis, successorumque suorum: quod quidem indultum quam magno fuerit detrimento ecclesiae cathedrali, liquet nunc luculentius, quum haec gravi urgetur necessitate renovandi paramenta diuturno usu prope consumata, sed ob immanes, quas in nuperis perturbationibus publicis perpessa fuit, jacturas ad omnem prorsus novam expensam impar dignoscitur. Hinc enixis efflagitant precibus, ut per Nos abrogentur concessiones, quae a felicis recordationis tum Benedicto XIV., tum Clemente XIII. Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris impertitae ad id fuere episcopis Tiburtinis, et restituatur in pristinum constitutio sanctae memoriae Pii pp. V. etiam praedecessoris Nostri incipiens « *Romani pontificis providentia* », per

quam res sacrae episcoporum, sacrisque usibus per eos addictae, post eorum obitum, cathedralibus, quacis ipsi praefuere, cedere debent ecclesiis.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, audito hac in re venerabili fratre Vincentio moderno episcopo Tiburtino, praedictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia revocatione et abrogatione cujusvis indulti, ac concessionis per episcopos Tiburtinos a memoratis Benedicto et Clemente Nostris praedecessoribus ad recensitas donationes ac dispositiones faciendas quomodolibet obtentae, prout indultum et concessiones hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, penitusque abrogamus, supradictam deinde Pii V. praedecessoris constitutionem iisdem auctoritate et tenore restituimus juxta petita, ac in eodem, quo primitus erat, vigore reponimus, ita ut in posterum ea sola servetur, servarique debeat in omnibus, et per omnia pro cathedrali praedicta, perinde ac si aliter super illa dispensatum, atque dispositum numquam fuisset.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictae ecclesiae cathedrali plenissime suffragari, et a cunctis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus indultis, et concessionibus super enunciatis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentes literae Nostrae suum non sortiantur effectum, nisi postquam praenominatus Vincentius episcopus supremum diem obierit, ac ut libri ex haereditate praecedentium episcoporum provenientes et ad usus sacros minime spectantes, commodo semper ac usui episcoporum pro tempore reservati permaneant. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCVI.

Dat. die 23 junii 1807 anno VIII

Concessio mozzetae violacei coloris, loco almutiae gestandae a mansionariis ecclesiae cathedralis Imolensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, sacris ministris, qui Deo in illustrioribus templis inserviunt, peculiaria indumenta gestanda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes continuo excitati charismata meliora magis, magisque in dies aemulentur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis dilecti filii moderni mansionarii beneficiati ecclesiae cathedralis Imolensis exponi fecerunt, divinus cultus, populique Christiani devotio in dicta ecclesia quodammodo augeretur, si ipsi nova aliqua decoratione per Nos ornentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus mansionariis cathedralis ecclesiae praedictae Imolensis, ut ipsi loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, mozzetam violacei coloris cum globulis, et asulis coloris similis pro tempore hyemali

dumtaxat tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus: dictosque mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCVII.

Dat. die 26 junii 1807 anno VII.

Concessio vestis oblongae violacei coloris pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae metropolitanae Urbinatensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Spiridio archiepiscopus Urbinatensis, quod metropolitanae illius ecclesiae capitulum, et canonici tanto virtutum splendore Christiano populo praefulgent, tantamque in ipsum archiepiscopum observantiam, et obedientiam, atque in hanc sanctam Sedem devotionem, et fidem praesetulerunt, adjuvante Domino, et praeseferunt, ut decorationibus iis, quas antea dictis canonicis concessimus, quidquam aliud superaddi vehementer desideret, quo iidem canonici ad aemulanda in dies charismata meliora magis magisque excitentur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dicti archiepiscopi votis quantum cum Domino possumus, benigne annuere, dictosque canonicos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque da causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitati, seu dignitatibus, et canonicis memoratae metropolitanae ecclesiae Urbinatensis, ut ipsi vestem oblongam violacei coloris ad instar canonicorum cathedralis ecclesiae Pisaurensis tam in metropolitana praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare; nec non faldistorio (non tamen praesente archiepiscopo, aut episcopo) in missis cum cantu celebrandis uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitatem, seu dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae metropolitanae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 26 junii 1807 anno VII.

CCCCXCVIII.

Indultum utendi libro canonis in medio altaris, et in missa, excepta chorali, pro magistris majoris praesidentiae in cancellaria apostolica.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, privilegiis libenter ornamus Nostrae curiae praelatos, qui fide, ac devotione in Nos, et hanc sanctam Sedem non mediocriter excellunt. Cum itaque sicut Nobis nuper dilecti filii moderni magistri majoris praesidentiae in cancellaria Nostra apostolica abbreviatores exponi fecerunt, eorum collegium multis, et praeclaris privilegiis per Romanos pontifices, ac praesertim per fel. rec. Urbanum pp. VIII. praedecessorem Nostrum decoratum reperiatur, multum ornamenti, et splendoris ad ipsos accederet, si nova aliqua praerogativa per Nos fuerint locupletati: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus abbreviatoribus majoribus praesidentiae praedictis in sacro presbyteratus ordine constitutis, ut ipsi sacrum facientes tam in privatis oratoriis, quam in publicis ecclesiis etiam cum cantu librum canonis in medio altaris ad instar protonotariorum Nostrorum apostolicorum habere, illoque uti, (non tamen in illis missis choralibus, quas cum cantu ratione alicujus canonicatus per ipsos obtenti celebrare tenerentur; tunc enim choralem cum aliis canonicis conformitatem servandam esse volumus) libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, eosque desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit decernimus, et declaramus.

§. 3. Non obstantidus quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXVI. junii MDCCCVII. pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio contrariorum.

Dat. die 30. junii 1807. anno VIII.

ID.

Indultum concessum canonicis ecclesiae collegiatae matricis sancti Erasmi terrae de Bassiano Setinae dioecesis utendi roccheto, et mozzeta violacei coloris, cum asulis, et globulis cremisini coloris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui Altissimo in sacris templis collegialiter inserviunt, divinasque laudes concinunt, peculiaria indumenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati charismata meliora magis magisque in dies aemulentur. Proemium.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti filii archipresbyter, et canonici collegiatae, et matricis ecclesiae sub titulo sancti Erasmi terrae de Bassiano Setinae dioecesis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, populique Christiani frequentia, et devotione

floreat, multum splendoris ed eamdem ecclesiam accederet, divinusque cultus majora incrementa ibi susciperet, si dicti archipresbyter, et canonici aliquibus decorationibus per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, et canonicis ecclesiae praedictae, ut ipsi rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam cum asulis, et globulis ejusdem cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non (quatenus opus sit) dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

D.

Dat. die 1. julii 1807. anno VIII.

Providentiae adhibitae pro conservatione bonorum communitativorum non alienatorum, et liquidatione aeris alieni communitatum ditionis pontificiae.

Reverendissimo cardinal Girolamo della Porta prefetto della Nostra congregazione de' Sgravj, e Buon Governo.

Proemium. §. 1. Seguendo gl' impulsi del Nostro paterno cuore per i maggiori vantaggi de' Nostri sudditi, non abbiamo potuto non vedere con rincrescimento, che non ostante le diverse provvidenze date col moto proprio de' 19. marzo 1801, ed altro successivo de' 14. luglio 1805., non meno che colle posteriori istruzioni di Nostro oracolo publicate all' interessante oggetto della dimissione de' debiti comunitativi, alla retta amministrazione de' beni delle comunità dello stato, e finalmente all' amministrazione di una giustizia distributiva a pro de' creditori delle medesime, pure non erasi ancora pienamente conseguito l' intento. Quindi richiamando su di ciò le Nostre cure, anche eccitati dalle giuste lagnanze de' creditori suddetti, ai quali per mancanza delle casse, e per la difficoltà dell' esigenza venivano da qualche anno ritardati i frutti de' loro rinvestimenti, abbiamo creduto di dare l' ultima mano ad un affare di tanto rilievo, ed a cui così strettamente è unita la felicità dello stato, e de' sudditi medesimi.

Tenor dispositionum praemissarum ad consequendam liquidationem status activi, et passivi communitatum. §. 2. Vedemmo quindi che a procedere con giusto sistema era necessario lo stabilire con sicurezza lo stato attivo, e passivo delle comunità dello stato riunite insieme, giacchè i calcoli di approssimazione, sempre incerti in una operazione così grande, erano tanto meno da eseguirsi ora, che per le varie disposizioni prese su questo ramo di economia pubblica, tutti a giusta ragione ci chiedeano un sistema, che soggetto non fosse più a variazione. Vedemmo nel tempo stesso, che a far questo primo passo era necessario che fosse posto un termine definitivo alla vendita de' fondi suddetti ordinata col moto proprio de' 14. luglio 1805., e commessa alla No-

stra congregrazione economica. Perciò v' ingiungessimo di porvi di concerto col reverendissimo cardinal Giuseppe Doria come capo dell' anzidetta congregazione, ad effetto che senza ritardo pubblicasse una notificazione, con cui dichiarasse sciolto qualunque diritto, tanto a favore de' declaratarj , come degl' impetranti i fondi suddetti, se dentro il termine non prorogabile de' 15. agosto prossimo futuro non avessero stipolato il rispettivo istromento, qualunque ne fosse stata la causa, e il motivo.

Liberatio bonorum a vinculis.

§. 3. Non dubitiamo punto , che per lo zelo sì vostro, che del nominato cardinal Doria sarà stata già pienamente adempita questa prima Nostra determinazione. In conseguenza di ciò vi comunichiamo ora le ulteriori disposizioni , mediante le quali ci lusinghiamo di ottenere il fine bramato. Dichiariamo perciò che tutt' i beni comunitativi su de' quali a tutto l' accennato giorno de' 15. agosto non sarà stato stipolato l' istromento di vendita, restino liberi da qualunque vincolo di ozione , o d' impetra, e sottoposti alla generale amministrazione, e conseguentemente qualunque declaratario, impetratario , o possessore per qualunque titolo di certificati , non abbia più alcun diritto a chiedere l'aggiudicazione de' suddetti beni , e corra la sorte degli altri creditori delle comunità , per conseguire dalla suddetta amministrazione il pagamento de' frutti , e la restituzione delle sorti, a forma di quanto da Noi venne prescritto nel citato moto proprio de' 14. luglio 1805 in favore di quei creditori, che non avessero voluto approfittarsi della ozione alla vendita de' beni anzidetti. In conseguenza di ciò incarichiamo la Nostra congregazione del Buon Governo, a cui presiedete, di stabilire con precisione il vero reliquato dello stato passivo , tanto a capitale, che a frutto, come ancora dell' attivo , similmente a capitale , ed a frutto , e sulle basi certe dell' uno, e dell'altro presentarci un piano dentro l' anno corrente, con cui si ottenga il maggior fruttato de' beni non alienati , da ritirarsi col minor possibile dispendio; si assicuri il puntuale pagamento degli annui frutti ai creditori ; si stabilisca la più sollecita estinzione delle sorti, da farsi ratatamente in ogni anno ; e finalmente si determini il proporzionato sussidio da darsi dalla cassa generale alle comunità bisognose , ed in specie a quelle che innanzi l'incamerazione de' beni , o non avevano debiti, o li avevano in una somma molto inferiore alla quantità de' beni, de' quali sono rimaste spogliate.

Confirmatio legum editarum pro diremptione quaestionum super proprietate bonorum et jurium super illis quovis modo competentium.

§. 4. Crediamo ancora necessario, ed anche consentaneo alle massime di giustizia di nuovamente approvare, e di ordinare insieme la più esatta esecuzione di quanto dalla Nostra congregazione del Buon Governo fin dal principio del 1803. ci fu proposto in riguardo alle questioni sulla pertinenza di alcuni beni, pascoli , e pretesi diritti , o popolari, o appartenenti a qualche particolare corporazione di cittadini. Di fatti conoscemmo fin d' allora , che se si fosse lasciato aperto l' adito a simili questioni di pertinenza , l' amministrazione generale de' beni avrebbe fluttuato sempre nell' incerto; sarebbesi compromessa la dignità dell' anzidetta congregazione nel dovere per proprio officio sostenere tanti litigj con le comunità alla di lei cura affidate ; e quel ch' è più l'assicurazione da Noi data ai creditori di esser puntualmente soddisfatti de' frutti , e capitale , sarebbe andata a vuoto tostochè si fossero separati non pochi beni dalla generale amministrazione da quei medesimi comunisti , e cittadini, che pur dovevano essere bastantemente contenti di essere stati con Nostra beneficenza sovrana liberati dall' obbligo *uti singuli*, *et in solidum* per la soddisfazione de' creditori suddetti. Quindi a togliere affatto tutti questi inconvenienti, de' quali con Nostro dispiacere abbiamo veduto fin qui i funesti effetti, vogliamo, ed espressamente ordiniamo , che tutte le questioni sulla pertinenza de' beni , siano di pascoli , o molini , o altri fondi, siano a nome delle comunità, o del popolo , o di qualsisia particolare corporazione restino sospese interamente, finchè non saranno estinti tutt' i debiti comunitativi , tanto de' frutti come del capitale, moderando a tal' effetto le citazioni speciali date dal Nostro monsignor uditore , e richiamando qualunque remissione di causa , ancorchè già introdotta , o in s. Rota, o in qualunque altro Nostro tribunale, volendo che i suddetti beni, e diritti controversi, rimangano,

come tutti gli altri sottoposti alla generale amministrazione come innanzi l' anno 1798. si trovavano descritti nelle tabelle di ciascuna comunità.

Quaestiones omnes ad congregationem boni regiminis avocantur

§. 5. E perchè ci è sommamente a cuore, che in tutto si osservi un egual sistema, e l' uniformità delle massime, quindi informati Noi, che tanto sui beni venduti, quanto su quelli che rimangono sottoposti all' amministrazione, sonosi eccitate diverse questioni di pretesi diritti, e servitù, come ancora sulla spettanza di pretesi pesi inerenti ai beni medesimi, vogliamo che tutte queste questioni di qualunque natura siano, benchè già rimesse, ed introdotte in altri tribunali siano richiamate da essi come colla Nostra suprema autorità richiamiamo, commettendone privativamente l' esame alla Nostra congregazione del Buon Governo, incaricando della piena esecuzione di ciò, tanto il Nostro tribunale della Segnatura, quanto il Nostro monsignor uditore, qualora dinnanzi a loro si eccitasse qualunque questione di pertinenza, volendo che nei casi suddetti, come in qualunque altro, in cui o direttamente, o indirettamente possa aver luogo l' interesse dell' amministrazione, ne sia rimesso l'esame privativo alla suddetta congregazione del Buon Governo.

Declaratio inappellabilitatis resolutionum edendarum a congregatione specialiter deputata.

§. 6. Per uniformità di ragione avendo presente, che quando col moto proprio dei 19. marzo 1801. liberassimo le comunità, e i rispettivi cittadini dal peso del pagamento de' debiti legittimamente contratti, deputassimo ancora una congregazione particolare con biglietto di Nostra segreteria di stato, composta del cardinal prefetto pro tempore, di monsignor segretario, ed altri individui della suddetta congregazione, a cui conferissimo le facoltà non solo di liquidare l' avere di ciascun credito, ma anche di dichiarare quali fossero compresi nella disposizione del succennato moto proprio, e quali dovessero rimanere a carico delle comunità, o dei particolari obbligati: quindo confermando la suddetta provvidenza di cui abbiamo conosciuto i vantaggiosi effetti, vogliamo che il giudizio reso fin qui, o che si renderà in appresso dalla suddetta congregazione particolare sia definitivo, ed inappellabile anche in devolutivo, al qual effetto, anche in questo caso moderiamo qualunque citazione speciale del Nostro monsignor uditore, e qualunque remissione ai Nostri tribunali di simili vertenze, quantunque potessero essere state giudizialmente introdotte, altrimenti inutili sarebbero state le tante Nostre cure nel volere fissato con sicurezza l' attivo, ed il passivo delle comunità dello stato.

Licentia augendi canones, et pensiones pro aequanda fructuum distributione.

§. 7. Finalmente qualora nel formarsi il piano di sopra commesso alla Nostra congregazione del Buon Governo, per assicurare il maggior fruttato de' beni posti sotto l'amministrazione si conoscesse dalla medesima, che qualche enfiteusi, o affitto a lungo tempo fosse inferiore al vero fruttato de' beni medesimi, l'autorizziamo a crescerne proporzionatamente la risposta, affine non solo di livellare tutte le rendite in una stessa proporzione; ma anche coll' aumento delle medesime assicurare sempre più ai creditori l' annua percezione de' frutti, e la successiva estinzione dei capitali, che è l' unico oggetto, per cui abbiamo fin qui impiegate indefessamente le Nostre paterne cure.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 8. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo non possa mai opporsi di orrezione, o sorrezione, o di altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione; ma abbia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice Nostra sottoscrizione, benchè non ammesso, nè registrato in camera, togliendo ad ogni giudice, e tribunale, anche collegiale la facoltà di diversamente giudicare, definire, ed interpretare, dichiarando fin d' adesso nullo, ed invalido quanto si giudicasse, o definisse in contrario, ancorchè non fossero stati chiamati, sentiti, o citati quelli che mai pretendessero avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis*; e le regole della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante li sopraccitati Nostri moti proprj de' 19. marzo 1801; e 14. luglio 1803. e qualunque altra disposizione emanata col previo Nostro oracolo dalla congregazione Economica, ed ogni altra costituzione ed ordinazione apostolica, e Nostra, leggi, statuti, riforme, stili, usi, e consuetudini, e qualsivoglia altra cosa, che facesse o potesse fare in contrario, al-

le quali tutte, e singole, avendone qui il tenore per espresso, e di parola in parola inserito, per questa volta sola, e per l' effetto delle cose premesse amplamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico al Quirinale questo dì primo luglio 1807.

Pius PP. VII.

Dat. die 3. julii 1807. anno VIII.

DI.

Dispensatio favore fratrum ordinis sancti Francisci de observantia provinciae Catalauniae, ut exercere valeant lanificium pro textura pannorum ad usum vestimentorum suorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Quum penes ordinem fratrum sancti Francisci de observantia nuncupatorum provinciae Catalauniae sicut Nobis exponi fecit dilectus frater Bernardinus Sala ejus minister provincialis, erectum extet lanificium pro textura pannorum, qui religiosorum vestimentis communi sunt usui; quumque experientia probaverit male creditam esse lanificii istius administrationem tertiariis laicis; cupiatque ipse propterea ad majorem totius provinciae utilitatem opportunius ut infra per Nos de eodem lanificio provideri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem exponenti, ejusque pro tempore successoribus licentiam, et facultatem, cujus vigore tam ipse quam successores ipsius, posthac, perpetuisque futuris temporibus supradicto lanificio administrando deputare possint et valeant religiosos ordinis sive laicos, sive etiam sacerdotes expresse professos, ita ut liceat his tuta conscientia pecuniarias eleemosynas recipere, apud se retinere, et ad ea omnia, quae lanificio sunt opus impendere, ceteroquin honeste adhibitis in hoc cauthelis ad omne vitandum scandalum necessariis, ac suae administrationis tempore tantum durante, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur, ac super ordinis regula tractationem, retentionem, usumque pecuniarum vetante cum iisdem ad praemissorum dumtaxat effectum specialiter dispensamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti beneficii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia julii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 7. julii 1807. anno VIII.

DII.

Concessio usus libri canonis in medio altaris, et palmaris, vulgò bugia pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis civitatis Caesenatensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum exempla imitati, peculiaribus praerogativis interdum ornamus ecclesiasticos illos viros, qui in celebrioribus templis omnipotenti Deo inserviunt, ibique veluti caelestis Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt, ut ipsi per externas quoque hujusmodi decorationes excitati, internarum virtutum splendore praelucere magis magisque conentur in domo Domini.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam igitur dilecti filii dignitates, et canonici ecclesiae cathedralis civitatis Nostrae Caesenatensis, in qua natalem habuimus diem, exponi Nobis nuper fecerunt, se vehementer optare ad majorem Dei gloriam, sacrique eorum ministerii venerationem apud fideles augendam, ut novis distinctionibus per Nos, et hanc sanctam Sedem ornentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos, pro eo etiam quo in patriam afficimur studio, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis praedictae Caesenatensis, ut in missae celebratione librum canonis in medio altaris habere, atque palmari vulgo bugia in aliis etiam presbyteralibus functionibus quibuscumque tam in ecclesia praedicta, quam extra eam exercendis, (illis tamen missis, et functionibus exceptis, quibus episcopum adesse contigerit) uti; extra functiones vero fasciolam sericam violaceam imo pilei vertici obvolutam cum flocco simili palam gestare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima julii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 10. julii 1807. anno VIII.

DIII.

Concessio usus mozzetae violacei coloris cum globulis, et asulis cremisini coloris pro mansionariis, et cum globulis, et asulis nigris pro cappellanis ecclesiae cathedralis Caesenatensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni mansionarii, et cappellani ecclesiae cathedralis Caesenatensis, quod cum ejusdem ecclesiae dignitates, et canonici nonnullis specialibus praerogativis a recolendae memoriae Pio pp. VI. praedecessore Nostro, et a Nobis decorati, et aucti fuerint, ipsi quoque ad majorem Dei gloriam, atque ad augendum sacri eorum ministerii splendorem aliqua per Nos, et hanc sanctam Sedem honorificentia exornari vehementer desiderant.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis,

et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus mansionariis ecclesiae praedictae, ut mozzetam violaceam cum sericis globulis, et asulis cremisini coloris, cappellanis vero pariter pro tempore in perpetuum existentibus eamdem violaceam mozzetam cum asulis, et globulis nigris supra cottam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, dictaque mozzeta respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque mansionarios, et cappellanos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DIV.

Dat. die 21. julii 1807. Anno VIII.

Facultas celebrandi festum septem dolorum beatae Mariae virginis in ecclesia metropolitana Hispalensi, et elevatio ritus officii sancti Josephi ejusdem B. M. V. sponsi a duplici minori ad duplex secundae classis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Cum, sicut dilecti filii moderni decanus, et capitulum ecclesiae metropolitanae Hispalensis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in beatissimam virginem, ejusque castissimum sponsum afficiuntur devotionis affectu, illorum cultum, et venerationem in dies augeri vehementer desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, facultatem jam die xi. decembris MDCCCIV. ecclesiae metropolitanae praedictae concessam agendi festum septem dolorum ipsius beatae Mariae virginis ritu duplici secundae classis ad universum clerum civitatis, et dioecesis Hispalensis auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus: ac praeterea in eadem civitate, et dioecesi ritum festi patrocinii sancti Josephi ejusdem beatae Mariae virginis sponsi a duplici minori ad duplex secundae classis, auctoritate, et tenore praedictis elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia ro-

boratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima prima julii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DV.

Dat. die 31. julii 1807 anno VIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui die sexta martii a primis vesperis usque ad occasum solis visitaverint ecclesias civitatis, et dioecesis Gandavensis ab ordinario designandas.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Datio et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis civitatis, et dioecesis Gandavensis, per ordinarium designandam, die sexta mensis martii a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Conditiones adnexae.

§. 2. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima julii millesimo octigentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DVI.

Dat. die 4 augusti 1807 anno VIII.

Reformatio statutorum archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti, et sanctorum Petri, et Andreae apostolorum in ecclesia parochiali sancti Angeli in foro Piscium de urbe.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Expositum nuper fuit Nobis pro parte dilectorum filiorum guardianorum et camerarii archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti, et sanctorum apostolorum Petri et Andreae in collegiata ecclesia s. Angeli ad forum Piscium canonice, uti asseritur, institutae, se ob rationabiles causas, temporumque vicissitudines primaeva archiconfraternitatis ejusdem statuta reformasse, et reformationem statutorum hujusmodi a dilecto filio Nostro Marino S. R. E. diacono cardinali Carafa de Belvedere nuncupato archiconfraternitatis protectore approbatam subinde fuisse modo et forma ut sequitur.

Tenor statutorum reformatorum.

§. 2. *Riforma dei statuti della venerabile archiconfraternita sotto la invocazione del santissimo sagramento, e santi Pietro ed Andrea apostoli eretta nella cappella di s. Andrea nella collegiata parrochiale chiesa* di s. Angelo detta in *Foro Piscium.*

Proemio

Alla venerabile archiconfraternita da molto tempo istituita nella chiesa collegiata e parrocchiale di s. Angelo si aggregò sotto il dì 24. aprile 1688 la università dei pescivendoli di Roma. E siccome la suddetta compagnia era mancante di rendite, alle quali supplì del proprio la università per decoroso mantenimento di quella, e del suo oratorio e cappella; perciò si stabilì, che non potessero essere eletti offiziali, ai quali spettasse il maneggio degli interessi della compagnia, che non fossero fratelli patentati della medesima università, e che due dei quattro guardiani fossero sempre i consoli estratti dalla stessa università: ed altri opportuni regolamenti si fecero nei statuti della venerabile compagnia, che furono poi confermati dall' eminentissimo cardinal Gaspare Carpegna vicario di chiara memoria con decreto de' 22. dicembre 1695.

Dopo le vicende accadute sul fine dello scorso secolo, si trova ora per la nuova legislazione del regnante sommo pontefice, soppressa tra gli altri corpi d' arte di questa città anche la università de' pescivendoli, nè più esistono i suoi consoli. Ed essendosi introdotto sconcerto nella economica azienda della compagnia, ed altri abusi, che hanno dato motivo a molti riclami, conobbe monsignor Giuseppe Pecci di felice memoria, primicerio della medesima archiconfraternita, dovervisi rimediare con regolamenti, ma non essendosi potuto fissare il desiderato sistema pel breve tempo, che quel zelante prelato sopravvisse, è stato preso a cuore da monsignor illustrissimo e reverendissimo Niccolò Maria Nicolaj commissario generale della R. C. A. dopo che è stato dalla stessa compagnia eletto per suo primicerio: il quale con intelligenza dell' eminentissimo signor cardinale Carafa di Belvedere, vigilantissimo protettore, avendo preso ad esaminare i statuti, ed informatosi diligentemente delle urgenze di nuovi provedimenti, ed avendo su di ciò conferito in più congressi coi principali officiali e col notaro della compagnia, che presentemente esercita le incombenze del segretario, sentito il parere dei zelanti e savj confratelli, e dopo avere esaminato un primo abbozzo di riforma di alcuni capitoli, che si era fatto, conobbe che per la imperfezione degli antichi statuti, e per la variazione dei tempi, e per rimediare ai nuovi abusi, era necessaria una più ampia e più adeguata compilazione.

Quindi fattesi più mature discussioni finalmente si sono combinati i presenti capitoli di riforma riveduti ed approvati dall' eminentissimo protettore, esposti e ricevuti nell' adunanze de' fratelli con espressa dichiarazione e protesta, che tutto ciò si è fatto, attesa la recente soppressione dell'università suddetta, e per riguardo del presente stato della compagnia onde non s' intenda mai pregiudicato agli antichi rispettivi diritti, nè alle prerogative, privilegi, ed onorificenze della medesima archiconfraternita; e perchè tutte queste determinazioni abbiano perpetuo vigore ed osservanza si supplica la Santità di Nostro signore, che si degni con un breve convalidarli, e munirli dell' apostolica approvazione.

CAP. I.

Dell' istituto della compagnia

De institutione confraternitatis.

§. 3. Essendo questa compagnia stata istituita, come negli antichi statuti si esprime, affine di congregare i fratelli (vestiti di sacco bianco colla mozzetta e cingolo rosso) in santa unione a lodare Iddio, ed esercitare il culto divino in salute delle loro anime; perlocchè fu poi fondato l'oratorio dedicato al santissimo Sagramento, ed alli gloriosi santi Pietro ed Andrea apostoli, ed altresì affine di ajutare i prossimi con opere pie, e specialmente colla visita de' fratelli, quando accada che sieno in carcere, e colla distribuzione di quelli sussidj dotali, ed altre limosine indicati nei suddetti statuti, e più precisamente nella presente riforma: perciò s' inculca a tutti i nostri fratelli di ave-

re sempre in mente ed a'cuore questi oggetti; onde procuri ognuno di cooperarvi con la sua vita cristiana, e col buon esempio, col zelo del bene comune della compagnia, colla frequenza delle sue sagre funzioni, ed adunanze, e coll'esatta osservanza delle regole prescritte ai fratelli in particolare, e in generale, e con sommo impegno di mantenere fra i confratelli la carità, e la concordia. E per non deviare da questa retta intenzione, che deve presumersi avere avuto i pii fondatori, abbia ognuno in somma questa massima di ricordarsi sempre, che lungi da ogni mira di privati interessi, o di altri fini particolari, e indiretti, questo pio istituto è unicamente diretto alla gloria di Dio, ed alla pratica delle virtù.

CAP. II.

Dell'eminentissimo protettore e degli offiziali

De protectore

§. 4. Siccome nel capo I. de' vecchi statuti era fisso, che la compagnia fosse sotto la protezione di quell' eminentissimo cardinale di santa Chiesa, il quale fosse stato eletto per protettore della università, ora soppressa, de' pescivendoli; così godendo ora la nostra archiconfraternita degli auspicii del suo proprio protettore perpetuo, quale è l'eminentissimi e reverentissimo signore cardinale Marino Carafa di Belvedere (che Dio lungamente e prosperamente conservi) dal cui zelo, pietà ed autorità si spera, che sarà sempre difesa, ed ajutata la nostra compagnia; perciò si stabilisce, che in avvenire in ogni caso di elezione dell' eminentissimo protettore, si debba osservare il modo che si stabilisce nella presente riforma per la elezione degli officiali maggiori, restando allora incaricati i guardiani di usare a nome di tutta la compagnia le dovute officiosità verso il nuovo eminentissimo protettore, al quale, degnatosi di accettare tal protezione, si darà il solenne possesso, convocata la congregazione generale. E qualora dai primarj officiali fosse supplicato di onorare per qualche affare la congregazione segreta, o la generale, avrà l'autorità di un doppio voto.

De officialibus, eorumque munere.

§. 5. Pel buon ordine e governo dell' archiconfraternita vi saranno sempre gli infrascritti officiali. Tra questi spetterà al primicerio il luogo superiore e la precedenza in ogni funzione, ed una particolare vigilanza negli affari della compagnia oltre le facoltà specificate a suo luogo : il quale offizio non è nominato nei suddetti statuti , ma' essendo stato più recentemente introdotto ad esempio delle altre archiconfraternite, si esercita ora con somma energia ed impegno da monsignore illustrissimo e reverendissimo Niccolò Maria Nicolai commissario della reverenda camera apostolica. Perciò si stabilisce, che il primicerio in avvenire sia sempre un prelato della curia Romana, da' eleggersi nello stesso modo degli offiziali maggiori, e questo officio duri fintantocchè non vachi per rinunzia, o per promozione ad altra carica incompatibile, o per lunga assenza e durevole impedimento, o per morte, che Dio tenga lontana.

Idem ut supra

§. 6. Dopo il primicerio saranno gli altri offiziali annoverati nel sovraccitato capo primo de' vecchi statuti con questo ordine di precedenza, cioè quattro guardiani, un camerlengo, dodici consiglieri, due sindici, un proveditore, due maestri di novizj, quattro infermieri, un archivista, un segretario; dei quali si parlato nei capitoli seguenti. E poichè per disposizione degli antichi statuti, in molti offizi dovea la compagnia attenersi a quelli eletti dall' università de pescivendoli, perciò mentre questa più non esiste, si stabilisce, che tutte le elemosine spettino attivamente all'archiconfraternita nel modo però, e con le qualità da esprimersi rispettivamente a suo luogo.

CAP. III.

Delle qualità che si ricercano negli offiziali

De qualitatibus requisitis in officialibus

§. 7. Disponendosi nel proemio, e nei capitoli II, e V. ed in altri luoghi dei suddetti statuti, che non potessero essere eletti offiziali, ai quali spettasse il maneggio degli interessi della compagnia , che persone patentate dalla università, e che dei quattro guardiani due dovessero eleggersi per voti della compagnia, cioè un

cottiatore, ed un pescivendolo, persone patentate dal corpo di quest'arte, e gli altri due guardiani fossero i consoli della medesima università; e similmente, che alcuni altri offiziali estratti da questa fossero ancora offiziali della compagnia; ora ritrovandosi soppresse le università, ed atteso il piccolo numero restatovi de cottiatori, è necessario formare un nuovo regolamento adattato alle presenti circostanze. E siccome deve aversi uno speciale riguardo alle persone di quelli già membri della suddetta università, della cui pietà e liberalità provengono le rendite concedute per mantenimento dell' archiconfraternita, e del suo oratorio, e cappella: perciò si stabilisce che mentre vi saranno fratelli onesti ed abili del ceto de' pescivendoli, o de' cottiatori patentati dalla estinta università debbano sempre questi essere privativamente nominati nelle infrascritte forme agli officj de' quattro guardiani, di camerlengo, de' sindici, e di provveditore, ai quali offici spettando il maneggio delle rendite della compagnia, già di sopra si disse per disposizione degli antichi statuti restarne esclusi tutti gli altri fratelli non appartenenti a quel ceto.

Idem ut supra

§. 8. Nè ai suddetti officj, nè ad alcun altro officio, potranno essere eletti quei fratelli che non avranno compita la età almeno di venti anni, e che non sappiano leggere, e scrivere. Non potranno essere colleghi in un medesimo officio, nè dare il voto insieme nella congregazione segreta i congiunti per consanguinità o affinità di primo o secondo grado, secondo il diritto canonico: nè quelli che si sappia avere tra loro società di patrimonj, o di negozj. Qualunque elezione, o atto, che si facesse contro la disposizione di questo capitolo, sarà invalido e nullo.

CAP. IV.

De' guardiani

De guardianis

§. 9. All' officio de' guardiani dopo il primicerio appartiene la sopraintendenza nell' oratorio, sagristia, e cappella; la cura e la vigilanza, che le festività e le funzioni si facciano decorosamente, con quiete, e modestia; che da tutti i fratelli si attenda con frequenza al servigio di Dio, e si osservino le regole prescritte; che si adempiano le obbligazioni delle messe, e degli altri pesi che venissero ingiunti da pii testatori, e per altra causa, de' quali dovrà tenersi la tabella fissa nell' oratorio, o nella sagrestia, e dovrà da loro ogni mese rivedersi l' adempimento delle messe nel libro, che si terrà presso il cappellano.

De munere guardianorum

§. 10. Soprintenderanno anche i guardiani col primicerio e col camerlengo all' amministrazione de' beni, alle entrate, alle spese colla debita economia, coll' opera rispettivamente del computista, dell' esattore, il quale dovrà rendere minutissimo conto, e secondo le regole prescritte nella presente riforma. In affari litigiosi e legali interpelleranno anche il procuratore della compagnia; quando la compagnia abbia bisogno di autorevole appoggio, ricorreranno al patrocinio dell' eminentissimo protettore.

De promovendis ad guardianatum

§. 11. Non potranno essere promossi all' officio di guardiani, se non quei fratelli, i quali siano attualmente, o altra volta sieno stati membri della congregazione segreta, oltre i requisiti prescritti nel precedente capitolo II. Essi eserciteranno l' officio per due anni continui, in maniera però che ogni anno si eleggano due guardiani nuovi, e due ne rimangano dell' anno precedente.

De nominatione successorum a guardianis facienda.

§. 12. Ogni anno nel giorno 25. luglio festa di s. Giacomo apostolo si dovrà radunare la congregazione segreta. Quivi i due guardiani più anziani, quali avendo esercitato l' offizio per due anni saranno per dimetterlo (per questa prima volta s' intendano quelli due, che si troveranno da più tempo in esercizio tra gli odierni guardiani) nomineranno i successori; cioè ognuno di essi nominerà altri due, che prudentemente giudicherà essere esemplari, e idonei, e meritevoli della comune confidenza per essere eletti a tal carica. Di questi quattro nominati quei due, che otterranno più voti dalla medesima congregazione segreta, si proporranno nella prossima congregazione generale da convocarsi quanto prima: ove se saranno confermati col maggior numero de' voti, entreranno poi in carica nella prossima solennità dell' Assunzione della beatissima vergine: ma

se dalla congregazione generale uno, o ambedue essi venissero rigettati, si manderà il partito sopra dell'altro, o ambedue gli altri gia nominati: e quando occorra di ballottare un solo, si proporrà quello che dei due di essi ebbe più voti dell'altro nella congregazione segreta, ed in parità di voti si estrarrà a sorte. Che se anche questi fossero riprovati dalla congregazione generale, dovrà dagli stessi guardiani anziani venirsi alla nuova nomina di altri nel modo detto di sopra in altra congregazione segreta da radunarsi sollecitamente. Lo stesso metodo dovrà tenersi quando alcuno degli eletti ed approvati rinunziassero. Ma tal rinunzia dovrà farsi nel termine di tre giorni. E quando senza una causa legittima da riconoscersi dal primicerio, e dalla banca maggior alcuno de'guardiani rinunziasse, ovvero anche non rinunziando formalmente si mostrasse col fatto alieno, e per molte volte renitente nell' esercizio della sua carica, sarà tenuto di somministrare tre scudi moneta da applicarsi per elemosina alla cappella dell' archiconfraternita. Un simile metodo dovrà usarsi in ogni caso di vacanza per morte dell' offiziale, o altro impedimeoto permanente, che sopravvenisse tra l'anno, nel qual caso sebbene il nuovo officiale prenderà subito il possesso; nondimeno la durata del suo offizio comincerà a contarsi dalla prossima solennità dell'Assunta. Le stesse regole (eccetto soltanto la suddetta somministrazione pecuniaria) si osserveranno rapporto a quelli altri offiziali, de'quali si prescrive la elezione nel modo di quella dei guardiani e relativamente a quella.

CAP. V.

Del camerlengo

De camerario

§. 13. Il camerlengo (per quel maneggio, che di volta in volta per oggetti precisi e determinati gli verrà affidato dal congresso economico come nel capitolo XIX. dovrà essere persona idonea, intendente ne'conti, e di esperimentata fedeltà ed integrità: non potrà essere un figlio di famiglia, nè altronde impedito di contrarre. Il suo offizio durerà due anni: onde in occasione della elezione de' nuovi ufficiali, quei due guardiani anziani, i quali nomineranno i loro successori, come si è detto nel capitolo precedente, ogni secondo anno ciascuno di essi nominerà anche un altro fratello che abbia le prescritte qualità per l' officio di camerlengo, de'quali due nominati dovrà eleggersene uno nella congregazione segreta, e poi nella generale nello stesso modo stabilito per la elezione de'guardiani. Ogni camerlengo nell'assumere il suo offizio si obbligherà espressamente, ed anche senza di ciò s'intenderà, ed avrà per obbligato nella forma camerale, ed in ogni modo valido di ragione, e coll' ipoteca di tutti i suoi beni per la buona amministrazione, e rendimenti de' conti da farsi ogni volta che ne sarà ricercato dagli officiali nel congresso economico, ed infine del suo officio ai sindici. A questo oggetto dovrà tenere il libro di entrata, ed uscita colle necessarie giustificazioni, da consegnarsi dopo il sindacato al camerlengo successore, e quando non vi si contengano affari pendenti, dovrà tutto riporsi nell'archivio dell'archiconfraternita. Al camerlengo corrisponde la compagnia annui scudi sei per una dimostrazione di gratitudine di quelli incomodi e rischi ai quali egli peraltro si espone per opera di pietà.

CAP. VI.

De consiglieri

De consiliariis

§. 14. I consiglieri devono essere dodici, cioè otto degli officiali vecchi, quali sono i due guardiani che hanno compito l' officio quell' ultimo anno, e i due che hanno terminato l' anno penultimo; il camerlengo ultimamente uscito di carica, i sindici, e il proveditore che sono stati nell' ultimo anno; e gli altri quattro consiglieri da nominarsi singolarmente dai guardiani che restano in carica, e dai guardiani nuovi: la qual nomina faranno nella congregazione generale, o anche privatamente al segretario, il quale dovrà descriverli nella tabella dei nuovi officiali ordinatamente appresso agli altri suddetti consiglieri chiamati dalla legge di questo statuto. Ogni qual volta manchi alcuno dei consiglieri per rinunzia, o per morte, o per durevole impedimento si supplirà altri dal pri-

micerio il luogo dei mancanti, affinchè sia sempre compito il numero di dodici.

De praecedentia consiliariis debita.

§. 15. Dopo il primicerio, i guardiani, ed il camerlengo avranno i consiglieri la precedenza sopra tutti gli altri fratelli, e nelle congregazioni segrete dopo i suddetti officiali spetterà ai consiglieri prima di ogni altro esporre il loro parere: invigileranno, che il servigio di Dio si eserciti nell'oratorio con tutta attenzione: in ogni negozio rilevante della congregazione saranno considerati i loro riflessi: faranno avvertire agli officiali maggiori, se vi sia qualche abuso nella compagnia, e qualche difetto considerabile in alcun officiale, o ministro: nelle processioni avranno la incombenza di riprimere le insolenze, e di diriggere con buone regole i fratelli, e perciò dovranno procurare d'intervenire alle funzioni, e dovranno supplire, quando accadesse, che in qualche funzione mancassero i guardiani.

De compositione inimicitiarum.

§. 16. Se per caso, (ciò che si spera non essere per accadere) insorgesse tra i fratelli qualche inimicizia, si deputeranno dal primicerio, e dai guardiani due degli attuali consiglieri più prudenti, e più atti, per riconciliarli, e quando loro ciò non potesse riuscire, potranno il medesimo primicerio e guardiani prendere altri opportuni temperamenti, e risoluzioni.

CAP. VII.

De' sindici

De sindacis eorumque officio.

§. 17. Saranno eletti dal primicerio, e dai guardiani due sindici, che poi si pubblicheranno nella congregazione segreta, e nella generale in occasione della creazione degli altri officiali. L'officio di questi due sindici durerà un anno. Essi avranno la incombenza e la cura di rivedere le partite dell'amministrazione del camerlengo, e dell'esattore, e di qualunque altro officio anche maggiore, o ministro, che abbia avuto qualche maneggio dei beni e danari della compagnia, e della cappella. Perciò dovranno esser loro consegnati i libri, le giustificazioni, ed altre carte relative ad ogni affare da sindacarsi; delle quali dovranno fare la ricevuta a chi le avrà loro consegnate, per restituirle dopo il sindacato. Questa consegna rapporto alle amministrazioni dell'anno precedente dovrà farsi nel termine perentorio di dieci giorni dall'ingresso dei nuovi officiali. In qualunque altra revisione, che loro si commettesse nel decorso dall'anno, dovranno immediatamente consegnarsi ad essi i libri e le scritture necessarie. Dovranno i sindici avere avanti gli occhi soltanto Iddio, la giustizia, e il bene della compagnia, ed occuparsi alla revisione con tutta la carità, moderazione, e quiete sentendo quelli che si sottopongono al sindicato, ed il computista, e chi può dar loro qualche schiarimento. E se accadesse qualche difficoltà, che essi non sieno valevoli a superare, o se conoscessero per avventura qualche pregiudizio della compagnia dovranno avvertirne il primicerio, e li guardiani perchè vi consultino la congregazione segreta. Se chi si sottopone alla revisione avesse per sospetto alcuno dei sindici, per qualche causa probabile, potrà ricorrere subito al primicerio, il quale con la intelligenza dei guardiani, e de' consiglieri deputerà altro fratello probo ed abile e non sospetto. Entro il perentorio termine di trenta giorni dalla consegna de' libri dovrà esser terminato ogni sindacato; dal quale se alcuno provasse di essere stato gravato, il primicerio colla intelligenza de' guardiani, o de' consiglieri deputerà nuovi revisori. Chiunque abbia amministrato o maneggiato beni e robe della compagnia e della cappella s' intenda, e si abbia per obbligato in forma camerale ed in ogni altro modo valido di ragione ad eseguire la sentenza de' sindici e revisori suddetti, senza ulteriore eccezione, o ricorso; e quando ricusasse, sarà convenuto a nome della compagnia avanti il giudice competente per la esecuzione del sindicato.

De observantia statutorum a sindacis curanda.

§. 18. Finalmente i sindici avranno sempre la facoltà e la cura di mantenere in vigore la osservanza delle regole e statuti presenti: e se alcuno degli officiali, benchè primarj, o anche la congregazione vi contravenisse, sappiano con loro zelo ricorrere all' eminentissimo protettore, o a qualsivoglia altro tribunale ecclesiastico.

CAP. VIII.

Del provveditore

De provisore §. 19. Per la custodia e mantenimento dei mobili della compagnia e degli arredj dell'oratorio e della cappella, e per somministrarli nelle solite e nelle straordinarie occorrenze della medesima compagnia, e per la cura anche de' funerali si dovrà eleggere un provveditore, il di cui officio durerà due anni nel modo, che di sopra è stato prescritto intorno al camerlengo. Nell' ingresso del suo officio, il provveditore riceverà in consegna dal suo antecessore alla presenza dei sindici tutte le robe delle quali se ne dovrà fare accurato, e fedele inventario con rogito del notaro dell' archiconfraternita, obbligandosi ed intendendosi sempre obbligato in forma camerale, e colla ipoteca di tutti i suoi beni a render conto di tutto ciò, che perverrà in sue mani, e farne la restituzione in mani del proveditore successore, o di chi gli verrà ordinato, nella medesima forma.

De munere provisoris §. 20. Noterà diligentemente non in carte volanti, ma in un libro che dovrà ritenere presso di se, o nella guardaroba, se vi sarà, tutte le cere, che gli saranno consegnate o da' benefattori per elemosina, o da nostri fratelli, esprimendo distintamente quelle che sono state donate, e quelle che sono state comprate. Così avverta delle cere, che sono consumate, notare fedelmente quello che gli rimane.

Idem ut supra §. 21. Nel risarcimento ed accomodamento necessario de' mobili, e de' sagri arredi potrà spendere economicamente sino ad uno scudo per ciascuna occorrenza, di che sarà subito rimborzato dal camerlengo. Ma se la spesa di qualche risarcimento eccedesse tal somma, non potrà farli senza la previa ricognizione dei sindici, o la licenza scritta del primicerio, e de' guardiani, i quali fatta poi riconoscere dai sindici medesimi la esecuzione del lavoro ne spediranno il mandato di pagamento all' artefice, o di rimborsazione allo stesso provveditore. Tali licenze e mandati non dovranno mai attendersi senza la fede della previa risoluzione del congresso economico, da cui tutte queste materie in conformità del capitolo XIX.

§. 22. In occasione delle feste e solennità, abbia la cura di fare le spese secondo le risoluzioni del suddetto congresso economico; e che le funzioni riescano col maggior decoro possibile, avvertendo di assistere assiduamente in persona o da farvi assistere qualche altro fratello della congregazione segreta di esperimentata onestà, mentre vi sono festaroli, o altri occupati nei preparativi, e così in tempo delle medesime funzioni, restando egli incaricato, che non succedano furti, altercazioni, o scandali, ma tutto riesca con quiete, e soddisfazione comune. Per le spese fatte si spediranno i mandati di pagamento, o di rimborsazione dal primicerio, e dai guardiani, con fede della risoluzione del congresso economico, come sopra. Idem ut supra

§. 23. Senza la risoluzione del congresso, ed ordine, come sopra, non resterà mai obbligata l' archiconfraternita, o la sua cappella di qualunque quantità di cera, o altre robe, sebbene necessarie, che il provveditore avesse levato per uso della medesima archiconfraternita, e sua cappella dal fondaco, o bottega di droghiere, mercante, artista, o che ne avesse contratto debito con qualsivoglia persona. Idem ut supra

Non potrà imprestare ad alcuno, neppure ad altre chiese o compagnie sacchi, suppellettili, o altre robe dell' archiconfraternita, e del suo oratorio senza licenza del primicerio, e de' guardiani in sequela della permissione del congresso economico, altrimenti sarà privato di officio anche per la prima contravenzione, oltre l' obbligo di risarcire del proprio qualunque consumo, danno, o perdita.

§. 24. Quando i benefattori donassero alla compagnia, o al suo oratorio e cappella qualche suppellettile, o altra cosa, non manchi il provveditore di notar tutto col nome anche del donatore nel libro de' donativi, che dovrà parimente ritenere presso di se, o nella guardaroba, e di far poi descrivere tutto nell' inventario suddetto, ove dovranno anche descriversi le altre robe, che fossero fatte di nuovo, o fatte consegnare al provveditore nel decorso del tempo del suo officio per ordine della congregazione segreta, o del congresso economico. Idem ut supra

§. 25. Apparterrà al provveditore Idem ut supra

in tutte le congregazioni, ove dovrà mandarsi a partito alcuna elezione, o altro affare non solamente di provvedere le bussole, e le palle, della cui spesa, quanda occorra, sarà rimborsato, come sopra; ma ancora di portarsi intorno a raccorre i voti de' fratelli.

Idem ut supra

§. 26. Sieno subordinati agli ordini del provveditore il sagrestano, il mandatario, ed il chierico o chierici, i quali tutti peraltro saranno eletti, e rimossi per disposizione della congregazione segreta. Così anche dovranno regolarsi colle istruzioni del provveditore quei sacerdoti, che dalla congregazione segreta venissero destinati alla celebrazione delle messe, o ad altra funzione. Il reverendo cappellano dell'archiconfraternita anderà d' intelligenza e di concerto col medesimo provveditore, avendo in vista il servizio di Dio, ed il bene spirituale della compagnia, come più distesamente si dichiara nel *cap.* XVI. Se mai accadesse qualche diverbio, o discrepanza considerabile se ne darà contezza a monsignore primicerio, il quale in questa e simili congiunture di urgenza, sentiti i guardiani, e i consiglieri, potrà prendere gli espedienti ed efficacj rimedj.

Idem ut supra

§. 27. Passando all'altra vita alcuno dei fratelli, o sorelle, o benefattore, se sarà invitata all'associazione la nostra compagnia, sarà cura del provveditore di fare intimare i fratelli per l'ora opportuna, e di avvisare i maestri de'novizj, che per il primo giorno non impedito facciano recitare per quell'anima l'offizio de morti: e se il defonto fosse di quelli, che annualmente somministrano all'oratorio le limosine, subito darà l'ordine in sagristia, che gli si facciano celebrare le messe di requie, secondo che sarà solito, o convenuto, o stabilito. Avrà anche cura che si celebrino gli anniversarj, e si eseguiscano nel tempo prefisso quelli obblighi di messe, ovvero officj che o per disposizione dei testatori, o per altra causa fossero ingiunti.

Idem ut supra

§. 28. Quantunque chi esercita i pii officj debba farlo per la mercede, che attende dal padre celeste, non dimeno per un saggio di gratificazione, o di compenso de' rischi, ed incomodi, la compagnia assegna al proveditore l'annua somma di scudi sei.

CAP. IX.

De' maestri de' novizj

§. 29. Per la elezione de' maestri de novizj (l'offizio de quali durerà un anno) si dovrà nella congregazione segreta farsi la nomina di quattro fratelli, due de'quali saranno prescelti, ed approvati dalla congregazione generale per tale offizio; ed in caso che venissero rifiutati, si dovrà fare la nomina e ballottazione di altri come si è stadilito al cap. IV. De magistris novitiorum

§. 30. Saranno i maestri de' novizj in qualsivoglia funzione della compagnia direttori delle cerimonie e riti, quando si deve recitare e cantare l'offizio della beata Vergine, e de' fedeli defonti o altro pio esercizio. Non solamente dovranno distribuire a fratelli più idonei e pratici le lezioni da recitarsi, ma insinuare agli altri, che oltre la divozione, leggano adagio, che non lascino di riflettere a ciò, che leggono; attendano ad accompagnare le voci unanimi, senza percorrere il compagno nel leggere; che escano colla voce fuori di tutto, molto più che si guardino nell' oratorio di far risate, e parole sconvenevoli al luogo. Quando avendoli ammoniti con carità, non se ne scorga l'emendazione, ne diano parte ai superiori, acciò possano questi mortificarli come meritano le loro mancanze; onde avvertano tutti quelli, che vogliono continuare nella compagnia di portare ogni dovuto rispetto a primari officiali. De eorum officio.

§. 31. Stiano attenti i maestri de'novizj, che i fratelli venendo all' oratorio, mentre devono vestirsi del sacco, ed attendere, che s'incominci la funzione, ed anche dopo terminata, non si dissipino in ciance e parole oziose, e molto meno in discorsi osceni, o scandalosi; ne' faccino conventicole o brighe, sia nel vestiario, sia nell' oratorio, o in altro luogo spettante all'archiconfraternita: e molto meno permettano che in oratorio veruno ardisca portarsi robe comestibili, o altri imbarazzi; ma si ricordi ognuno di starvi con silenzio e divozione. Invigilino che niuno de' fratelli, venendo all' oratorio porti zinale come si usa nelle botteghe, e non permetta portare il sacco con la cravatta, ma ben sì con il collare, e con Idem ut sup

quella decenza, che si usa nelle confraternite ben regolate di Roma.

Idem ut supra §. 52. Esorteranno i fratelli ancora che si guardino di recitare, o agire in spettacoli pubblici ed anche d'intervenire a quelli poco modesti, e così anche si astengano da tutte quelle cose, che poco buon nome portano alla compagnia, a cui sono ascritti.

Idem ut supra §. 53. Nell'entrare e nell'uscire dall'oratorio, e nel caso di dovervi passare in mezzo, mentre è adunata la compagnia, debba ognuno fare la genuflessione avanti l'altare, e poi riverire i superiori, o chi terrà il luogo di questi, e quindi salutare tutta l'adunanza, andando senza correre, ma con tutta la dovuta modestia.

Idem ut supra §. 54 Niun fratello ardisca intromettersi in alcun officio nell'oratorio, se non gli sarà commesso dai maestri de' novizj, o in assenza loro dai guardiani.

Idem ut supra §. 55 I contraventori di ciò che si prescrive nel presente capitolo, saranno per la prima mancanza sospesi dal vestire il sacco, e da ogni esercizio, anche di officj, che si trovassero avere; fintanto che colla debita sommessione non avranno impetrato da' monsignor primicerio, e dai guardiani di essere nuovamente abilitati, I recidivi saranno cassati, e rimossi dalla compagnia.

Idem ut supra §. 56. Quando alcuno vorrà essere ammesso nella compagnia, dovranno i maestri de'novizj insinuargli di fare un memoriale diretto a monsignore primicerio, ed ai guardiani da lui sottoscritto, o croce segnato con indicarvi il suo nome, età, patria, condizione, di cui procureranno essi prendere veridica e segreta informazione, dopo averne avuto il rescritto dal primicerio, e da due guardiani. Intanto esporranno il nome di quel tale in un biglietto, che resterà affisso per lo spazio di un mese nel vestiario, o altro luogo frequentato da fratelli, tra i quali chi avesse qualche opposizione da fargli potrà con segretezza manifestarla al primicerio; o ad alcuno dei guardiani. Passato questo termine, se avrà le qualità prescritte nel capitolo XIX. e se non sarà stata fatta opposizione ragionevole, si avrà per tacitamente approvato dai fratelli, e sarà accettato con rescritto del primicerio, e dei guardiani, dopo che questi avranno sentito il parere di più d'uno tra gli altri officiali e fratelli più prudenti, ed imparziali. Quando poi sarà stato così ammesso, i maestri de'novizj non manchino di suggerirgli, che prima dell'ingresso a questa compagnia si confessi, e si comunichi, per conseguire l'indulgenza, ed in giorno di festa prima di cominciare la recitazione dell'officio sia vestito del sacco, stando egli avanti l'altare in ginocchio, e fatta l'adorazione a nostri santi protettori, anderà accompagnato da due maestri de'novizj ad abbracciare ciascun fratello, secondo l'ordine successivamente. Ma se trascorressero due mesi dopo la sua accettazione, senza ch'egli curasse di fare l'ingresso, e non domandasse la proroga con qualche plausibile ragione, in tal caso la accettazione si avrà per non fatta.

§. 57. Qualora accadesse che i maestri de'novizj o per inavvertenza, o per poca esperienza, o per altra causa commettessero qualche errore, o irregolarità nel loro officio, chi dei fratelli se ne avvederà, con zelo, discretezza, e modestia o ne avvertirà segretamente essi medesimi, o se non crederà ciò espediente, ne farà parola con alcuno dei guardiani. Idem ut supra

CAP. X.

Degli infermieri

§. 58. L'officio dei quattro infermieri durerà parimente un anno: dovranno perciò nominarsi otto fratelli nella congregazione segreta da eleggersi nel modo prescritto nel capitolo precedente. Con ogni maggior carità, quando avranno la notizia della infermità di alcun fratello facciano a gara subito di andarlo a visitare, ed esortarlo alla pazienza nel male, recandogli (se sarà povero) quella elemosina che sarà conforme al solito, ed ai stabilimenti economici dell'archiconfraternita. De ministrantibus opem aegrotantibus

Trovandosi poi l'infermo aggravato dal male, lo esorteranno con ogni carità a munirsi de' santissimi Sagramenti della Chiesa, in caso che non l'avesse già fatto, e a rassegnarsi sempre più alla volontà divina. Non s'ingeriranno gl' infermieri in discorso di testamento,

o d'interessi temporali, se l'infermo non ne parlasse da se spontaneamente, per aver qualche consiglio o assistenza, nel qual caso dovranno essi diportarsi con integrità e prudenza. E se taluno degli infermi non avesse comodità di potersi curare in casa propria, avanzino a far la carità in procurargli il ricovero sicuro di qualche spedale, dove essendo ricevuto, non si stanchino di visitarlo di nuovo, e rincorarlo nelle afflizioni; evenendo il caso che Iddio lo chiamasse all' altra vita, non mancheranno darne subito l' avviso al provveditore, acciocchè il difonto abbia i suoi suffragj consueti nel nostro oratorio.

CAP. XL

Del segretario

De secretario, ejusque munere

§. 39. Essendo l'officio di segretario di molta importanza, dovrà essere un fratello pratico, intelligente, assiduo, e di sperimentata integrità. Egli eserciterà l'officio per tre anni, e potrà anche essere confermato di triennio in triennio. Perciò quello che avrà esercitato per tre anni, sarà posto a' partito nella congregazione segreta in occasione dell' elezione de' nuovi officiali, e quando ottenga la maggior parte dei voti in questa, e poi nella congregazione generale resterà confermato per altri tre anni, e così si farà di triennio in triennio. Ma ogni qual volta non ottenesse in ambedue le congregazioni la pluralità de' voti, dovranno nominarsi due altri fratelli forniti delle suddette qualità, e questi anderanno a partito, come si è stabilito di sopra intorno agli altri officiali. Dovrà il segretario trovarsi presente in tutte le congregazioni segrete e generali, ed anche nei congressi economici, facendo prima coll' intelligenza del primicerio, e de' guardiani un foglio di questi affari che vi si dovranno proporre, perchè se ne faccia la proposta e la discussione distintamente e ordinatamente: e dovrà quindi descrivere ed esprimere colla possibile chiarezza tutte le risoluzioni nel libro da tenersi a questo effetto.

Idem ut supra

§. 40. Nei partiti, che saranno soliti correre per bussola osservi bene e distintamente il numero de' voti, che si raccolgano, e stia oculato che nelle elezioni degli officiali, o dove si tratta d' interesse particolare d' alcun fratello di congregazione la persona, che si ha da eleggere, o del cui interesse si tratta, non stia presente a votare, ma si richiami seguita la risoluzione.

Idem ut supra

§. 41. Nel margine de' decreti essenziali si rammenti di fare le postille affine di ritrovarli con facilità, ed essendo decreti da pubblicarsi, ne farà copia con la sua sottoscrizione, e farà affiggerla dal mandataro nell'oratorio, ed eseguirà tutto ciò, che sarà incaricato.

Idem ut supra

§. 42. Quando si riceveranno da esso li memoriali de' fratelli ammessi alla compagnia, noterà il di lui nome nel catalogo, la giornata dell' ingresso, e di quei memoriali poi ne farà la consegna all'archivista, al quale dovrà anche andar consegnando tutte le carte degli altri affari, subito che saranno terminati, ed anche il libro dei decreti, ogni volta che sarà compito. Avrà nondimeno il segretario l' accesso nell'archivio: e se avrà la licenza del primicerio, e de' guardiani di prendere quelle carte o libri, che fossero necessarj per qualche affare pendente, dovrà farne la ricevuta all'archivista, per farne poi la restituzione subito che ne avrà fatto l'uso opportuno.

Idem ut supra

§. 43. Alle attestazioni che farà il medesimo segretario coll'autentica del sigillo della nostra compagnia si presterà fede, come se venisse la scrittura legalizzata per mano di pubblico notaro. Non potrà però fare attestato, nè dar fuori la copia d' alcun atto interessante la compagnia senza licenza del primicerio, o di due guardiani.

Idem ut supra

§. 44. Quando occorresse scrivere a nome della compagnia lettera alcuna a personaggi di autorità, o per affari gravi, sarà cura di lui comporla in buona forma, e farla sottoscrivere dal primicerio, e da due guardiani prima di sigillarla: in altri affari di minor importanza, potrà scrivere il segretario a nome della compagnia, e a nome de'superiori.

Idem ut supra

§. 45. Quanto si decreterà nelle congregazioni sia sottoscritto sempre dal segretario, per autenticare maggiormente ciò che si risolve.

Idem ut supra

§. 46. Se mai per avventura mancasse ad alcuna congregazione, o congresso, o altro atto, a cui dovesse in

tervenire, un' altro fratello abile, che in tale occasione si surrogasse dal primicerio, e dai guardiani supplisca alle di lui veci. Ma se l'assenza, o l'impedimento del segretario sarà molto durevole, o perpetuo, si dovrà venire a nuova elezione nel modo detto di sopra.

Item ut supra

§. 47. Quando tra i fratelli non vi sia alcuno fornito de' necessarj requisiti, potrà essere eletto all' officio di segretario il notaro della compagnia, sempre però colle regole di sopra prescritte.

CAP. XII.

Dell' archivista

De custode archivii.

§. 48. Per conservare le scritture spettanti all' archiconfraternita, e sua cappella, dovrà esservi un armario con distinti ripartimenti con serrature, e chiavi, e tutto ciò che sarà necessario a quest' oggetto, e di tutto dovrà farsene la consegna all'archivista con' esatto inventario, nel quale di tempo in tempo dovrà aggiungersi la descrizione delle altre carte e libri, che verranno a riporsi nell'archivio. Quest' inventario sarà custodito dal notaro dell'archiconfraternita, o da qualche fratello, a cui sarà affidato dal primicerio, e dai guardiani, affinchè l'archivista, il quale dovrà tenere presso di se un simile repertorio o copia dell' inventario per suo rincontro, renda conto in fine dell'officio, ed in ogni occasione di tutti i libri, e monumenti, che gli saranno stati consegnati, che dovrà custodire con somma diligenza.

De custodia documentorum.

§. 49. E mentre esercita l'officio dovendone per avventura consegnare alcuno per necessità, sempre con la dovuta licenza sottoscritta dal primicerio, e dai guardiani, non dimentichi di farne memoria in libretto a parte, che dovrà nel detto armario tenere, e sotto la memoria se ne faccia scrivere la ricevuta da quello, al quale l'avrà data, o nella restituzione scancelli la memoria con la ricevuta, ovvero di suo proprio carattere scriva sotto « *Restituita* »

De exclusione extraneorum ab archivi

§. 50. Bensì dovrà aprire l' archivio, ogni volta che il primicerio, o i guardiani, o il segretario, o il procuratore dell' archiconfraternita dovranno rincontrare, o esaminare qualche carta, in ore respettivamente comode. Fuori di questi, non permetterà ad alcun altro nè estraneo, nè fratello di osservare i monumenti dell' archivio, se non venisse autorizzato colla licenza pure in iscritto del primicerio, o de' guardiani. Dovrà l' archivista conservare tutte le suddette licenze per sua giustificazione per ogni caso di perdita di carte o di altro pregiudizio, che avvenisse.

De duratione officii custodis archivii

§. 51. Oltre gli antichi monumenti, che ora si ritrovano, o che potranno ritrovarsi, e ricuperarsi dovunque, appartenenti alla compagnia e cappella, e tutti gli altri libri e carte, che di tempo in tempo dovranno riporsi in archivio, come si è stabilito di sopra, dovrà quivi custodirsi anche l'originale della presente riforma. E poichè l' officio di archivista esigge una particolare pratica, ed abilità, durerà anche questo tre anni, o la elezione, o conferma si farà nel modo prescritto intorno al segretario. Ma nel fine di ogni triennio almeno dovrà onninamente farsi un esattissimo rincontro di tutto coll'inventario alla presenza de' sindici, e con quelle altre cautele, che si giudicassero opportune a stabilirsi dalla congregazione segreta. Anche agli attestati dell'archivista nelle materie del suo officio muniti col sigillo dell' archiconfraternita si presterà fede, come a quelli del segretario.

De obligationibus ab eo assumptis

§. 52. L'archivista ancorchè non si obbligasse espressamente, s' intenderà obbligato coll' assumere l'officio, e si avrà sempre obbligato in forma camerale, ed in ogni modo valido di ragione alla diligentissima custodia di tutto ciò, che gli verrà consegnato.

CAP XIII.

Del computista

De ratiocinatore, ejusque munere.

§. 53. Persona pratica in quest' esercizio de' conti si richiede dalla compagnia, perchè possa formare la scrittura dell'entrata ed uscita di essa compagnia e della sua cappella e di ogni suo interesse: ed a questo fine gli saranno consegnati il libro maestro, il giornale, ed il registro de' mandati, e per dare comodità a sindici di poter rivedere e saldare i conti al camerlengo, ed all' esattore o

altro ministro, che si tenesse. Dovrà il computista intervenire in tutti i congressi economici, quando vi sarà chiamato, e mostrare lo stato degli interessi della compagnia, e prendere le opportune istruzioni. Dovrà anche ogni anno esibire ai sindici la scrittura compita con tutta la diligenza e chiarezza, e colle rispettive giustificazioni, e la nota de creditori, e debitori con il bilancio generale di tutta l'entrata, ed esito della medesima compagnia; sopra di che fattone il giusto sindacato sappia riferire poi nella seguente congregazione segreta succintamente lo stato di essa acciò sia noto come si regola la economia.

Idem ut supra §. 54. Non avrà alcuna facoltà di fare mandati di somma anche minima per i pagamenti, se non terrà l'ordine scritto dal primicerio e dai guardiani, ed avrà cura di registrarli, e registrati che siano, li sottoscriverà di proprio carattere dopo la sottoscrizione di quelli officiali già espressi.

Idem ut supra §. 55. La elezione del computista (quando non sia provisionato, e qualche idoneo fratello esibisse la sua opera per mera carità) spetti alli guardiani, e consiglieri, come si disponeva nei vecchi statuti. Ma quando si tenga il computista stipendiato, la sua elezione, rimozione, la quantità dello stipendio dipenderà dalla volontà dell'archiconfraternita; purchè però non si proceda arbitrariamente, e con far torto al merito di chi l'ha ben assistita, e per la cognizione acquistata degli affari, è in istato di continuare ad assisterla. Ogni volta che sarà luogo alla elezione del nuovo computista con quella mercede, che si giudicherà proporzionata alla sua opera, ed alla economia dell'archiconfraternita, si proporranno in congregazione segreta i memoriali dei concorrenti, e se per caso non ve ne fosse alcuno, si nomineranno persone idonee dal primicerio, e dai guardiani, e resterà eletto chi otterrà più voti nella congregazione segreta, e sarà quindi confermato col maggior numero de' voti nella susseguente congregazione generale. Altrimenti dovranno andare a partito gli altri concorrenti, o nominati come sopra.

CAP. XIV.

Del procuratore

§. 56. L'oggetto di pietà percui è istituita la compagnia, le regole di una buona amministrazione, la qualità delle presenti sue rendite per lo più certe e sicure devono tenere lontane ordinariamente le liti. Ma poichè non possono sempre evitarsi, e tal volta può anche occorrere la necessità di qualche consiglio legale, perciò dovrà assistere all'archiconfraternita un procuratore onesto ed abile della curia Romana. E quando non fosse un fratello che si prestasse piamente, e gratuitamente, dovrà tenersi il procuratore, il quale in avvenire sarà soddisfatto delle funzioni, che farà non ostante qualche metodo tenuto sino al presente, e fintanto che non si giudicherà espediente per la sopravvegnenza delle liti e di affari nuovi fissare al procuratore un onorario annuo e proporzionato. Il che dipenderà dalle determinazioni da farsi dalla compagnia, da cui dipende anche la elezione e rimozione del medesimo procuratore nel modo che si è detto del computista. De procuratore ejusque officio.

§. 57. Con questo procuratore potrà intendersi il provveditore della compagnia, e gli farà tenere un protocollo di tutti gli atti, che farà in servigio di essa, e terminato che sia si consegni all'archivista, per conservarlo in archivio, e rimovendosi dalla carica, o passando a miglior vita, procurerà il detto provveditore di riacquistarlo dagli eredi del defonto. Idem ut supra

§. 58 Quando occorresse far consulto sopra le cause o da introdursi, o introdotte che siano, informarsi dello stato, in cui sono, o sentire un suo parere legale, sarà chiamato nelle congregazioni, o nel congresso economico, o particolare, ove se bisogna, interverrà anche il provveditore, e il segretario, o altri officiali. Quando si richieda il mandato *ad lites*, generale, o speciale, secondo le contingenze, gli si farà colla sottoscrizione del primicerio, e col sigillo e firma del segretario. Idem ut supra

CAP. XV.

Del notaro

De notario

§. 59. E'ottima regola, che l'archiconfraternita abbia un pubblico notaro fisso percui rogito si celebrino gl'istrumenti ed atti appartenenti ai di lei interessi ed affari; sì perchè più agevolmente si possono ritrovare i monumenti e la serie delle stipolazioni, e degli atti celebrati in un medesimo offizio, che se si abbiano a rintracciare sparsi presso diversi notari; sì anche perchè quando un notaro assiste lungo tempo la compagnia, suol farlo con maggior impegno, e può somministrare anche lumi maggiori nelle occorrenze. E perciò sebbene la elezione e mutazione del notaro spetti liberamente alla compagnia, come si è detto rispettivamente del computista e del procuratore, nondimeno è prudenza di non variare facilmente il notaro, se non vi fosse una plausibile ragione di economia, o che si vedesse in quell' offizio tal volta mal servita la compagnia, o vi fosse altro ragionevole motivo di cambiamento.

De emolumentis a notario exigendis

§. 60. Quando il notaro non volesse esercitare per carità gli atti, e si tenga salariato con quelle convenzioni, che si conciliassero, secondo le qualità degli affari, e le circostanze de' tempi fra esso e la compagnia si stabilisce, che il notaro debba sempre dare gratuitamente la copia pubblica di ogni istromento nel termine di un mese dopo ciascun rogito fatto, la qual copia piuttosto che in fogli volanti dovrà scriverla e munirla del suo sigillo in un libro da conservarsi nell' archivio dell' archiconfraternita. Quando poi accada, che ad istanza dell' archiconfraternita si abbiano a convenire giudizialmente persone, le quali non godano il privilegio di altro foro, s' inculchi al procuratore d' introdurre la lite per gli atti del medesimo notaro dell' archiconfraternita avanti a quel tribunale, a cui egli è addetto, di sostenerla quivi, perquanto sia di ragione, quando insorgesse disputa intorno alla pertinenza della causa.

CAP. XVI.

Del cappellano

De cappellano et ejus munere.

§. 61. Il reverendo cappellano della compagnia, circa la cui elezione, mutazione, e stipendio si attenderanno le regole respettivamente prescritte nei tre prossimi precedenti capitoli, dovrà esser sacerdote di età competente, ma più di dottrina cospicuo, affinchè avendo la facoltà di udire le confessioni, secondo il bisogno e le urgenze del pio luogo non solo abbia buona estimazione presso di tutti, ma col suo zelo ed assiduità riesca di profitto spirituale alla compagnia, e a tutti i fratelli. E di ciò dovranno aver cura gli officiali maggiori, massimamente in caso di elezione, prendere diligenti informazioni e proporre alle congregazioni sacerdoti degni di questo ministero, di maniera che incontrino la soddisfazione comune senza attendere ai particolari riguardi, o alle altrui raccomandazioni, che bene spesso deludono quei, i quali lo eleggono. Peraltro verso di lui, come merita il suo sagro carattere, e il suo offizio, dovranno sempre diportarsi con convenienza, e rispetto tutti i fratelli, quantunque officiali, ed anche il sagrestano, il mandatario, ed il chierico, o chierici, che si terranno sotto pena in caso d'irriverenza di esser sospesi, ed anche cassati, o rispettivamente dimessi.

Idem ut supra

§. 62. Sia cura del cappellano di conservare e mantenere ben condizionate e con pulizia tutte le suppellettili sagre dell' oratorio e sagrestia, le quali tutte riceverà per inventario rogato dal notaro per le mani del provveditore con l'obbligo camerale di fedelmente trattarle e restituirle a cenno, ed occorrendo far risarcire, accomodare, e porre in dovuta pulizia il tutto, come richiede il rito ecclesiastico, ne faccia parola al provveditore, che senz' altra discrepanza darà l' ordine proprio per quanto sarà per insinuargli intorno la necessità del sagrario.

Idem ut supra

§. 63 Abbia il primo pensiere di far tutto a gloria di Dio, e dè santi protettori, a quali più deve servire che alla compagnia, rammentandosi che per tal fine vien diretto il suo servigio, e perciò assisterà quo-

tidianamente all' oratorio e sagristia almeno in quelle ore, che avranno a celebrarsi le messe, e quelle far notare agli esterni cappellani assegnati nel libro, per rivedersi tutto in fine del mese come è incombenza de' sindici, e soddisfare ai sacerdoti l'elemosina del mese, e gli emolumenti a quei che assisteranno nelle occorrenze delle sagre funzioni: a qual'oggetto si somministreranno le somme dovute dal camerlengo, mediante gli ordini sottoscritti dal primicerio, e dai guardiani nel modo già detto.

Idem ut supra. §. 64. Al cappellano non è più annesso l' officio e titolo di vicario soppresso colla presente riforma. Sarà suo obbligo in tutte le feste di precetto fare il catechismo, o discorso spirituale. Ed allorchè fosse atto ed approvato come si desidera, alle confessioni, non lasci con zelo di tirar le anime a Dio, con assistere al confessionale le feste di precetto, e nell' istesso tempo il provveditore supplisca vestito di sacco nella sagrestia con il chierico essendovene di bisogno, o altro sacerdote dipendente dallo stesso cappellano, il quale potrà sostituire altro idoneo sacerdote in sua vece, non però permanentemente, ma solo in caso di legittimo temporaneo impedimento.

Idem ut supra. §. 65. Le limosine che riceverà da benefattori per messe votive, o per i defonti sia pronto di notare in libro a parte intitolato *elemosine di messe quotidiane*; e porre il danaro nella cassetta a tal effetto esposta a suoi occhi ben serrata a chiave dal camerlengo, il quale nell' aprirla e contare il danaro alla presenza de' sindici, dovrà calcolare l'entrante numero delle messe celebrate, o da celebrarsi, e notato nel libro istesso quanto siasi ricevuto per le messe, invigilando che sieno quanto prima celebrate quelle che restassero a celebrarsi.

Idem ut supra. §. 66. Invigilerà ancora il cappellano che sia eseguita con tutta prontezza la volontà del testatore sì nella celebrazione delle messe da farsi da sacerdoti, che dovranno deputarsi dagli officiali maggiori, o dallo stesso cappellano della compagnia per loro commissione; sì anche nell' adempimento degli anniversarj, senza punto defraudare le anime purganti, ed a tal' effetto si formerà la tabella da esporsi in sagristia a pubblica vista, per soddisfare a' tempi dovuti le obbligazioni. E se fossero pesi perpetui imposti dai fratelli, o altri benefattori, se per avventura avessero a ridursi a numero minore, non si faccia la riduzione in verun conto di messe quotidiane perpetue, se la compagnia per mera disavventura non patisse diminuzione considerabile ne' fondi o capitali de censi, o altro legato fatto al pio luogo senza alcun difetto, o mancanza della compagnia; la quale allora dovrà consultarne e deliberarne nella congregazione segreta; e quando si giudichi giusto ed espediente impetrarne la riduzione, esporrà il fatto con un memoriale per mano del segretario, o del procuratore alla sagra congregazione del Concilio, e senza che si arroghino i fratelli col loro arbitrio e voti di disporre della celebrazione delle messe, ne attenderanno da essa il decreto col suo rescritto.

§. 67. Finalmente sia in obbligo di far pulire l' oratorio dal chierico, quando ve ne sarà bisogno, senz' aspettare il fine della settimana, e si adoprerà anche egli tanto in detto luogo, quanto nella sagristia, acciò le cose vadano con buon ordine, e le robe non siano deteriorate. Idem ut supra.

§. 68. Ogni volta che la compagnia farà le processioni, o accompagnerà i fratelli defonti alla sepoltura, non lascerà mai per qualsivoglia urgenza d' intervenire con cotta e stola ove ciò sia permesso dalle regole de' sagri riti. Assisterà con dignità e zelo a tutte le sagre funzioni della compagnia, con quell' emolumento che dal provveditore gli sarà assegnato in virtù dell'ordine avuto dalla congregazione segreta, o dal congresso economico. Idem ut supra.

CAP. XVII.

Del mandatario

§. 69. Per intimare i fratelli alle congregazioni, e alle altre funzioni, e per eseguire gli altri ordini in servigio dell' archiconfraternita, si dovrà tenere un mandatario, il quale dal provveditore coll'assenso del primicerio, e de' guardiani sarà eletto, e potrà anche sospendersi, o rimuoversi. Sarà scelto a questo impiego un uomo timorato di Dio, di buoni De mandatario, ejusque officio.

costumi, che sappia leggere e scrivere, ed abile ad eseguire le sue incombenze secondo gli ordini, che riceverà dal suddetto provveditore, ed anche dagli altri officiali relativamente alle pertinenze del rispettivo offizio.

Idem ut supra §. 70. Interverrà il mandatario nell' associazione de' defonti, e nelle processioni, assisterà in tempo dell' esposizione del santissimo Sagramento in forma di 40. ore, e nell' altre feste, officj, e funzioni della compagnia: assisterà anche alla porta in tempo delle congregazioni segrete e generali.

Idem ut supra §. 71. Quando non sia contro le ordinazioni de' superiori, e si giudichi conveniente in ciascun mese il mandatario dovrà fare la cerca generale dell' elemosine, e quella raccorrà nella cassetta serrata a chiave dal nostro camerlengo, appresso il quale terminata la cerca farà la consegna, ed aperta da esso camerlengo, la metà del raccolto si consegni al medesimo officiale, e l' altra metà quando non abbia altro stipendio dall' archiconfraternita, resti in mano del mandatario, e se ne faranno le vicendevoli ricevute, che dovrà l' uno e l' altro conservare per rispettiva sua giustificazione. Al mandatario non stipendiato oltre questa provvisione, si darà qualche altra ricognizione straordinaria, che giudicheranno congrua i suddetti officiali superiori al provveditore: siccome dipenderà anche dalla loro prudenza di destinargli un proporzionato fisso salario invece delle suddette incerte e straordinarie ricompenze. In qualunque caso però sarà sempre proibito al mandatario di cercare, o ricevere a mano e nascostamente le limosine, e di abusare in qualunque altro modo del nome della compagnia. Abbia la cura il medesimo mandatario di dare l' avviso agli infermieri, allora che alcuno de' nostri fratelli si trovasse gravemente ammalato, acciocchè sia subito visitato: e quando avrà notizia del suo passaggio all' altra vita, ne darà parte immediatamente al provveditore, perchè senza indugio si diano all' anima del defonto i suffragj secondo la costumanza e i stabilimenti della compagnia.

CAP. XVIII.

Delle congregazioni

§. 72. La consultazione e l' autorità di disporre delle cose della compagnia spetta ai fratelli insieme adunati, e non ad alcuno di essi privatamente. Ma perchè sarebbe troppo difficile, che tutti gli affari si potessero consultare e risolvere dalla moltitudine; perciò fu stabilito, e si rinnuova ora questo stabilimento, che vi sieno due congregazioni, una chiamata *segreta*, e l' altra generale colle infrascritte regole. La congregazione segreta essendo il consiglio degli anziani sarà composta degli officiali nominati di sopra nei *capitoli secondo, e quinto*. La congregazione generale è l' adunanza, in cui han luogo indistintamente tutti i fratelli. Perchè sia valido ciò, che si risolverà tanto nella congregazione segreta, quanto nella generale, è necessario, che con licenza del primicerio, e dei guardiani (i quali determineranno il giorno e l' ora da non differirsi però lungamente nei casi soliti, o di urgenza) siano per mezzo del mandatario intimati tutti quelli, che rispettivamente vi hanno voce, e che sono reperibili: è necessario inoltre che vi presiedano il primicerio, e un guardiano, ovvero due guardiani, se non v' intervenisse il primicerio. Inoltre per costituire la congregazione segreta, si richiede l' intervento almeno di tredici officiali suddetti: e nella generale è necessario l'intervento di quaranta fratelli almeno, contandovi i suddetti primicerio e guardiani. Senza queste condizioni sarà invalida e nulla qualunque risoluzione. De congregationibus habendis

§. 73. La congregazione segreta dovrà radunarsi periodicamente ogni anno nel giorno di s. Giacomo per la elezione de' nuovi officiali, come si è detto, o essendo questo giorno per qualche grave causa impedito, si convocherà in qualunque altro giorno prossimo; inoltre dovrà radunarsi nel mese di novembre innanzi alla festa di s. Andrea, e quindi entro il mese di gennaro, ove specialmente si riferiranno i sindacati, che per qualche forte motivo non fossero stati precedentemente terminati e riferiti, e nel mese di giugno avanti la festa di s. Pietro, e tutte le altre volte, che De congregatione secreta cogenda quolibet anno.

vi saranno affari da trattarsi nella medesima congregazione segreta. La generale si convocherà annualmente in occasione della elezione de' nuovi officiali, ed ogni qual volta per qualche importante oggetto si ordinerà o dalla stessa congregazione segreta, o dal primicerio e dai guardiani, che si raduni la congregazione generale, ove sia duopo sentire la volontà comune, e la decisione di tutta la compagnia.

De modo procedendi in congregationibus.

§. 74. Nel principio, e fine delle congregazioni il primicerio, o in assenza il guardiano, che si troverà avere la precedenza dato il segno reciterà le solite orazioni. Il segretario, o essendo questo legittimamente impedito, proporrà l'archivista gli affari da trattarsi, e risolversi, mentre dovrà tenere chiusa la porta, dove assisterà al di fuori il mandatario. Se vi sarà da ascoltare qualche ministro dell'archiconfraternita, o alcun altro per qualche affare, dovrà prima introdursi, e quando non possa darglisi subito la risposta, dovrà uscire ed attendere di essere nuovamente introdotto, se allora si discuterà il di lui affare. Dovranno similmente sortire dalla congregazione quei fratelli ancorchè sieno officiali mentre accade di doversi trattare alcuna cosa, che interessi loro medesimi, ovvero di qualche loro congiunto, o affine di primo o secondo grado di diritto canonico, o qualche loro socio e partecipe di negozio.

Nella consultazione di affari, si dovranno dire i propri pareri con modestia e rispetto, e posatamente con maturità e decenza. Si parlerà per ordine incominciandosi dagli offiziali maggiori agli inferiori. E mentre uno parla, niuno possa interromperlo, se non il primicerio, o il guardiano più anziano, quando accada di suggerire, o avvertire alcuna cosa. Se vi saranno dei dispareri, dovrà porsi la risoluzione a partito per voti. Ed in qualunque affare, subito che vi sarà uno, che domandi il bussolo, l'affare non potrà risolversi in altra maniera.

Idem ut supra

§. 75. Queste regole dovranno osservarsi non solamente nella congregazione segreta, ma molto più nella congregazione generale, se non che in questa dopo il primicerio e i guardiani, non potendosi procedere tra gli altri per anzianità, o per altra prerogativa, niuno potrà parlare o rispondere, se non avrà domandato licenza ai suddetti superiori, con dire *Deo gratias*, o altra pia parola che si usasse, ed ottenuto il permesso, si faccia innanzi ed esponga il suo sentimento o la sua risposta. Per mantenere anche con miglior ordine le discussioni nella congregazione generale, dovranno assistervi anche i maestri de' novizj.

De facultatibus congregationis secretae

§. 76. La congregazione segreta avrà la facoltà di accettare o ripudiare l'eredità, o i legati, o donazioni, dopo averne però prese le opportune informazioni per mezzo anche del procuratore, e del computista, e di altri che possano somministrarle dei lumi. Avrà la facoltà di stabilire, o moderare i stipendj de' ministri, le spese, l'elemosine, e in tutti quelli interessi, ed altre cose, delle quali si dà autorità dai presenti statuti, nelle quali cose potrà la congregazione segreta decidere da se stessa, e si attenderanno le sue risoluzioni, se la medesima non determinerà di doversi riferire alla risoluzione della congregazione generale.

CAP. XIX.

Dei congressi economici

De congressibus economicis nuncupatis

§. 77. Assidua cura, e vigilanza si richiede perchè sieno bene amministrate le rendite, e le sostanze dell' archiconfraternita. E quantunque nei vecchi capitoli si ordinasse, che a quest' oggetto si radunasse una volta il mese la congregazione segreta, nondimeno si è veduto per esperienza nel tempo passato essere stato ciò più volte trascurato o per fatto di chi la dovea convocare, o per la difficoltà di radunare sì frequentemente gli officiali che la componevano, o per la combinazione di altre circostanze; ed in conseguenza si sono introdotti in progresso di tempo molti inconvenienti. Per provvedere adunque con maggior efficacia a tal oggetto, si stabilisce, che salvo tutto ciò che si è disposto nel capitolo precedente delle congregazioni, e dell' autorità di quelle; debba ogni mese tenersi un congresso economico avanti il primicerio, e quando questi fosse occupato, o im-

pedito, presso chi avrà la precedenza di anzianità fra gli attuali guardiani. In questo mensuale congresso saranno dal mandatario intimati ad intervenirvi quattro guardiani, il camerlengo, i sindici, ed il provveditore, i quali saranno attualmente in carica, oltre il segretario esercente, quale registrerà i nomi degli intervenienti, le materie trattate, e le risoluzioni con esattezza in un libro da tenersi destinato a questi congressi. In assenza del segretario supplirà alla scrittura in quell' occasione chi ne sarà incaricato dal primicerio, o da quel guardiano, che presiederà al congresso. Dovrà intervenirvi regolarmente il computista dell'archiconfraternita, ed ogni volta che si crede opportuno vi sarà chiamato anche il procuratore, o altre persone, secondo le qualità degli affari.

De officio congressus oeconomici

§. 78. Apparterrà al congresso economico di rivedere, provvedere, e regolare tutto ciò, che concerne l'attual economia dell'archiconfraternita. Sopra tutto avrà cura, che il danaro venga depositato nel sagro monte di Pietà, o banco pubblico a credito dell' archiconfraternita e sua cappella, e a disposizione del primicerio e de' guardiani pro tempore; i quali peraltro non potranno ordinare spese o pagamenti, nè disporre delle robe della compagnia senza la determinazione del congresso economico o della congregazione. I provedimenti ed ordini del congresso economico dovranno sempre osservarsi, purchè non sieno contrarj ai presenti statuti, o alle determinazioni delle congregazioni segreta e generale, e fintanto che da queste non sieno con nuova diposizione rivocati, o variati, dovendosi questi sempre riferire distintamente in ogni congregazione segreta, e quando anche occorra nella generale. I sindici, ed il segretario per dovere dell'officio loro non lasceranno di ricordare ai superiori, e d' insistere, che si tenga ogni mese questo congresso, e che le risoluzioni di questo, ancorchè secondo le urgenze eseguite, sieno riferite nella prossima congregazione, come sopra si è detto.

CAP. XX.

Delle festività, e sagre funzioni della compagnia

De expositione sacramenti Eucharistiae.

§. 79. Dovrà dalla compagnia, e dai fratelli esibirsi il culto colla possibile divozione e venerazione al santissimo Sagramento, massimamente nella solennità della esposizione in forma delle quaranta ore.

De festo sancti Andreae apostoli.

§. 80. La festa di s. Andrea apostolo si celebrerà nella cappella della medesima archiconfraternita nella chiesa collegiata di s. Angelo con messa cantata, ed in questo giorno nell' oratorio si reciterà l'offizio, e si farà dai fratelli la comunione generale.

De festo S. Petri apostoli

§. 81. La festa dell' apostolo s. Pietro coll' officio e colla comunione generale si celebrerà nell' oratorio.

De honorificentia quolibet in festo curanda.

§. 82 In tutte queste solennità dovrà avvertirsi, che l'apparato e la pompa sia tale che conferisca alla gloria di Dio, ed all' onore de' santi, e a conciliare la devozione de' fedeli senza aggravare la economia. I fratelli festaroli da destinarsi colle opportune istruzioni del congresso economico avranno questa cura. Il provveditore sarà anche sollecito per quello che concerne le cose del suo officio.

De vetitis petitionibus.

§. 83. Nè in queste, nè in altre funzioni si farà alcuno sfoggio di rinfreschi, nè di cioccolate, se non che questa unica gratificazione si potrà dare a quei sacerdoti, i quali venissero a celebrare la messa senza prendere l' elemosina.

De officio in commemoratione defunctorum recitando.

§. 84. Nell' ottavario della commemorazione de' fedeli defonti si reciterà l' offizio nell' oratorio, se sarà possibile ogni giorno.

De precibus recitandis die veneris mense martio

§. 85. Nei venerdì di marzo circa l' ora del tramontar del sole si reciteranno i salmi penitenziali nell'oratorio coll'assistenza del cappellano vestito di cotta e stola violacea, e terminata questa funzione riceveranno i fratelli dal medesimo la benedizione coll' aspersorio dell'acqua benedetta, e recitata l'ave maria spogliandosi de' sacchi con silenzio, si ritireranno alle loro abitazioni, e faccende.

De orationibus habendis in prima dominica cujuslibet mensis

§. 86. In ogni prima domenica del mese il cappellano dovrà avvisare, ed esortare i fratelli di assistere vestiti di sacco alla messa, che egli celebrerà nell' oratorio dopo la reci-

tazione dell' offizio della beata Vergine, e di comunicarsi. Ogni terza domenica del mese si reciterà nell'oratorio l' offizio de' morti per suffragio de' fratelli, e de' benefattori defonti.

De aliis officiis, et functionibus

§. 87. Per gli altri offizj e funzioni si terrà affissa nell' oratorio la tabella coll' orario da ordinarsi dal primicerio, e dai guardiani. Per regolamento poi delle spese dell' oratorio e cappella si attenderà la norma da prescriversi, e rinnovarsi secondo le circostanze dal congresso economico, o dalla congregazione.

De exclusione exterorum tempore officiorum.

§. 88. In tempo che dai fratelli si reciterà l'officio, o che saranno uniti per altra funzione, o pio esercizio (eccetto se fosse una festa pubblica) non si potranno introdurre esteri, se non qualche religioso, o personaggio rispettabile. Neppure si ammettano fanciulli vestiti col sacco della compagnia, come talvolta si è usato, se non saranno in età maggior almeno di dieci anni.

CAP. XXI.

Delle distribuzioni da darsi ai fratelli frequentanti

De distributionibus inter praesentes faciendis.

§. 89 Quei che ascritti alla compagnia frequenteranno le pie funzioni di questa, dovranno sperarne il premio dalla bontà divina. Ciò non ostante per incoraggire la umana debolezza, si continuerà l' uso ch'è in questa, ed in altre confraternite di alcune distribuzioni ai fratelli frequentanti, ma colle infrascritte condizioni.

Idem ut supra

§. 90. Nella festa della purificazione della beata Vergine, e nell'ottavarj de' fedeli defonti, negli anniversarj o altro offizio e funzione, non si potrà distribuire alcuna candela, nè altra cosa, di cui cadesse la distribuzione se non a quei fratelli soltanto, i quali personalmente si troveranno presenti nell' oratorio a quelle sagre funzioni, eccetto se a qualche offiziale, o ministro si dovesse tal cosa per prudente e ragionevole ordinazione del congresso economico, o della congregazione. La stessa regola si osserverà nella distribuzione del pepe per la solennità del Natale di N. S. G. C.

Idem ut supra

§. 91. Si conferma l' annua distibuzione di scudi quarantanove, che molto tempo è in uso col titolo di roversi, che si ripartirà per gratificazione ai fratelli frequentanti nel modo seguente. Ai fratelli giovanetti dell' età di dieci anni sino ai diciotto, restano assegnati scudi nove da partirsi in sei da estrarsi a sorte tra quelli che avranno frequentato, alla ragione di scudo uno e bajocchi cinquanta per ciascheduno. Agli altri fratelli di età maggiore resta assegnata l' annua distribuzione di scudi quaranta, che si ripartirà alla ragione di scudi cinque per uno ad otto fratelli frequentanti da estrarsi a sorte. I guardiani, il camerlengo, e gli altri officiali si annoverano anche essi come gli altri fratelli al beneficio della frequenza.

Idem ut supra

§. 92. Per godere del premio della frequenza si richiede il numero di settanta appuntature, cioè che il fratello abbia frequentato l' oratorio nel decorso dell' anno settanta volte.

Idem ut supra

§. 93. Niuno si ammetterà al beneficio della frequenza, se non avrà fatto prima sei mesi di noviziato.

Idem ut supra

§. 94. Non si conterà l' appuntatura a qualunque fratello quando egli tardi d' intervenire all'oratorio, e non vi stia fino al fine dell' offizio e della funzione.

Idem ut supra

§. 95. Quando cioè si recita nell' oratorio l' offizio della Madonna dovrà ogni fratello trovarsi vestito di sacco, ed aver presa l'obbedienza prima che si termini l'inno *Quem terra, pontus, sidera*, e quando si recita l' offizio de' morti, ovvero i sette salmi penitenziali dovrà aver preso la obbedienza avanti che si finisca il primo salmo.

Idem ut supra

§. 96. Al fine di ciascuna funzione i maestri de' novizj faranno leggere le appuntature, di maniera che ogni fratello presente possa sentire, se è stato descritto il suo nome nel libro, che si terrà per questo oggetto.

Idem ut supra

§. 97. A qualunque fratello che mancherà d' intervenire per tempo ad assistere, ed associare il santissimo Sagramento quando si mette e si leva la esposizione delle quarant'ore, e così anche nel giovedì, e venerdì santo, quando si espone e si leva dal santo sepolcro; ovvero mancherà all'oratorio nella offiziatura e funzione del giorno

dell'assunzione della B.V. e nelle feste di s. Pietro, e di s. Andrea apostoli sarà tolto il numero di sei appuntature per ciascuna mancanza.

Idem ut supra §. 98. Le istesse regole di frequenza si dovranno osservare rapporto alle doti, delle quali si dispone nel capitolo seguente, e di qualunque altro beneficio, sussidio, o gratificazione, che in tempo avvenire per stabilimento dell' archiconfraternita, o per disposizione di qualunque benefattore si dovesse distribuire o conferire ai fratelli frequentanti, o alle persone loro attinenti, se non quando vi sia qualche espressa eccezione, o speciale modificazione.

CAP. XXII.

De' sussidj ed altre elemosine

De subsidiis aliisque eleemosynis. §. 99. Delle entrate dell'archiconfraternita, e sua cappella si distribuiranno ogni anno quattro sussidj dotali di scudi venticinque l' uno. Questi sussidj dovranno conferirsi dalla congregazione segreta alle figlie legittime e naturali dei fratelli patentati dalla estinta università dei pescivendoli, mentre queste sieno povere zitelle, e di onesti costumi, e colla condizione da osservarsi in avvenire, che i loro genitori almeno per un anno abbiano acquistato il merito delle frequenza dell' oratorio, come si è stabilito nel capitolo precedente. Riguardo poi alle figlie orfane dei fratelli patentati e defonti prima della presente riforma dei statuti, sarà sufficiente che l' abbiano frequentato almeno per un anno ragguagliatamente una volta almeno.

Idem ut supra §. 100. Inoltre resta stabilito delle rendite della medesima archiconfraternita l' annua somma di scudi ottanta da distribuirsi per elemosine nelle solennità della Pasqua di Resurrezione, e del Natale di N. S. Queste elemosine si dovranno alle vedove oneste, e povere dei fratelli patentati della estinta università suddetta da ripartirsi secondo i loro veri bisogni, colla norma che per ogni distribuzione si darà dal primicerio, e dai guardiani nel congresso economico; colla condizione però che i loro mariti abbiano almeno nell' ultimo tempo della vita frequentato l' oratorio una volta il mese: e questa condizione per queste elemosine si attenderà anche nel tempo avvenire.

§. 101. Si deputeranno dal primicerio e dai guardiani due consiglieri di sperimentata integrità, e prudenza, i quali dovranno visitare le case delle zitelle, e delle vedove, e riferire se abbiano i necessarj requisiti. Quando si darà il caso che non vi sieno nè figlie, nè vedove de' suddetti fratelli patentati, alle quali colle condizioni di sopra prescritte debbano conferirsi le doti, e rispettivamente distribuire le elemosine; allora dipenderà dalla prudenza e religione della congregazione segreta la disposizione di ciò, che è destinato per questi pii sussidj. Idem ut supra

§. 102. Apparterrà alla medesima congregazione segreta di stabilire una somma congrua per soccorrere i fratelli veramente poveri, i quali cadono senza loro colpa in infermità, esclusi però quelli, che non avranno frequentato per tutto quell' anno l'oratorio almeno una volta il mese. Perciò essi infermi dovranno esser visitati dai fratelli infermieri, e colla veridica informazione di questi, si somministrerà loro quella porzione di limosine, che in vista dei rispettivi bisogni sulla somma annua fissata per questo oggetto, si ordinerà dal primicerio e dai guardiani, i quali potranno anche fissare insieme cogli altri officiali nel congresso economico la somma annua da erogarsi in tali sussidj per i fratelli infermi, fintanto che non sarà stata determinata dalla congregazione segreta. Idem ut supra

CAP. XXIII.

Di ciò che debbono praticare i fratelli

§. 103. Non si ammetterà nella nostra compagnia chi non abbia l' età almeno di dieci anni compiti, nè chi eserciti arti infami, o meni attualmente vita scandalosa, se non darà qualche speranza di emendazione. Quei che saranno ammessi nella nostra confraternita hanno da prefiggersi l'osservanza delle presenti regole, e statuti. Nel giorno dell' ingresso primiero al nostro oratorio non lascino di confessarsi, e comunicarsi per acquistare l' indulgenza plenaria (come si avverte nei vecchi statuti) e potendo sono consigliati a fare una generale De munere confratrum.

confessione della vita passata, approfittarsi nello spirito, e dare buona edificazione a tutti, e miglior esempio a nostri fratelli col modo retto di vivere, acciocchè sotto il patrocinio de' Nostri santi apostoli Pietro, e Andrea abbiano a meritare il premio.

Idem ut supra §. 104. Non si dimenticheranno potendo, di ascoltare ogni giorno la santa messa, recitare la Salve ec. alla beatissima vergine, e due Pater ed Ave in onore de' gloriosi Nostri avvocati; pregandoli a voler intercedere loro da sua divina Maestà il perdono de' peccati, la virtù della tolleranza in portar la croce delle tribolazioni, e perchè riescano grate a Dio le orazioni, sia massima comune de' Nostri fratelli di non lasciare ogni prima Domenica in ciascun mese la comunione generale unitamente col sacco, che si amministrerà dal nostro cappellano nell' oratorio con applicare in suffragio dell'anime del purgatorio questo santo esercizio.

Idem ut supra §. 105. Se si recita ogni festa e domenica l' offizio della beatissima Vergine, abbiano a cuore ogni terza domenica dire quello de' fedeli defonti, massime per i Nostri fratelli, e dopo fatti gli anniversarj o essequie, sia incombenza del nostro cappellano celebrare alla loro presenza dopo l'offizio la messa, e ne' giorni non impediti la messa di requie.

Idem ut supra §. 106. Nel cantare procurino d' andar concordi, con modestia, senza fretta, nè innalzare senza profitto o di soverchio la voce, attendendo solo a quanto sarà loro insinuato in tal affare dalli due maestri de' novizi a'quali dovranno prestare ogni rispetto, e molto più riconoscere colla prontezza dell' ubbidire gli altri offiziali superiori, ed alle loro ammonizioni rassegnarsi colla dovuta umiliazione, ne' casi che si conoscessero le proprie leggerezze, ed errori, schivandoli quanto più possono. Sieno avveduti di compatirsi l' un l' altro con carità. Lo stesso osservino i superiori nel comandare o ammonire i subalterni senza superbia, e si guardino di scandalizzare i minori. Si raccomanda la frequenza nelle funzioni, e quando saranno a qualche carica promossi non ricusino la fatica per il servizio di Dio, e de' Nostri santi; ma l' accetteranno con umiltà senza frastornare le risoluzioni; anzi colla virtù della pazienza godano di meritare giornalmente presso la bontà divina, non che appresso gli uomini.

§. 107. Ogni fratello dopo che sarà stato ammesso, starà in forma di novizio per lo spazio di sei mesi, e non potrà durante questo noviziato essere eletto neppure agli officj minori, nè godere i beneficj della frequenza. Idem ut supra

§. 108. Nessun fratello s' ingerisca in alcuno officio se non vi fosse stato eletto nelle debite forme, o vi fosse deputato estraordinariamente in qualche occasione, da chi ha l' autorità di deputarlo. Se qualcuno dopo essere stato ascritto alla nostra compagnia, esercitasse qualche mestiere, che per diritto, e per fatto si riputasse infame, ovvero se da qualche tribunale fosse condannato per delitto, o se menasse vita scandalosa, sarà cassato dal numero de' fratelli. Idem ut supra

CAP. XXIV.

Dell' osservanza dei statuti

§. 109. Ogni colpevole contravenzione ai presenti statuti, e agli ordini degli officiali autorizzati dai statuti medesimi, sarà punito per la prima volta colla sospensione dall' officio o dal vestire di sacco per un tempo proporzionato ad arbitrio del primicerio, e de' guardiani, seppure la colpa non fosse sì grave, che a giudizio della congregazione segreta meritasse anche per la prima volta la cassazione ed espulsione dalla compagnia. Ogni contravenzione replicata sarà punita colla cassazione. De observantia statutorum

§. 110. Affinchè questi statuti si mantengano sempre in vigore, si stabilisce, che nelle congregazioni, ove si eleggono i nuovi offiziali, ed in occasione di altro affare, o discussione di qualche importanza, ed in caso di qualunque dubbio, si debba dal segretario, o da altro fratello, a cui ne dassero incombenza il primicerio, o i guardiani leggere ad alta ed intelligibile voce quel capitolo o capitoli delli statuti medesimi, che apparterranno all'oggetto, di cui si tratta. Idem ut supra

§. 111. Tutti gli officiali e massimamente i sindici saranno solleciti dell'osservanza dei statuti. Idem ut supra

§. 112. La presente riforma dei statuti non pregiudicherà a qualsivo- De conservatione privilegiorum cuiusque

competentium glia prerogativa di anzianità, o antico privilegio, e diritto dell'archiconfraternita.

Laus Deo

Approbatio statutorum. §. 113. Marinus tit. s. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis Carafa de Belvedere, venerabilis archiconfraternitatis sub invocatione sanctissimi Sacramenti, ac ss. apostolorum Petri, et Andreae protector.

Supradicta statuta, ordinationes, constitutiones, et reformationes praefatae venerabilis archiconfraternitatis viginti quatuor capitibus comprehensa, omniaque, et singula in iis contenta a nobis revisa, et recognita, quatenus sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, et jurisdictioni ecclesiasticae non obstent, et juribus parochialibus praejudicium non inferatur, in omnibus, et per omnia approbamus, et confirmamus.

Datum Romae, ex aedibus Nostris hac die 13. maij 1807.

Card. Carafa di Belvedere protector
Vin. M. De Nicolais primicerius

Confirmatio apostolica §. 114. Ut autem reformatio haec statutorum firmius subsistat, exactiusque servetur, eam exponentes approbari per Nos et confirmari vehementer desiderant, enixisque humiliter precibus a Nobis expostulant. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinserta statuta cum omnibus et singulis, quae in eis continentur, auctoritate apostolica. tenore praesentium rata et valida habemus et declaramus, perpetuoque apostolicae confirmationis robore communimus, ac omnes et singolos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper intervenisse contigerit sanamus, ac plenarie supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 115. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 116. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non memorate archiconfraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

§. 117. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo. Fides habenda transumptis.

Dat. die 7 Augusti 1807 anno VIII.

D VII.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione, praeposita negociis episcoporum, et regularium super nominatione praepositi generalis congregationis Somaschae, et nominatio aliorum superiorum congregationis.

Dilecto filio Philippo Rossi congregationis Somaschae praeposito generali.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Tenor rescripti editi a sacra congregatione Episcoporum, et Regularium.

§. 1. Quum vigore rescripti per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negociis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum ex Nostra audientia die 31, januarii currentis anni editum fuit, tu in tuae congregationis de Somascha nuncupatae praepositum generalem nominatus fueris, ac institutus sub certis modo, et forma, prout in eodem rescripto, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso haberi volumus, uberiūs continetur; cumque rescriptum hujusmodi, quo firmius subsistat, exactiusque servetur, tu modo per Nos, ut infra, confirmari desideres, ac humillime efflagites.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 2. Nos te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia confirmatione alterius rescripti per eamdem congregationem ex Nostra pariter audientia die septima septembris millesimo octingentesimo tertio emanati, quo scilicet super religiosis tuae congregationis domibus in Nostra urbe, ac ditione existentibus peculiaris congregatio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium deputata fuit, ac eo quidem successu, ut per eam, ejusque studio, et cura pars haec Somaschorum jam prope, ob temporum vicissitudines, interitura revixit, quemadmodum rescriptum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium in omnibus, et per omnia confirmamus, illudque a te debita cum reverentia, ac obedientia servandum, atque illi, uti et congregationi illius vi deputatae tum quoad res oeconomicas, tum quoad recursus religiosorum tuae congregationis te omnimode subjectum esse debere volumus, ac praecipimus: deinde iisdem auctoritate et tenore memoratum rescriptum favore tui editum, ac per quod praepositus generalis fuisti renunciatus, una cum omnibus, et singulis in eodem rescripto contentis, ad tempus tamen Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito duraturum, ratum, validumque habemus, et declaramus, ac robore confirmationis Nostrae apostolicae communimus, tum omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos in illo quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, ac plenarie supplemus.

Deputatio aliorum superiorum.

§. 3. Praeterea dilectos filios Hieronymum Pongelli generali congregationis praepositura laudabiliter functum, in vicarium generalem, nec non Josephum Pellegrini parochum ecclesiae s. Nicolai de urbe in procuratorem generalem, et Octavium Poltrieri, qui in collegio Clementino vices gerit rectoris, in ministrum provincialem congregationis auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium, ac per idem tempus, iisdemque sub conditionibus, quoad te supra expressis, creamus, facimus et deputamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi et illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub

annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DVIII.

Dat. die 7 augusti 1807 anno VIII.

Communicatio privilegii concessi capitularibus sancti Erasmi terrae Bassiani dioecesis Setinae utendi roccheto, et mozzeta, favore canonicorum ecclesiae collegiatae sancti Nicolai ejusdem terrae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticis viris, qui Altissimo in sacris templis collegialiter inserviunt, ibique divinas laudes concinunt peculiaria indumenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati meliora charismata magis magisque in dies aemulentur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici nuncupati sancti Nicolai terrae Bassiani Setinae dioecesis, quod cum ipsi unum corpus cumulative efficiant cum altero ejusdem terrae capitulo sancti Erasmi hujus quoque ecclesiae sancti titulo perfruentes, simulque processionibus, aliisque publicis functionibus cum iisdem sancti Erasmi canonicis interessentes, idcirco iisdem insignibus, quibus paulo ante ipsius ecclesiae sancti Erasmi canonici per Nos decorati sunt decorari et ipsi vehementer desiderant ad majorem Dei gloriam, sacrarumque functionum splendorem augendum. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus capitularibus sancti Nicolai praedictis, ut ipsi rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris ad instar aliorum capitularium sancti Erasmi praedictorum tam in ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenere praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque capitulares, seu canonicos desuper a quoquam molestari, impediri, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ecclesiae, et capituli juramento, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DIX.

Dat. die 7. augusti 1807. anno VIII.

Translatio missae et officii proprii beati Dominici De-Val martyris, in diem 31. augusti cujuslibet anni pro dioecesi Caesaraugustana.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Pro parte venerabilis fratris patriarchae Indiarum, nec non dilectorum filiorum capituli, cleri, et magistratus Caesaraugustani, expositum Nobis fuit, ipsi pro eo, quo in b. Dominicum de Val martyrem afficiuntur devotionis affectu, ad relationes dilecti filii magistri Hieronymi Napulionis fidei promotoris rescriptum obtinuerunt sequentis tenoris videlicet.

Tenor rescripti.

§. 2. Supplicante r. p. d. Dionysio Bardaxi et Azzara canonico metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, sacrae rotae Romanae auditore, nomine rmi archiepiscopi Indiarum patriarchae, capituli, cleri, et magistratus Caesaraugustani, ac referente r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore, sanctissimus Dominus Noster Pius VII. Pont. Max: inspectis iis, quae in supplici libello enarrantur, benigne indulsit, ut festum b. Dominici de Val martyris cum officio, et missa jam concessis celebrari possit quotannis imposterum ritu dupl: maj: in die proprio ejus martyrii, scilicet in die 31. augusti tam a clero civitatis, et dioecis Caesaraugustanae, quam ab omnibus aliis, quibus alias jus datum fuit illud cum officio, et missa celebrandi: translato in primum diem non impeditum juxta rubricas, qui deinceps erit dies fixus, quocumque alio festo in dicto die 31. augusti occurrente. Die 24. julii 1807.

Julius M. card. de Somalia S.R.C. praefectus
J. de Carpineo S.R.C. secretarius

Confirmatio praedicti rescripti.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum rescriptum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio ipsum muniri vehementer desideretur, Nos eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem rescriptum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus; illique inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos cum juris, tum facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DX.

Dat. die 7. augusti 1807. anno VIII.

Subrogatio commissarii jam deputati, et interim defuncti pro erectione montis ad extinctionem aeris alieni contracti in regno Sardiniae pro defensione publica.

Venerabili fratri Nicolao episcopo Iglesiensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem

Memorantur praecedentes literae datae pro nominatione alterius commissarii.

§. 1. Dudum, instante charissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanuele Sardiniae rege illustri Nos cl: me: Didaco Gregorio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Cadello nuncupato Calaritanae ecclesiae ex Nostra dispensatione et concessione praesuli direximus apostolicas Nostras in simili forma brevis die vicesima octava aprilis anni currentis expeditas literas, tribuentes ei sub certis modo et forma facultatem imponendi pensiones, reservandi annatas, ac quaedam alia disponendi ad tempus viginti quinque dumtaxat annorum super fructibus, redditibus, et proventibus ecclesiarum, et beneficiorum regni Sardiniae favore montis erigendi ad extinctionem alieni aeris pro defensione publica a regio aerario contracti, et alias prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus uberius continetur.

Preces porrectae pro obtinendo successore in locum defuncti.

§. 2. Liceat autem idem cardinalis praesul debitae literarum Nostrarum executioni celeriter incubuerit, et multa pro optati montis erectione, etiam nominando ecclesiasticos deputatos, feliciter gesserit; nihilominus die quinta mensis julii proxime elapsi ex hac, sicut accepimus, mortali vita decessit, et membra, quae praedicto monti dare operam debent, suo velut capite orbata reliquit. Hinc ejus ex obitu veritus idem Victorius Emmanuel rex, nequid deinceps emergat, cui opportune nonnisi per praesentem delegati apostolici auctoritatem possit occurri, ideo Nobis regio ipsius nomine supplicatum enixe est, ut fraternitatem tuam pro obventuris casibus ad dictum montem spectantibus subrogare ut infra in locum defuncti de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur hac in re regis votis libenter annuere, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, recensitas literas Nostras quae ad erectionem montis praedicti die vicesima octava aprilis hujusce anni praenominato cardinali praesuli nuper, ut praefertur, defuncto per Nos directae fuere, nunc fraternitati tuae harum vigore committimus, tibique pro ulteriori illarum executione facultates omnes ac singulas, quas tunc eidem cardinali praesuli communicavimus, in omnibus et per omnia, servata tamen forma, et dispositione earumdem literarum, firmisque etiam remanentibus clausulis et conditionibus universis ibidem expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus cunctis iis, quae praedictis in literis concessimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 14 augusti 1807 anno VIII

DXI.

Incorporatio insulae sitae in loco ad sinistram ripam fluminis Rheni dioecesi Aquisgranensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato Nostro, et Sedis apostolicae ad carissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Galliarum imperatorem de latere legato.

Salutem et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Cum carissimus in Christo filius Noster Napoleo Gallorum imperator Nobis significari curaverit quamdam insulam in loco ad sinistram fluminis Rheni ripam existentem, et ad antiquam suppressae per Nos metropolitanae ecclesiae Coloniensis dioecesim spectantem, fore opportunum, et ipsius insulae habitatoribus valde commodum, si a praefata dioecesi Coloniensi abdicata, eadem insula moderni et pro tempore existentis episcopi Aquisgranensis jurisdictioni subijceretur.

Tenor concessionis.

§. 2. Temporum itaque ac rerum circumstantiis mature pensatis, ac votis hujusmodi annuere necessarium censentes, Nos tibi dummodo justis de causis ita in Domino agnoscas expedire, praevio quorum interest consensu insulam praefatam, in harum literarum executione distincte enunciandam, cum suis habitatoribus a praedicto antiquae Coloniensis dioecesis territorio separando, praefato episcopo Aquisgranensi apostolica Nostra ad hoc tibi specialiter delegata facultate subijcere, ejusdemque episcopi dioecesi unire, adjungere, et incorporare libere, ac licite possis et valeas, ita ut habitatores omnes tam ecclesiastici, quam laici in praedicta insula degentes, superioritati, jurisdictioni, et obedientiae venerabilis fratris Nostri moderni et pro tempore existentis episcopi Aquisgranensis subjecti in posterum esse debeant, atque censeantur, dictaeque Aquisgranensis ecclesiae praesul veram, realem, corporalem, et actualem insulae praedictae possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, ac omnimodi juris dioecesani libere propria auctoritate etiam apprehendere possit et valeat, potestate Nostra praedicta, tenore praesentium concedimus, atque indulgemus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 3. Separationem vero et unionem praefatas, quando per te vigore delegatae hujus facultatis executae fuerint quibuscumque etiam speciali, expressa, et individua mentione dignis in contrarium non obstantibus semper, et perpetuo validas esse, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari volumus, atque mandamus, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, pridie idus augusti pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 18 augusti 1807 anno VIII.

DXII.

Confirmatio electionis sancti Rochi in patronum principalem factae a populo villae nuncupatae Callosa dioecesis Oriolensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Tenor decreti editi ad rem a sacra congregatione Rituum.

§. 1. Nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum editum est decretum tenoris ut sequitur »

Ex parte cleri, magistratus, et populi villae vulgo nuncupatae Callosa de Segura Oriolensis dioecesis sacrorum rituum congregationi pro confirmatione electionis sancti Rochi confessoris in patronum principalem dictae villae humillime supplicatum,

fuit: et sacra eadem congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinale Matthaejo episcopo Praenestino ponente, cum hujusmodi electionem, quoad formam, rite, et juxta decretum sa. me. Urbani pp. VIII. legitime factam comperisset, benigne de ejus approbatione, et confirmatione, si cetera concurrere noverit, permisit reverendissimo episcopo Oriolensi ad ipsius arbitrium, et s. Rochi confessoris, in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum protectorum principalium festis competentes ab eodem episcopo attribui, atque concedi posse indulsit. Die 11. julij 1807.

Loco ✠ Signi

Julius M. cardinalis de Somalia S.R.C. praefectus.

J. de Carpineo S.R.C. secretarius

Confirmatio apostolica.

§. 2. Quum autem clerus, magistratus, populusque villae praedictae decretum hujusmodi, sicut exponi Nobis fecerunt, speciali Nostra confirmatione roborari desiderent, humiliterque a Nobis expostulent, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertum decretum cum omnibus et singulis in eo contentis, ratum, validumque auctoritate apostolica tenore praesentium habemus ac declaramus, illique inviolabilem apostolicae confirmationis Nostrae robur adjicimus, ac omnes et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos quomodolibet in illud irrepsisse contigerit, sanamus, ac plenarie supplemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, plenissime suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, caeterisque contrariis quibuscumque. Salva in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXIII.

Dat. die 19 augusti 1807. anno VIII.

Dismembratio ecclesiae episcopalis Cracoviensis a subjectione juris metropolitici sedis archiepiscopalis Gnesnensis, illiusque subjectio metropolitanae Cracoviensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Antonio Theodoro Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Colloredo nuncupato archiepiscopo Olomucensi

Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis

§. 1. Quoniam carissimus in Christo filius Noster Franciscus I. Austriae imperator, atque Hungariae et Bohemiae rex apostolicus significari Nobis curaverit, episcopalem ecclesiam Cracoviensem archiepiscopi Gnesnensis metropolitico juri usque adhuc subjectam in territorio modo comprehendi temporali dominio ipsius imperatoris ac regis obtemperanti, et difficillimum fore, si populi antedictae dioecesis in negociis spiritualibus curiam metropolitanam Gnesnensem in alterius principis territorio existentem adire cogerentur; ideoque non minus utile, quam necessarium sibi videri, ut ad consulendum suorum sub-

ditorum indigentiis eadem Cracoviensis ecclesia alterum agnoscat metropolitanum ad quem commodum habere valeat recursum, Nobis humillime supplicari fecit pro impetranda Sedis apostolicae ad hujusmodi effectum benigna indulgentia.

Tenor concessionis.

§. 2. Perpensis itaque laudati imperatoris ac regis iteratis postulationibus, aliisque rerum ac temporum gravibus circumstantiis, et expediens in Domino censentes tanti principis votis obsecundare, tibi dilecte filii Noster per praesentes committimus et mandamus, ut sive per te, sive per aliam idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam et ad hunc effectum specialiter subdelegandam, habitis prius venerabilium fratrum archiepiscopi Gnesnensis, et episcopi Cracoviensis, atque aliorum quorum interest in legali forma exaratis consensibus, ad Nos deinde originaliter transmittendis, memoratam episcopalem ecclesiam Cracoviensem, una cum tota civitate ac dioecesi ab omni et quacumque archiepiscopalis ecclesiae Gnesnensis metropolitici juris subjectione perpetuo subtrahas atque eximas, illamque jurisdictioni et superioritati moderni et pro tempore existentis venerabilis fratris archiepiscopi Leopoliensis latini ritus apostolica Nostra tibi expresse delegata auctoritate perpetuo similiter subiicias atque supponas, ita ut in posterum praedictus Leopoliensis archiepiscopus, tam in Premisliensi, Kielcensi, et Lublinensi, quam in Cracoviensi respectivis ecclesiis et dioecesibus, jus omne metropoliticum juxta canonicas sanctiones exercere libere, ac licite possit et debeat: Nos enim singulas tibi ad praemissorum effectum necessarias et opportunas tribuimus facultates, et postea quam praesentes Nostrae literae fuerint exequutioni demandatae, antedictas Cracoviensem, Premisliensem, Kielcensem, et Lublinensem episcopales ecclesias, uti metropolitani Leopoliensis ritus latini suffraganeas agnoscemus, et reputabimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Nostras, etiam ex eo quod in praemissis interesse quomodolibet habentes, seu habere quovis modo praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, nec causae propter quas eaedem praesentes emanarunt verificatae non fuerint, nullo unquam tempore ex quacumque causa de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio impugnari, invalidari, aut adversus illas quodcumque juris, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari unquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Gnesnensis, Leopoliensis, et Cracoviensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis; quibus omnibus et singulis latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse, harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, caracthere notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo septimo, quarto decimo kalendas septembris, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 19 augusti 1807 anno VIII.

XIV.

Suppressio, et extinctio tituli archiepiscopalis in ecclesia Labacensi, et reintegratio sedis episcopalis in eadem ecclesia sub titulo sancti Nicolai episcopi erecta.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Quaedam tenebrosa caligo humanae mentis obruens imbecillitatem, et futurorum praescientiam impediens, tales aliquando inducere solet errores, ut ea, quae a Romanis pontificibus, ex virorum principum votis, provida ratione pridem fuerint sancita, ob novas lapsu temporis exortas difficultates debeant ad solutis animarum detrimentum avertendum ab apostolica Sede moderari, et gravibus intercedentibus causis ad pristinum nonnulla restitui statum, quando pro rerum ac temporum qualitatibus expedire in Domino conspiciatur.

Memorantur providentiae ad rem susceptae a Pio Papa VI.

§. 2. Post quam igitur felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster obsecundando precibus clarae memoriae Josephi II. imperatoris ac regis, per literas apostolicas sub plumbo expeditas octavo idus martii pontificatus sui anno quartodecimo cathedralem ecclesiam Labacensem cum illius capitulo atque integra ex tunc assignata dioecesi ad sedis archiepiscopalis dignitatem evexit, atque ipsius metropolitico juri subjecit episcopales Segnensem, ac Goritiensem, et Gradiscanam, sive Goritiensem ecclesias, nuper charissimus in Christo filius Noster Franciscus I. Austriae imperator, atque Hungariae, et Bohemiae rex apostolicus instantissime Nobis efflagitavit, quod ob varias ipsi visas gravissimas causas, opportunum illorum populorum spirituale regimen spectantes, eamdem Labacensem Ecclesiam in Carniolae ducatu existentem, quae per translationem venerabilis fratris Michaelis de Brigido ad episcopalem ecclesiam Scepusiensem, modo vacat, et ad quam nominatio personae idoneae Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad praedictum Franciscum imperatorem, ejusque successores ex indulto seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum spectat et pertinet, ad antiquum statum simplicis episcopatus redigere dignaremur,

Tenor decretae suppressionis, et respectivae reintegrationis

§. 3. Nos circumstantiis omnibus mature perpensis, et laudati Francisci imperatoris ac regis iteratis votis in praesentiarum annuendum expediens agnoscentes, apostolica Nostra auctoritate titulum, denominationem, et essentiam archiepiscopales in antedictis ecclesia et capitulo Labacensi perpetuo supprimimus et extinguimus, eamdemque ecclesiam sub invocatione sancti Nicolai episcopi cum suo capitulo, ad pristinum in quo antea erat sedis episcopalis apostolicae Sedi immediate subjectae statum denuo redigimus, ac perpetuis futuris temporibus redactam declaramus; firmo tamen in reliquis remanente ipsius ecclesiae capitulo ac dignitatum et canonicorum numero, ac firmis pariter dioecesis ambitu et mensae episcopalis ac singulorum capitularium redditibus in eo statu, quo respective nunc reperiuntur.

Consulitur ecclesiis suffraganeis

§. 4. Venerabiles autem fratres modernos et pro tempore existentes episcopos Segensem, ac Modrusiensem, et Gradiscanum seu Goritiensem in suffraganeos ejusdem Labacensis ecclesiae a praedicto Pio praedecessore Nostro in dictis literis assignatos ab omni et quocumque metropolitici antedictae Labacensis ecclesiae vinculo et subjectione perpetuo eximimus et liberamus, illosque sub immediata Sedis apostolicae subjectione recipimus, usque dum alio seu aliis metropolitanis per Nos seu Romanos pontifices successores Nostros in posterum fuerint assignatae.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes Nostras literas etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, sufficienter adductae, justificatae et verificatae non fuerint, nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae,

seu quopiam alio substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, specialem, et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, et ad viam et terminos juris reduci, aut adversus illas quodumque juris, vel facti aut gratiae remedium impetrari unquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat nunc, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum splenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus literis praefati Pii praedecessoris, ac Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac supradictarum omnium ecclesiarum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua etiam exquisita forma ad hoc servanda foret: illorumque omnium et singulorum tenores, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime, plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem quod praesentium Nostrarum literarum transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, restitutionis, repositionis, exemptionis, liberationis, subjectionis, declarationis, ordinationis, mandati, decreti, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quartodecimo kalendas septembris, pontificatus Nostri anno octavo.

DXV.

Dat. die 28 augusti 1807 anno VIII.

Concessio usus roccheti, et mozzetae violaceae pro canonicis ecclesiae collegiatae de Valentano dioecesis Montisflasconensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes illud interdum concedendum ducimus, ut ecclesiastici viri in templis magis conspicuis Altissimo famulantes, ibique coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie persolventes peculiaribus ornamentis utantur, quo ipsi externis hujusmodi honorificentiis excitati internarum virtutum splendore magis, magisque in dies praelucere studeant in aula Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis dilecti filii archipresbyter, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae oppidi civitatis declaratae Valentani Montisflasconesis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa,

in qua, praeter archipresbyterum dignitatem, tredecim canonici, et sex beneficiati existunt, antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique Christiani frequentia, et devotione non parum floreat, multum splendoris ad illam accederet, populique devotio, divinusque cultus majora ibi incrementa susciperent, si ipsius ecclesiae archipresbyter, et canonici iisdem decorationibus donentur, quibus aliarum proximarum collegiatarum canonici terrarum di Grotte, et Gradoli nuncupatarum ejusdem dioecesis decorati reperiuntur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur exponentes ipsos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, et canonicis dictae collegiatae Valentani, ut loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, rocchetum, et mozzetam violaceam, ac etiam aestivo tempore cottam supra rocchetum ad instar canonicorum duarum supramemoratarum collegiatarum tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum §. 4. Non ostantibus fel. recor. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxviii. augusti MDCCCVII. pontificatus Nostri anno octavo.

DXVI.

Dat. die 1 septembris 1807 anno VIII.

Concessio celebrationis festorum sancti Stephani protomartyris, et sancti Marcelli faciendae in mense septembri, vel octobri cujusvis anni in loco nuncupato Elzaburu dioecesis Pampilonensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Ratio concessionis. §. 1. Quum in locis Elso et Aleoz vocatis dioecesis Pampilonensis in patronum colatur s. Stephanus protomartyr, cujus festum die vigesima sexta mensis decembris occurrit, quumque in loco, quem nominant Elzaburu, ejusdem dioecesis pro patrono habeatur s. Marcellus papa et martyr, cujus festum celebratur in die decima sexta mensis januarii, ac tempore hyemali difficile haud parum sit ire ad loca ejusmodi, quippe quae supra magnum posita montem neque accessum, neque recessum tunc commodum parant fidelibus populis, qui pro devotione sua celebrationi festivitatis eorumdem sanctorum cupiant adesse; ac propterea locorum incolae ipsorum sicut nuper Nobis eorum est nomine expositum, enixis flagitant precibus per Nos sibi in praemissis providere opportune, ac ut infra indulgeri.

Tenor concessionis §. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poe-

nis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito hac de re dilecto filio magistro de Carpineo congregationis sacrorum rituum secretario, ut in die non impedito officio novem lectionum intra mensem septembris, aut etiam octobris, semel fixe, seu stabiliter per ordinarium destinando, festum peculiare memoratorum sanctorum patronorum cum officio et missa, ut in die proprio, sub ritu duplicis secundae classis sine octava, celebrari in tribus locis praedictis libere ac licite possit, et valeat, etiam si idem festum cum officio et missa in proprio die celebratum jam fuerit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque etiam speciali et expressa mentione ac derogatione dignis, contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annullo piscatoris die prima septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXVII.

Dat. die 4 septembris 1807 anno VIII.

Reformatio tribunalium civitatis Interamnensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii priores, seu magistratus civitatis Nostrae Interamnensis, quod ipsi ad tollendos abusus in tribunalibus illius civitatis obortos, et excretos, reformationes quasdam, adhibitis in consilium sapientissimis viris, condiderunt, tenoris sequentis, videlicet.

DE FORMA, ET PRAXI JUDICIORUM

I.

De praxi servanda in causis non excedentibus valorem decem juliorum.

§. 2. Le cause, che non superano il valore di paoli dieci Romani debbano dal giusdicente locale in seguito di piccolo memoriale da presentarsi su ciò dall' attore decidersi senza forma, e strepito di giudizio, chiamato avanti di se, ed intese ambe le parti litiganti, nè possa dalla di lui decisione, e giudizio in conto alcuno reclamarsi. Ricusando poi il soccombente di ubbidire, possa il giudice suddetto *sub unica citatione* rilasciare il conveniente mandato colla condanna del renuente a tutte e singole spese giudiziali, ed estragiudiziali, che dovrà immediatamente eseguirsi non ostante qualunque citazione, ed inibizione.

II.

Similis in causis scutorum quinque.

§. 3. Nelle cause sopra il valore di paoli dieci fino alli scudi cinque dovranno prodursi negli atti li necessarj documenti, e promoversi l' istanza *Intimetur, qualiter fuerunt producta jura, ideo citetur idem ad solvendum etc.*, o a far altro, che competerà; ed emanato dal giudice il decreto, che sarà di giustizia, non possa il soccombente promovere, che l' istanza *reponi*, la quale se sarà rigettata, e quindi confermato il decreto fatto, allora non dovranno ammettersi ulteriori citazioni. Se poi sa-

rà accordata la riposizione, e rivocato il decreto, potrà dal soccombente citarsi *praevia repositione procedi ad ulteriora in relaxatione mandati*, o altro, che competerà, e tanto nel caso del secondo decreto confermatorio del primo, quanto nell' altro del terzo decreto confermatorio del primo, e del secondo, se si addurranno testimonj, possa il giudice tenere un proservato per esaminarli avanti di se col decreto *habuit terminum proservato*, *et interim mandavit conduci coram se pro die etc.* con riceverne quindi la deposizione giurata da registrarsi contemporaneamente negli atti, ed in seguito decidere, come sarà di ragione. Dopo tutto ciò non potrà aver luogo, che il solo partito *litis* decisivo, dato il quale resterà salvo soltanto al soccombente il devolutivo, in cui dovrà peraltro osservarsi la stessa forma giudiziale, salvo però, tanto riguardo a questo, che all' articolo precedente, il diritto alle parti di ricorrere alla segnatura del principe, come di ragione.

III.

Item in causis scutorum viginti.

§. 4. Trattandosi di un valore sopra li cinque scudi fino alli scudi venti dovrà in primo luogo dall' attore citarsi *contra jura*, fatta *in termino*, secondo il solito, la produzione dei documenti. In promuoversi l' istanza per il pagamento, e rilassazione del mandato, o per altro che competerà, sulla quale istanza potrà il giudice tenere anche un *proservato in camera pro die etc.* per sentir pienamente, quando faccia di bisogno, le parti litiganti, ed esaminare le loro ragioni. Emanato poi quel decreto, che sarà di giustizia, non sia permesso al soccombente di far altra citazione, che reponi, la quale potrà anche rinnovarsi per la seconda volta. Se saranno prodotti testimonj, potranno questi esaminarsi *sub unica*, *et brevi* nella forma, che verrà prescritta in appresso. Non dovranno poi ammettersi altre citazioni, che quelle *contra positiones*, *o contra partitum* prodotte però contemporaneamente negli atti le posizioni, ed il partito, *calculari* prodotte le ricevute, ed i conti, e *ad recipiendum* prodotta una speciale procura del debitore, nella quale si esibisca pronto a pagare l' intera somma, per cui può spedirsi il mandato, come resta prescritto nel decreto 20. sotto il titolo *de jurisdictionibus tribunalium civilium* della constituzione *Post diuturnas* del regnante pontefice. Le dette istanze poi promosse una volta non potranno replicarsi, ma dovrà eseguirsi il giudicato, quando la parte soccombente non abbia ottenuto dalla segnatura del principe il ricorso, in cui dovrà similmente nella stessa forma giudiziale procedersi dopo prodotto l' istromento di decreto nella citazione ad *dicendum contra istrumentum decreti*, e senz' altri termini, ed atti fissata successivamente la giurisdizione colla preventiva istanza *deputari judicem*, *et dandam listam*, *alias deputari ex officio etc.*

IV.

Idem in causis cujuscumque valoris

§. 5. Sopra il valore di scudi venti fino a qualunque somma in prima istanza nelle cause privilegiate di alimenti futuri, di mercedi, di pigioni di case, di affitti, di porzioni domenicali, di canoni e livelli dovrà osservarsi la stessa forma, ed ordine prescritto nel precedente decreto 3. Nelle altre cause poi non privilegiate per disposizione di ragione, ed in seconda istanza fino alla somma, su cui compete ai giusdicenti locali colla solita delegazione il giudicare a norma del decreto 8. sotto lo stesso titolo dell' anzidetta costituzione, se non *esecutive*, dovrà premettersi l' istanza *contra jura* colla produzione *in termino* dei documenti, e successivamente promuoversi l' istanza *ad solvendum*, o altra, che competerà, in cui, se vi sarà di bisogno, e lo richiederà la quistione che involve, ed il contrasto dei litiganti, potrà il giudice rimettere l' esame della causa alla lista dell' informazione. In questo caso dovrà quindi per parte dell' attore formasi la scrittura legale col suo annesso sommario, e presentata, che questa sarà, citarsi *ad informandum*. Sotto questa citazione dovrà comunicarsi la scrittura suddetta al difensore contrario, e tenersi da giudice un *proservato* per l' informazione di quel giorno, che crederà, ad effetto possa rispondersi alla comu-

nicata scrittura. Per l'informazione del giorno destinato dovrà nuovamente citarsi *ad informandum*, e tenersi l'informazione sulle scritture di ambe le parti, se vi saranno, diversamente non essendo stata portata ancora la risposta, potrà il giudice tenere un'altro *proservato* per l'informazione di un'altro giorno, ed accordarsi altra ristretta dilazione, in fine della quale dovrà citarsi *aperiri terminum proservato, et loco aperitionis procedi ad ulteriora in relaxatione mandati pro scutis etc.*, o altro che competerà, e tenuto il *proservato* alla presenza dei testimonj secondo l'antica pratica di questa curia potrà dentro il solito termine di dieci giorni spedirsi per decreto definitivo la causa, come sarà di giustizia. Interponendosi dal soccombente l'appellazione, non dovrà sulla citazione *ad dicendum contra appellationem etc.* farsi altro decreto, che *utatur jure suo*, non convenendo al giudice, che ha pronunciato, ammetterla, o rigettarla.

V.

De causis ordinariis, et forma in illis servanda.

§. 6. Nei giudizj poi sommarj, ed ordinarj, che saranno quelli, ne' quali non concorre l'obbligo camerale, e non compete la via esecutiva, dovrà premettersi il monitorio, ovvero libello solito secondo l'inveterato stile di questa curia, di cui dovrà eseguirsi copia, e riprodursi l'originale *infra triduum*, e successivamente citarsi *contra jura*, producendo *in termino* i necessarj documenti. Indi dovrà promuoversi dall'attore l'istanza, che competerà a norma del monitorio, o libello, e col decreto *ad listam* rimettersi l'esame di tali cause alla lista dell'informazione, come viene anche prescritto nel decreto 34. sotto il riferito titolo *de jurisdictionibus tribunalium civilium* della divisitata pontificia costituzione. Dopo di ciò dovrà dall'attore portarsi al giudice la scrittura col suo sommario, lasciandone della scrittura due copie, una per il giudice, l'altra per comunicarsi alla parte contraria, e dovrà quindi citarsi *ad informandum*. Nel giorno, che cadrà la prima informazione, dovrà il notaro attuario della causa notare al di fuori di essa scrittura, e precisamente sotto il di lei soprascritto il giorno dell'informazione col solito decreto di lista *communicari jura*, e comunicare contemporaneamente alla parte contraria l'altra copia della scrittura lasciata dall'attore a quest effetto. Per la prima informazione, che cadrà a capo, e dopo otto giorni, dovrà nuovamente citarsi *ad informandum*, e notarsi come sopra, col secondo decreto di lista *ad aliam*. Lo stesso dovrà rinnovarsi per la prima informazione a capo, o dopo altri otto giorni, e notarsi come sopra, col terzo decreto di lista *proservato*. Se la parte contraria non avrà portata la scrittura responsiva al giudice, dovrà questo per mezzo del notaro attuario far sapere al difensore contrario, che la porti, per poter mettere la causa in lista nella prima informazione, e mancando di farlo, potrà, dopo scadute le necessarie citazioni, spedire in contumacia la causa. Se poi avrà portata la risposta, dovrà mettersi la causa in lista, e citarsi nuovamente *ad informandum*, e colle scritture di ambe le parti informarsi dai rispettivi difensori del giorno dell'informazione destinato dal giudice, dal quale verrà palesato il suo sentimento con tenere il *proservato* a favore di quella parte, a cui crederà assistere la ragione. Potrà il giudice accordare alla parte, a cui sarà contrario, la facoltà di rispondere, e replicare contro i motivi del suo sentimento per tenere poi colla nuova scrittura un'altra informazione, dopo la quale dovrà dalla parte, a favore di cui avrà tenuto il proservato, citarsi *ad terminos substantiales*, e successivamente *ad sententiam*, e dentro il solito termine di dieci giorni spedirsi la causa per sentenza definitiva, come, si pratica nel tribunale dell'A. C., e citandosi dal soccombente in seguito dell'interposta appellazione, debba osservarsi, quanto resta su ciò prescritto nel decreto 4.

VI.

De causis agendis pro solusione literarum collybisticarum.

§. 7. Nelle cause di cambiali, e di pagarò per altrettanti ascendenti a qualunque somma possino *sub unica citatione* conculcarsi i termini secondo la pratica, e forma osservata nel tribunale dell' A. C. Lo stesso debba praticarsi per le apoche pri-

vate, sulle quali però sia sempre proibito rilasciare, e consegnare il mandato, non citato prima il debitore, come sopra, salvo al creditore il diritto di procedere alla spedizione, ed esecuzione del mandato avanti il tribunale dell' A. C. quante volte siasi in dette apoche convenuto, che possa il debitore citarsi per contradette, e siasi da questo rinunciato a qualunque citazione.

VII.

De citationum forma.

§. 8. Sia abolito lo stile di fare le citazioni di giro per comparsa negli atti; ma debbano tutte farsi stese sempre però colla limitazione, e restrizione a quelle sole stabilite, e fissate di sopra, dichiarandosi qualunque altra citazione, o comparsa nulla, e di niuna efficacia, e valore, come se fatta non fosse.

VIII.

De vetita renovatione citationum.

§. 9. Per regola generale le citazioni lette, e riprodotte nell' udienza una volta, non potranno mai rinnovarsi, e ripetersi sotto pena di nullità anche per l' effetto di calcolarle nella tassa delle spese, e di conseguirsene in qualunque maniera dal curiale, e dal notaro l' onorario, e l' emolumento, a riserva soltanto della citazione *reponi* ne' casi di sopra specificati, e dell' altra *ad informandum*; che non dovrà riprodursi, ed eccettuato altresì il caso, in cui per qualche speciale ragione credesse il giudice conveniente di permettere la rinovazione col firmarla preventivamente col *poterit legi*.

IX.

De comparitionibus permissis.

§. 10. Non possino similmente farsi negli atti altre comparse, fuori che per il *nihil fieri* in principio della causa, per il giuramento di calunnia, per la produzione dei documenti, e per qualche speciale protesta, che fosse coerente all' azione promossa, colla proibizione anche in queste, dopo fatte, ed apposte, che siano una volta, di poterle reiterare, di maniera che qualunque altro atto si faccia, come pure la rinnovazione di quelli già fatti dovranno considerarsi, come se fatti non fossero, anche per l' effetto di sopra specificato. Sia poi tenuto il notaro attuario di comunicare li documenti prodotti a quella parte litigante, contro di cui è stata fatta la produzione, quante volte non siano scritture private originali, con ritirarne nell' atto della comunicazione la ricevuta coll' obbligo *de reportando infra triduum*, che dovrà stendersi in un libro detto *accomodatorum* da ritenersi in ogni officio dei quattro titoli.

X.

De allegatione defectus mandati procurae.

§. 11. Potrà allegarsi l' eccezione del difetto del mandato di procura tanto in principio, come nel progresso della lite, quante volte però con atti, e comparse giudiziali non sia stato il comparente, contro di cui vorrebbe opporsi l' eccezione suddetta, riconosciuto per legittimo difensore, nel qual caso non dovrà più aver luogo, e potrà validamente disprezzarsi.

XI.

De productione documentorum

§. 12. Sarà permesso il fare la produzione negli atti di qualche documento, pendente già nella causa il *proservato*; non potrà però dopo quella citarsi nuovamente *contra jura*, come si è fuor di regola praticato in passato, ma dovrà sempre restare la causa nello stato, in cui si trova dopo il proservato, e potrà dal giudice, quando non creda rilevante il documento prodotto, durante lo stesso proservato decidersi, e spedirsi, senza che venga eseguita una nuova citazione, e rinnuovato quindi il proservato.

XII.

De partito litis decisivo, et positionibus.

§. 13. Al partito *litis* decisivo, ed alle posizioni, le quali dovranno prodursi chiuse contro le persone domiciliate, e presenti in questa città, e suo territorio, e feudi, aperte poi, quando quelle fossero assenti, e domiciliate fuori del territorio, e feudi, dovrà rispondersi dentro il termine, che sarà dal giudice prefisso sull' istanza *ad dicendum contra positiones*, e *contra partitum*, nella quale dovrà perciò aggiungersi; *et proinde praefigi unicum, et brevem ter-*

minum ad effectum respondendi, alias etc. talmente, che scorso il detto termine si dovrà avere per ammesso il partito, e per confessate le posizioni.

XIII.

De examine testium.

§. 14. L'esame dei testimonj anche da uno dei litiganti richiesto, potrà negarsi, quando il giudice non creda dovere sul detto loro fondare il suo giudizio, e nel caso, che abbia luogo, dovrà nelle cause risguardanti un valore fino alli scudi venti farsi *sub unica, et brevi*, come resta pure prescritto nel decreto 27. sotto l'indicato titolo della pontificia costituzione, effettuandolo nel termine, che verrà prefisso dal giudice sulla citazione *ad videndum examinari testes formiter, et proinde praefigi unicum, et brevem terminum ad effectum conficiendi examen, alias etc.* come si è stabilito per il partito, e per le posizioni col decrete precedente, e tralasciandosi di farlo dentro il suddetto termine, dovranno li testimonj considerarsi come esaminati in favore del producente, ed inefficaci per parte dell'opponente. Nelle cause poi superanti li scudi venti fino a qualunque somma possa farsi l'esame formale, premessi gli atti preparatorj secondo la pratica comune, ed in questo caso il litigante, a cui interresserà, che venga effettuato, dovrà citare *praefigi terminum ad inducendos testes, alias etc.*, se sono stati prodotti dalla parte contraria, *testes inductos non afficere, et procedi ad ulteriora in causa*, ovvero *testes inductos examinari super articulis tantum*, se sono stati dallo stesso istante prodotti.

XIV.

De monitoriis super convocatione concursus.

§. 15. Li monitorj *super convocatione concursus*, e *super dilatione* non potranno spedirsi, che avanti a quel giudice, ov'è stato già il debitore preventivamente convenuto, e se non costa negli atti, che da un numero di creditori, li quali costituiscano la somma maggiore dei crediti, sia stato a ciò prestato il consenso collegialmente secondo il solito, come viene stabilito nel decreto 21. sotto l'accennato titolo della divisata costituzione. La perizia poi, e la scala graduatoria dovrà dal perito che sarà giudizialmente deputato col consenso della maggior parte dei creditori, compirsi, e mettersi negli atti dentro il termine di tre mesi da cominciare a decorrere dal giorno della sua deputazione sotto pena al perito in caso di mancanza di non poter pretendere veruna mercede, ed a quei creditori, che avranno trascurato di esibire, e somministrare le opportune giustificazioni, di non potere, dopo prodotta, ed aperta la perizia, e scala graduatoria, ed emanata la sentenza, impedire la di lei esecuzione, salvo il ricorso alla segnatura del principe.

XV.

§. 16. L'inibizione *in vim cauthelae angeli* potrà validamente disprezzarsi, quando prima dell'eseguita citazione non sia stato giustificato negli atti colli capitoli, e coll'istromento matrimoniale il credito dotale, su cui si appoggia l'inibizione, come viene ancora prescritto nel decreto 23. sotto il più volte riferito titolo dell'accennata costituzione.

De inhibitione in vim cauthelae angeli

XVI.

§. 17. Nell'esecuzioni reali, in cui si prende il pegno dovrà questo immediatamente portarsi nella publica depositaria sotto pena all'esecutore, che tralascerà di farlo, del pagamento del doppio della somma, per cui è stato preso il pegno, ed essendo recidivo, della carcerazione, e di altre pene ad arbitrio del giudice del mandato; quando poi si tratta di pegni fatti per gravatorie l'esecutore ne dovrà dare la relazione in cancelleria sotto pena in caso contrario della restituzione, di carcerazione, ed altre ad arbitrio del giudice del mandato. In tutto il rimanente poi risguardante la depositaria de' pegni dovranno esattamente osservarsi gli antichi capitoli di questa città su tal materia riportati, e legati nel protocollo intitolato. *Capitoli dei proventi della città dalla pag. 71. alla pag. 78.*

De asportatione pignoris ad publicam depositariam.

XVII.

De subhastatione et deliberatione.

§. 18. Negli atti preparatorj per le subaste, e delibere dovrà esattamente osservarsi la solita pratica, sicchè qualunque altra citazione, ed atto non specificato, ed ammesso in pratica potrà validamente disprezzarsi. Le nullità poi di dette subaste, e delibere per qualsivoglia difetto di formalità, o solennità, ancorchè credute sostanziali, non potranno più allegarsi dopo spirato l' anno, salvo soltanto l' azione *ex capite laesionis*, come sarà di ragione, a norma di quanto si prescrive nel decreto 36. sotto l' indicato titolo della pontificia costituzione

XVIII.

De emolumentis exigendis in sententiis expediendis.

§. 19. Per le sentenze approvanti, o rigettanti una sola azione, o un solo titolo non potrà esigersi, che un solo emolumento, ancorchè siano in esse compresi più fondi, e capitali, o siano nella loro spedizione citate più persone, come è stato anche disposto nel decreto 37. sotto l' accennato titolo dell'anzidetta costituzione. L'emolumento di qualunque sentenza dovrà sempre ragguagliarsi rapporto alli terreni sul valore fissato nell'ultimo catasto, e rapporto alle case equitativamente, e secondo verrà indicato da chi spedisce la causa, prescrivendosi ai notarj attuari di tenere un libro intitolato *Receptorum*, come si pratica negli officj dei notarj dell' A. C., nel quale dovrà notarsi, e registrarsi la partita del quantitativo della propina, e degli emolumenti pagati nelle spedizioni delle cause.

XIX.

De forma servanda in causis damni dati

§. 20. Le cause di danno dato semplice, ed in cui non ha luogo l' azione criminale, dovranno in appresso decidersi in prima istanza avanti al giudice da deputarsi dal pubblico generale consiglio a norma dell' antico statuto lib. 1. tit. della elezione del podestà pag. 4., e dell' officio del giudice pag. 8., servata la forma prescritta nella costituzione dei 25. gennaro 1851. della san. mem. Benedetto pp. XIV., e rapporto alle pene dovranno osservarsi gli antichi capitoli di questa città con duplicarsi, e raddoppiarsi però come conviene, attesa la mutazione de' tempi, e delle circostanze, l' antica tassa stabilita in essi capitoli, che sono parimenti riportati, e legati nel protocollo intitolo *capitoli dei proventi della città dalla pag.* 189. *alla pag.* 205, come pure rapporto al danno dovranno osservarsi li brevi di Innocenzo pp. X. *Constantis fidei* del primo febrajo 1648., ed Innocenzo pp. XII. *Alias pro parte* dei 18, febrajo 1696. E siccome tanto a tenore dell' accennata costituzione, come in vigore del moto proprio della Santità di Nostro Signore Papa Pio VII. felicemente regnante nel dì 19. marzo 1801. sotto il §. 18. *Elenco delle gabelle ec.* spetta l'introito di dette pene alla comunità; sarà quindi per la loro esigenza deputato ogni anno dal pubblico consiglio coll' intesa della sagra congregazione del Buon Governo un camerlengo a parte, dal quale verrà incassato il denaro proveniente da questa rendita, colla proibizione a questo di condonare, o rimettere anche in parte la pena senza il consenso, e permesso in scritto di tutti li pubblici rappresentanti *pro tempore* fino alla terza parte, e sopra questa del pubblico generale consiglio, dal quale non dovrà attendersi il ricorso, se non fatto prima il deposito dell' intera dovuta somma. Al detto camerlengo poi incomberà di fare della esatta pena la ricevuta al dannificante, la quale dovrà esibirsi, e prodursi negli atti per ottenere il decreto assolutorio, che non potrà mai dal giudice senza quella interporsi, ed emanarsi. Il notaro attuario poi di queste cause dovrà in appresso essere privativamente quello del secondo titolo degli officj civili, derogandosi a quanto su ciò si è finora praticato.

XX.

De vetita extensione decretorum in citationibus in audientia non lectis.

§. 21. Sia assolutamente proibito ai notarj di apporre, e stendere verun decreto nelle citazioni, e comparse, le quali non saranno state effettivamente lette nell'udienza, ancorchè vi fosse il consenso dei difensori di ambe le parti, a riserva di quelli pochi decreti, che vanno in forma, come nella citazione *contra jura, ad terminos substantiales, et ad sententiam*, dichiarandosi nullo,

e di niuna efficacia, e valore qualunque decreto, che non sarà stato apposto, e steso di ordine, e consenso espresso del giudice, ed incorso in seguito il notaro delinquente nella pena della privazione dell' officio di notaro attuario, e di altre ad arbitrio del giudice.

XXI.

De casibus non contemplatis.

§. 22. In tutti li casi non preveduti, e non specificati nella presente riforma dovrà osservarsi la pratica, e forma dei giudizj approvata, ed osservata nel tribunale dell' A. C. di Roma

XXII.

De comprehensione feudorum Papigni, et Mirandae, sub nova reformatione.

§. 23. Questa forma, ed ordine di giudizj dovrà altresì onninamente osservarsi anche nelle cause, e liti delli due feudi della città, *Papigno*, e *Miranda*, la di cui decisione appartiene in prima istanza alli due respettivi podestà.

DE TAXATIONE HONORARIORUM

I.

De taxatione honorariorum

§. 24. Si dovrà in appresso nella soddisfazione degli onorarj e respettivamente degli emolumenti, e propine osservare la tassa, che avutasi in considerazione la nuova più breve, e spedita forma dei giudizj con altre particolari ragioni, e conciliato quindi il vantaggio dei litiganti coll' interesse dei difensori, è stata stabilita, e fissata, e sarà registrata in fine dei presenti decreti, ordinandosi, che rimaner debba per pubblica norma affissa sempre colli stessi decreti nelli officj dei notarj attuarj, e nelli due pubblici archivj.

II.

De citatione taxari.

§. 25. Si proibisce fare la tassa delle spese nella spedizione della causa, in cui potrà soltanto riservarsi colla solita clausola, *quarum taxationem nobis, vel cui de jure in posterum reservamus*, per effettuarla, quando resteranno le mani libere, ed allora formata, e messa negli atti la nota delle spese dovrà citarsi *qualiter fuit producta notula, ideo taxari etc.*, dopo di che potrà dall' altra parte litigante citarsi *moderari*, quando si creda gravante la tassa.

DE REDUCTIONE FERIARUM

I.

De reductione feriarum.

§. 26. Per l' esecuzione non meno reale, che personale dei mandati rilasciati, e spediti nelle cause non eccedenti il valore di scudi venti il privilegio della fiera detta di s. Valentino non dovrà valere più di tre giorni continui, come si pratica per le altre fiere della città, e lo stesso si osservi per li mandati spediti nelle cause privilegiate tanto per disposizione di ragione enunciate, e specificate di sopra nel decreto 4., per legge speciale emanata, ed approvata da legittima autorità. Per li mandati poi sopra la somma di scudi venti il privilegio suddetto in onore del santo protettore vaglia per otto giorni continui solamente, scorsi li quali sia valida qualunque esecuzione.

II.

Idem ut supra

§. 27. Dovranno restringersi le ferie ampliate con pregiudizio dei litiganti, e con ritardo della giustizia, sicchè dovrà osservarsi la nota riportata nel fine della presente riforma, che contiene l' elenco di quei giorni, nei quali oltre le feste di precetto, vacarà il tribunale, restando tutti gli altri giuridici; qual nota, impressa in fine, come sopra, dovrà tenersi sempre affissa a pubblica vista in ciascuno degli officj dei quattro notarj, nelli due publici archivi, e nel banco de' cursori.

DE AUDIENTIIS,
ET INFORMATIONIBUS
ORDINARIIS

I.

De audientia ter in hebdomada habenda

§. 28. L' udienza ordinaria si dovrà tenere tre volte la settimana, cioè nel lunedì, mercoldì, e sabato; e nel martedì, e venerdì si dovrà tenere l' informazione sulle cause rimesse alla lista, allorchè vi saranno le allegazioni in iscritto di ambe le parti litiganti; quando però non

siano giorni feriali, o festivi di precetto, e nel giovedì sarà vacanza secondo il solito.

II.

De audientia pro citationibus in forma.

§. 29. Anche nei giorni, nei quali non si tiene l' udienza ordinaria, se non saranno feriali, dovranno cadere le citazioni, o comparse, in cui il decreto va in forma, ed avranno corso gli atti giuridici della stessa natura, ad effetto che resti così sempre più sollecita, e libera le spedizione delle cause.

III.

De proservato pro hora certa habendo

§. 30. Se crederà il giudice di tenere un *proservato* anche *pro hora certa* per suo comodo, sia proibito ai notarj attuarj di percepire il doppio, che a norma dell' antico stile di questo foro lasciato in vigore, dovrà aver luogo solamente nelle citazioni *pro hora certa*, come resta prescritto in esclusione del viatico per le cause dei tribunali di Roma nel decreto 47. sotto il più volte indicato titolo della divisata pontificia costituzione

DE PROCURATORIBUS, EORUMQUE REQUISITIS PRO FORI EXERCITIO

I.

De procuratoribus, eorumque requisitis pro fori exercitio.

§. 31. Sia assolutamente inabilitato a comparire, ed attitare anche sotto nome altrui nei tribunali civili di questa città tanto in prima, che in ulteriore istanza chiunque non giustificato in primo luogo di avere per cinque anni almeno frequentato lo studio di uno de' curiali approvati, ed esercenti coll' attestato di questo, e premesso in seguito un formale, e congruo esame sulla di lui abilità nelle materie legali tanto rapporto alla teoria, quanto alla pratica da farsi da uno dei dottori più anziani, ed accreditati, e da due approvati, ed esercenti curiali avanti l' illustrissimo, e reverendissimo monsignor vescovo, e l'illustrissimo signor vicegerente *pro tempore* a norma del solito, e dell' antica riforma del 1727., non sia stato approvato, non che verificata altresì l' onesta sua condizione, ed il suo contegno, non abbia dalli stessi monsignor vescovo, e signor vicegerente riportata in iscritto l' opportuna licenza da registrarsi nell' elenco de' curiali approvati dal foro di questa città, come per i tribunali di Roma è stato prescritto nel decreto 44. sotto il più volte accennato titolo della divisata pontificia costituzione, dichiarando però eccettuati quelli, che da dieci anni a questa parte compariscono, ed attitano col proprio nome, e sono stati già in passato ammessi, ed approvati come ancora quelli, che hanno antecedentemente attitato col proprio nome nella curia Innocenziana di Roma, a quali non ostando sostanziali eccezioni, sarà senza nuovo esame accordata la licenza come sopra.

II.

De alumnis procuratorum.

§. 32. Sia permesso ai curiali approvati, come sopra, e che terranno aperto il loro studio, di servirsi di uno, o più giovani, i quali potranno nelli contradittorj, e negli atti comparire, ed agire per il loro principale, e fare sotto il di lui nome le sue veci, con che però debba sempre il principale restare mallevadore di qualunque colpa, o mancanza commessa dal giovane, nella di cui scelta dovrà perciò essere cauto, ed accorto col non prendere per il suo studio soggetti, de' quali non possa ripromettersi.

III.

De jure doctorum agendi causas

§. 33. Potranno li cittadini dottori, ossiano laureati nell' uno, e nell' altro diritto in qualunque pubblica università esercitare personalmente la curia, ed aprire a tal' effetto lo studio, tenendo per esso li giovani, come si è stabilito nel decreto precedente, ma non sarà ai medesimi ulteriormente permesso d' imprestare il proprio nome per l' esercizio della curia, come si è finora malamente praticato.

IV.

De documentis a causidicis, notariis

§. 34. Se un curiale approvato, ed ammesso, come sopra, avrà o prima, o dopo la sua ammissione otte-

non extrandis pro clientibus nuto, e riportato il privilegio del notariato, non potrà mai fare alcun rogito per la legalità dei documenti inservienti alla difesa delle cause da esso patrocinate, ordinandosi espressamente, che non debbano mai quelli valutarsi, ed attendersi a favore del suo cliente, eccettuati soltanto li documenti già da esso rogati, e pubblicati molto prima dell'assunta clientela, e lo stesso dovrà militare rapporto alli di lui attuali giovani per le cause dello studio.

DE NOTARIIS ACTUARIIS, EORUMQUE ELECTIONE

I.

De subrogatione notariorum §. 35. Mancando qualunque dei notarj attuarj dei quattro titoli, dovrà in ogni vacanza surrogarsi, e deputarsi quel notaro, che previo l'esame sulla di lui abilità da farsi avanti al giusdicente locale, e alli pubblici rappresentanti *pro tempore*, da due notarj attuarj coll' assistenza, ed intervento di un curiale approvato, ed esercente, e verificati li requisiti degli onesti natali, e buoni costumi, e di essere stato per quattr' anni almeno con comune approvazione per sotituto in un offizio delli stessi notarj attuarj, sarà riputato il più capace, ed idoneo per esercitare l' offizio del vacante titolo, che dovrà essergli in seguito dal magistrato della città, a cui spetta, nelle solite forme conferito, ed attribuito. Entrato poi che sarà nell' esercizio del suo officio, gli sia assolutamente proibito di comparire sotto qualunque nome, e per qualsivoglia pretesto in qualità di difensore, e prendere veruna parte nelle cause, e liti attitate tanto nel suo, che negli officj degli altri connotarj, come pure di ritenere contemporaneamente, ed esercitare altro pubblico impiego, sotto pena nel primo caso della privazione, ed inabilitazione *ipso facto*, nel secondo della rimozione dall' officio di notaro attuario, e di altre ad arbitrio.

II.

De munere notarii prioris tituli. §. 36. Il notaro del primo titolo dovrà privativamente attitare nelle cause civili delli due feudidella città Papigno, e Miranda, ed essere quindi notaro attuario delli respettivi due podestà, dovendosi in appresso la cancelleria criminale delli stessi feudi conferire separatamente ad un altro soggetto, che verrà prescelto fra li più idonei, e capaci per gli atti, e processi criminali, salvo sempre i diritti, e privilegj competenti alla prefettura degli archivj di Roma a seconda dei bandi generali, e costituzioni apostoliche, per tutto ciò, ch'è prescritto riguardo ai notarj, così in questo, nome nei seguenti capitoli.

DE SUBSTITUTIS DICTORUM NOTARIORUM, EORUMQUE ADMISSIONE

I.

§. 37. Sia proibito espressamente ai notarj di ricevere nel loro officio per sostituto persone, che non siano munite dell' approvazione in iscritto del giusdicente locale, e delli pubblici rappresentanti *pro tempore*, e non siano stati per voti segreti accettate, ed approvate da essi notarj attuarj, o dalla maggior parte di loro; avvertendosi, che dovranno i medesimi rimanere sempre garanti e mallevatori di qualunque mancanza, e pregiudizio che potesse dai sostituti commettersi nell' esercizio del loro officio. De substitutis notariorum

II.

§. 38. Siano assolutamente inabilitati li sostituti dei notarj attuarj di comparire giammai nelle cause e liti civili in rappresentanza di difensori sotto nome di qualunque accreditato curiale, non che in figura di giovane del suo studio, avvertendosi, che in caso contrario si procederà contro di essi colla pena della privazione dell' officio, e con altre ad arbitrio del giusdicente locale, come resta ancora prescritto nel decreto 47. sotto il più volte indicato titolo della divisata pontificia costituzione. De munere substitutorum

DE CUSTODIBUS UTRIUSQUE ARCHIVII, EORUMQUE DEPUTATIONE.

I.

De custodibus utriusque archivii.

§. 39. Mancando l'archivista, ossia il custode dell' archivio apostolico, dovrà questo conferirsi a uno dei notarj attuarj più anziani, che vorrà passare a detto impiego, e che sarà prescelto dal magistrato della città coll'intelligenza del giusdicente locale. Sarà questo tenuto prima di entrare all' esercizio del suo officio di sottoscrivere l' inventario esatto di tutti li protocolli, e scritture in esso esistenti da formarsi da uno, o più soggetti atti, onesti e capaci, che verranno destinati da due deputati da eleggersi a quest' effetto dal pubblico generale consiglio con tutte le facoltà per tener quindi il tutto in consegna, e restituirlo, e riconsegnarlo, quando sarà di bisogno; ed avrà poi l' obbligo tanto la mattina per tre ore consecutive prima del mezzo giorno, come il dopo pranzo dalle ore 21. fino alle ore 23., esclusi tutti li giorni festivi, il giovedì di ciascuna settimana, quando vaca, ed il dopo pranzo dei giorni, ne' quali restano chiusi i tribunali, a norma dell' elenco, ossia nota registrata in fine della presente riforma; di tenere aperto a pubblica comodità secondo il solito il detto archivio, ed invigilare colla sua presenza, ad assistenza per l' esatta, e fedele di lui custodia.

II.

De deputatione archivistarum.

§. 40. L' archivio civile dovrà essere nelle vacanze dal magistrato attuale conferito ad uno de' sostituti degli offici dei quattro titoli, che sarà riputato il più idoneo, e meritevole, ed avrà riportata l'approvazione in scritto delli quattro notarj attuarj, ed ottenuto in seguito dall'autorità, a cui spetta il privilegio del notariato. Il medesimo poi avrà l'obbligo di prenderne la consegna con sottoscriverne l'inventario da formarsi, come si è detto di sopra, e disposto per l' archivio apostolico, e di tenere aperto colla presenza, ed assistenza sua l' archivio suddetto a pubblica comodità tre giorni la settimana, cioè, nel lunedì, mercoledì, sabbato, quando non siano giorni festivi, e giorni eccettuati nel precedente decreto 1. di questo titolo nelle stesse ore prescritte di sopra all' altro archivista.

DE OFFICIORUM, ET ARCHIVIORUM VISITATIONIBUS

I.

De visitatione officiorum et archiviorum.

§. 41. Dal giusdicente locale unitamente col magistrato *pro tempore*; e colla congregazione deputata per quest' effetto, e composta delli due podestà *pro tempore* dei castelli di Papigno, e Miranda, del giudice eletto dal pubblico generale consiglio a norma del decreto 10. sotto il tit. *de praxi, et for. judic.* dell'avvocato, e del curiale della città, e del difensore dei poveri, si dovrà fare ogni trimestre la visita delli quattro offizj civili, e delli due archivj per riconoscere, se resta il tutto adempito secondo le leggi, e trovandosi abusi; dare a questi il pronto conveniente riparo con emanare quegli ordini, e decreti che saranno espedienti a tal fine, come per l'offizi di Roma resta prescritto nel decreto 46. sotto l' anzidetto titolo *de jurisdictionibus tribunalium civilium* della divisata costituzione. Li detti decreti, ed ordini poi dovranno formalmente stendersi dal segretario della comunità, che dovrà a tal uopo intervenire alla visita, e sottoscriversi da tutti li visitatori in un protocollo intitolato *atti, e decreti emanati nelle visite degli offizj, ed archivj* da conservarsi nella segretaria priorale sotto pena al magistrato, che tralascerà di fare la visita, o trascurerà la pronta, ed esatta esecuzione degli ordini, e decreti in essa emanati, della sospensione per un' anno dopo terminata la magistratura della voce attiva, e passiva in tutti li pubblici affari, qual pena sarà cura de' conservatori delle leggi da estrarsi ogni anno dal solito bussolo d' invigilare, e procurare, che venga eseguita, ed abbia quindi il pieno suo effetto.

DE CURSORUM ONERE.

I.

De onere cursorum.

§. 42. Debbano sempre li due pubblici cursori il viaggio ordinario che dovrà dividersi per metà fra loro dentro la città con costituire per termine medio la pubblica piazza del palazzo apostolico, assolutamente effettuare nel giorno antecedente all' udienza, in cui devono cadere le citazioni, cominciando dalle ore 24. del divisato giorno dopo la dimora fatta per due ore consecutive prima del viaggio nel banco per essi destinato, come pure trattenersi ivi alternativamente nei giorni feriali un' ora almeno prima del mezzo giorno la mattina, ed un' ora nel dopo pranzo prima dell' ore 23. per comodo della curia, e de' litiganti sotto una pena pecuniaria in caso di mancanza ad arbitrio del giusdicente locale, e del magistrato *pro tempore*, ed anche di privazione di officio, quando faccia di bisogno, come per li cursori di Roma è stato pure prescritto nel decreto 48. sotto il poc' anzi indicato titolo della costituzione pontificia.

DE FORO CRIMINALI

De foro criminali.

§. 43. Se la brevità, e speditezza, non che l' integrità degli atti convengono nelle cause civili, molto più sono necessarie nelle cause criminali, ove restano compromesse le persone, e si tratta della punizione dei delitti, ed in conseguenza della sicurezza della società, e quindi della pubblica indennità.

I.

De forma servanda in capturis.

§. 44. Le catture non dovranno farsi, se non coi *capiatur* sottoscritti, e firmati dal superiore locale sotto pena al cancelliere in caso contrario della privazione dell' officio, ed altre ad arbitrio, eccettuato soltanto il caso, in cui il reo fosse preso in fraganti.

II.

De custodia reorum.

§. 45. Seguito l' arresto dei rei dovranno questi costituirsi, ed esaminarsi, e dovrà successivamente senza ritardo continuarsi l' esame de' testimonj indotti, e formarsi la processura coll' abbreviazione delle formole, e colle regole prescritte nei decreti 23. 24., e 28. sotto il titolo *de jurisdictionibus tribunalium*, *et judicum criminalium* nella divisata costituzione del regnante pontefice.

III.

De cassatione querelarum.

§. 46. Le cassazioni delle querele non potranno aver luogo se non nell' atto dell' emanato decreto assolutorio, che dovrà esser firmato, e sottoscritto dal superiore locale sotto pena al cancelliere in caso contrario della privazione dell' officio, ed altre ad arbitrio.

IV.

De vigore adhibendo in querelis damni dati.

§. 47. Nelle cause di danno dato studioso, e manuale ove ha luogo l' azione criminale, dovrà procedersi col massimo rigore per togliersi in tal guisa il disordine reso al presente comune, e frequente di devastare le campagne, e pregiudicare alle semente e piantagioni, ed in ispecie in questo territorio a quelle degli olivi, contro anche le speciali disposizioni su ciò emanate nel moto proprio segnato li 21. maggio 1801. dalla Santità di Nostro signore papa PIO VII. al cap. V. §. 48,

V.

De visitatione carceratorum.

§. 48. Dovrà farsi nel principio di ogni mese la visita delle carceri, e dei carcerati a norma del decreto 42. sotto già l' indicato titolo *de jurisdictionibus tribunalium*, *et judicum criminalium* della divisata pontificia costituzione, ed in seguito trasmettersene la relazione alla sagra Consulta a norma dell' anzidetto decreto.

VI.

De electione defensoris reorum.

§. 49. Il difensore dei rei dovrà secondo il solito eleggersi dal pubblico consiglio fra li soggetti più abili, e capaci per l' esercizio di quest' impiego, e sarà sua cura di patrocinare le cause dei rei, acciò non siano aggravati, e d' insistere pel loro disbrigo, come resta prescritto nel decreto 33. sotto il più volte riferito titolo della pontificia costituzione.

VII.

De electione cancellarii criminalis, et honorario eidem solvendo.

§. 30. Sarà deputato secondo il solito dalla comunità il cancelliere del governo, scegliendosi persona nota, e sperimentata in questa materia per capacità non meno, che per onestà, ed integrità, e siccome in passato erano state al medesimo cedute in compenso dalla comunità le pene del danno dato, dovrà perciò in appresso, attesa la disposizione fatta col decreto 13. sotto il titolo *de praxi, et forma judiciorum*, come sopra, assegnarsigli dalla stessa comunità un congruo mensuale assegnamento da prendersi o dalla cassa delle medesime pene, o da altra in caso di bisogno, come verrà precisamente determinato dal pubblico consiglio.

VIII.

Item pro feudis Papigni, et Mirandae.

§. 31. Anche al cancelliere delli due feudi Papigno, e Miranda da scegliersi coi requisiti di sopra indicati, dovrà aumentarsi l' assegnamento mensuale in una somma congrua, e conveniente, che potrà similmente prendersi, e destinarsi, come sopra, e dovrà altresì al medesimo assegnarsi privativamente una stanza del pianterreno del palazzo priorale per collocarvi stabilmente la cancelleria da tenersi aperta tutte le mattine per due ore almeno prima del mezzo giorno.

IX.

De communicatione legum pro curiis feudalibus.

§. 32. Nelle cause criminali delli suddetti due feudi dovranno pure aver luogo tutte le rispettive disposizioni di sopra emanate, da osservarsi quindi dalli due respettivi podestà, e ministri subalterni delle curie criminali de' feudi medesimi. Dato dal palazzo priorale questo dì 27. giugno 1804.

Giacomo Amati vicegerente « Francesco Maria avvocato Febei priore « Ottaviano Liannazza priore » Francesco Angelo Pelucca podestà di Miranda « Gioacchino Petrucci avvocato de' poveri deputato « Andrea Saverio Salvatucci deputato « Sebastiano Graziani deputato « Giovanni Capocci cap. Camporeali deputato « T. Montani segretario.

Hae reformationes die xxi. novembris anni superioris a dilectis filiis Josepho Bocci vicesgerente, nec non a Stephano Fabrizi, Ignatio Gazzoli, Josepho Febei, et Josepho Mazzitelli prioribus, atque a Hyacintho Bartoli secretario signatae iterum subjectae fuerunt examini, et sanctioni congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis civitatum, et terrarum status Nostri pontificii praepositorum, addita descriptione taxae propinarum, et emolumentorum in causis, ut sequitur.

AI SIGNORI GIUDICI

Taxa propinarum pro judicibus.

§. 33. Per propina nella spedizione delle cause, che non superano il valore di scudi cinque, compresa la sottoscrizione del mandato, dovranno pagarsi bajocchi trentasette e mezzo.

Per simile nelle cause risguardanti un valore fino a scudi venti, compresa la sottoscrizione, come sopra, dovranno pagarsi paoli dieci, e mezzo.

Per simile nelle cause dalli scudi venti fino alli scudi cento compreso, come sopra, paoli sedici, e mezzo.

Per simile dalli scudi cento sino a qualunque somma compreso, come sopra, si accresca bajocco uno, e mezzo per ogni scudo, ossiano per ogni dieci paoli, purchè l'intera somma della propina non superi li scudi settanta.

Per la rilassazione del mandato *de immittendo* colla clausola *dummodo* ec. dovranno pagarsi paoli dieci, e mezzo.

Per la sottoscrizione del mandato esecutivo rilasciato per decreto interlocutorio bajocchi quindici.

Per simile degli altri mandati di qualunque genere, e specie, dei bannimenti, della citazione per la confezione dell' inventario, della notula delle spese, e di altri atti, che devono dal giudice sottoscriversi bajocchi venti.

Per l' *exequatur* apposti nei mandati spediti nella curia, e nelle citazioni, che devono in essa riprodursi, bajocchi cinque.

Per simile nei mandati spediti in altra curia, e nelle citazioni, che devono in altra curia riprodursi bajocchi venti.

Per la risposta al partito *litis* decisivo data avanti al giudice bajocchi dieci.

Per la risposta data avanti al giudice alle posizioni dovranno pagarsi fino all' ottava posizione bajocchi trenta, di poi si accrescano bajocchi cinque per ciascuna posizione

Per l'esame de' testimoni *sub unico, et brevi*, si dovranno pagare per ciascun testimonio bajocchi trenta.

Per l' esame de' testimonj condotti avanti al giudice in vigore del decrèto 2. di questa nuova riforma, dovranno pagarsi per ciascun testimonio bajocchi dieci.

Per l'istromento pretoriale *ex officio* bajocchi trenta.

Per l'accesso sulla faccia del luogo controverso, se questo resta situato dentro la città, si paghino scudi due, ossiano paoli venti, non compreso però l' onorario delle sessioni, che dovranno calcolarsi alla ragione di bajocchi cinque per ciascuna sessione, la quale dovrà essere composta di due intieri fogli formati di novantadue righe per ogni foglio.

Per simile fuori della città non compreso, come sopra, scudi quattro

Nelle cause commesse *tamquam in prima*, e nelle cause remissoriali, ed esecutoriali per ordine de' tribunali supremi dovrà pagarsi il doppio: eccettuate soltanto l' esecuzione delle lettere della sagra visita da effettuarsi *gratis*, e senza alcun pagamento.

ALLI SIGNORI CURIALI

Similia pro curialibus.

§. 54. Per le propine dovrà pagarsi la metà della somma dovuta al giudice, come sopra, nella spedizione delle cause.

Per l' onorario di ciascuna istanza promossa a tenore di questa nuova riforma, compresa la copietta della citazione, che si lascia dal cursore al citato, e che dovrà dal curiale a quello consegnarsi, e comprese le intimazioni, dovranno pagarsi bajocchi venti.

Per l'onorario nell'istanze *pro hora certa* dovrà pagarsi il doppio.

Per l' estenzione del libello bajocchi trenta.

Per la comparsa nel proservato in camera bajocchi trenta.

Per le informazioni in voce contumaciali, che vanno in forma bajocchi quaranta per ciascuna: per le altre poi tenute colle scritture di ambe le parti paoli dodici per ciascuna informazione.

Per l' estensione del partito *litis* decisivo bajocchi venti

Per l' estensioni delle posizioni prodotte negli atti bajocchi novanta.

Per l' estensioni dell' interrogatorio per l' esame *sub unico, et brevi* di un testimonio bajocchi sessanta, se più sono i testimonj bajocchi trenta per ciascuno.

Per l' estensioni degli interrogatorj per l' esame formale di un testimonio bajocchi sessanta, degli altri testimonj poi bajocchi trenta per ciascuno.

Per l' onorario dell' interprete deputato per l' esame formale dei testimonj paoli dieci per ogni testimonio.

Per la presenza, ed assistenza nella confezione dell' inventario dovranno pagarsi per ciascuna sessione bajocchi sessanta.

Per l'onorario nell'istromento di delibera bajocchi sessanta.

Per l' accesso su la faccia del luogo controverso, se questo sarà situato dentro la città, si paghi la metà dell' onorario fissato al giudice, come sopra, non compreso similmente l' onorario delle sessioni, che dovrà calcolarsi sulla stessa somma assegnata, come sopra, al giudice.

Per l'appellazione interposta negli atti bajocchi quindici.

Per l' estensione della cedola di sentenza nelle cause esecutive bajocchi trenta; nelle sommarie, ed ordinarie bajocchi sessanta; ed in quelle di concorso paoli dieci.

Nelle cause di ricorso, e nelle cause remissoriali, ed esecutoriali commesse dai tribunali supremi dovrà in tutti gli atti pagarsi il doppio, eccettuati però quelli fatti per l'esecuzione delle lettere della sagra visita, nei quali dovrà esigersi il semplice emolumento di bajocchi quindici per ciascuna comparsa.

Nelle cause criminali dovrà in tutte esigersi il doppio.

Per lo spoglio, e visura de' processi, e documenti, diligenze, allegazioni in scritto, e loro sommarj, congressi, ed altre funzioni estragiudiziali dovrà pagarsi l'onorario, che in

caso di controversia sarà tassato dal perito curiale deputato dal giudice.

ALLI SIGNORI NOTARJ ATTUARJ

Similis pro notariis actuariis.

§. 33. Per la riproduzione di qualunque giudizio di prima istanza compreso il registro delle intimazioni dovranno pagarsi bajocchi otto per ciascuna citazione.

Nelle istanze *pro hora certa* si dovrà il doppio.

Per la riproduzione de' documenti, protesta, e comparsa negli atti di qualunque specie bajocchi sei.

Per comparsa negli atti, in cui vi sia il rogito dell'attuario bajocchi quindici.

Per l'apposizione del libello bajocchi quindici.

Per la copia pubblica del medesimo libello bajocchi quindici.

Per l'apposizione del partito *litis* decisivo colla risposta data avanti al giudice bajocchi venti.

Per il rogito delle risposte date alle posizioni dovranno pagarsi fino all' ottava posizione bajocchi sei per ciascuna, e sopra l'ottava bajocchi tre per ogni posizione.

Per la copia publica di dette posizioni si paghino bajocchi trenta per ciascun foglio, che dovrà esser formato di 23. righe in ciascuna pagina, ognuna delle quali righe dovrà contenere quaranta lettere almeno, sicchè ogni foglio dovrà esser composto di novantadue righe.

Per rogito dell' esame de' testimonj *sub unico, et brevi* si dovranno bajocchi quindici per ciascun testimonio.

Per rogito della deposizione de' testimonj condotti avanti il giudice, che deve registrarsi negli atti a tenore del decreto 2. sotto il titolo *de forma, et praxi judiciorum* della presente riforma, dovranno pagarsi bajocchi dieci per ogni testimonio.

Per rogito dell'esame formale de' testimonj si dovranno bajocchi cinquanta per ogni testimonio.

Per la comparsa negli atti fatta per l' adizione dell' eredità col beneficio della legge, e dell'inventario bajocchi dieci.

Nella confezione dell' inventario dovranno pagarsi bajocchi sessanta per ogni sessione.

Per l' estensione di qualunque editto da publicarsi per ordine del giudice bajocchi quindici.

Per la relazione fatta negli atti dall'esecutore bajocchi dieci.

Per simile fatta negli atti dal cursore del giudizio delle diligenze bajocchi cinque. Per l'estensione, e riproduzione dell'editto del giudizio di subasta bajocchi dieci.

Per rogito di qualunque decreto definitivo, o sentenza bajocchi trenta.

Per la copia pubblica del detto decreto, o sentenza bajocchi quindici.

Per la confezione della notula delle spese, a qualunque somma ascenda, bajocchi dieci.

Per la spedizione del mandato fino alla somma di scudi venti bajocchi cinque.

Per la spedizione del mandato da scudi venti a qualunque somma, come ancora per la spedizione di altri mandati di qualunque genere, e specie bajocchi dieci.

Per copia de' medesimi bajocchi dieci.

Per l'estensione del sequestro bajocchi dieci.

Per l' estensione, ed apposizione della relazione di qualunque esecuzione reale bajocchi quindici.

Per l' apposizione dell'appellazione negli atti bajocchi cinque.

Per copia pubblica della medesima bajocchi quindici.

Per l'onorario delle sessioni nell' acceso formale sulla faccia del luogo controverso, che dovranno computarsi, e ragguagliarsi nella maniera stabilita di sopra per i giudici, e procuratori, bajocchi trenta per ogni sessione.

Per rogito della deposizione di un testimonio dovranno pagarsi bajocchi quindici, e se più sono i testimonj, si accreschino bajocchi cinque per ciascuno.

Per rogito della perizia di un perito dovranno pagarsi bajocchi venti; se più sono i periti si accreschino per ognuno bajocchi cinque.

Per l' estratto degli atti dovranno pagarsi bajocchi trenta per ogni foglio, di cui ciascuna pagina dovrà essere formata di ventitre righe, composte di quaranta lettere almeno per ogni riga, sicchè l'intero foglio dovrà essere formato da novantadue righe.

Nelle cause di ricorso, e nelle cause esecutoriali, e rimissoriali per ordine de' tribunali supremi si paghi il doppio, eccettuati soltanto gli atti fatti per l' esecuzione delle lettere della sagra visita, per i quali dovrà esigersi il semplice emolumento, come sopra, tassato.

Per la copia pubblica degli atti, e documenti prodotti, se non supera un foglio composto di righe novantadue, come sopra, dovranno pagarsi bajocchi dieci per ciascun' atto, se lo supera, si osservi in tutto la tassa de' processi come sopra.

ALLI CURSORI

Similis pro cursoribus

§. 56. Per le citazioni, ed intimazioni di qualunque genere, e specie, eseguite dentro la città dovrà pagarsi un bajocco per ciascuna.

Per le citazioni *pro hora certa* eseguite dentro la città bajocchi due.

Per le citazioni nelle cause di ricorso eseguite dentro la città bajocchi due.

Per citazioni *pro hora certa* eseguite nel territorio rurale bajocchi dieci.

Per la citazione *ad costituendum procuratorem* eseguita nel territorio, come sopra, nei luoghi, che non sono, distanti più di un miglio dalla città, bajocchi cinque.

Per simile nei luoghi posti sopra il miglio bajocchi dieci.

Per l' esecuzione reale fatta sopra beni, e capitali esistenti dentro la città dovranno pagarsi bajocchi dieci per ogni fondo, o capitale.

Per simile sopra beni, e capitali esistenti fuori della città bajocchi venti per ciascuno.

Per l' esecuzione del monitorio, o sia libello dentro la città bajocchi cinque.

Per simile fuori di città bajocchi dieci.

Per l' esecuzione delle citazioni avanti i supremi tribunali della Segnatura, A.C. ed altri simili dentro la città bajocchi cinque.

Per simile fuori della città bajocchi dieci.

Per l' esecuzione delle citazioni coll' *exequatur* dei nostri signori giudici dentro la città bajocchi cinque.

Per simile fuori della città bajocchi dieci.

Per la presentazione della copia di qualunque mandato coll' *ostendatur* dentro la città bajocci due.

Per simile nel territorio rurale ne' luoghi, che non sono lontati più di un miglio bajocchi cinque.

Per simile nei luoghi sopra il miglio bajocchi dieci.

Per l' esecuzione del sequestro, del mandato *de consignando*, e di altri simili atti dentro la città bajocchi due.

Per simile nel territorio rurale nei luoghi fino al miglio, come sopra, bajocchi cinque.

Per simile nei luoghi sopra il miglio, bajocchi dieci.

TASSA NELLE CAUSE CRIMINALI

§. 57. Per decreto assolutorio dalle pene *corporis afflictive*, dovranno pagarsi al giudice paoli quindici. Similis in causis criminalibus.

Al cancelliere la metà, cioè bajocchi settantacinque.

Per il decreto assolutorio delle querele date per pugni, o per contumelie, ed in tutte le cause, nelle quali non entra la pena afflittiva del corpo, dovranno pagarsi al giudice bajocchi settantacinque.

Al cancelliere bajocci quaranta.

Per il decreto assolutorio nelle cause remissoriali per ordine della sagra Consulta dovranno pagarsi al giudice scudi tre.

Al cancelliere la metà, cioè, paoli quindici.

ALLI BIRRI.

§. 58. Per l' esecuzione personale dentro la città dovranno pagarsi bajocchi cinquanta. Similis pro armata familia.

Per l'adducazione dentro la medesima città bajocchi venticinque.

Fuori della città si paghi il doppio per l' una, e per l' altra.

Nelli delitti dell' omicidio, e del furto, nei quali concorrono l' indizj a turtura si paghi il premio agli esecutori a norma del *decreto* 47. sotto il titolo *de jurisdictionibus tribunalium, et judicum criminalium* della costituzione *Post diuturnas* del regnante sommo pontefice Pio VII.

Per l' esecuzione personale fatta in vigore di un mandato civile dentro la città bajocchi venti.

Fuori della città bajocchi quaranta.

Per l' esecuzione reale dentro la città bajocchi dieci.

Fuori della città bajocchi venti:

Ac demum addito feriarum quoque indice hujus tenoris.

GENNARO

1 Circoncisione di N. S. Gesù Cristo.
6. Epifania.
14 Santissimo nome di Gesù
17 S. Antonio abbate
18 Cattedra di s. Pietro
25 Conversione di s. Paolo

FEBRARO

2 Purificazione della b. vergine Maria
14. S. Valentino vescovo, e protettore
22 Cattedra di s. Pietro in Antiochia
24 S. Mattia apostolo

MARZO

In tutti li venerdì di ciascuna settimana
12 S. Gregorio papa
19 S. Giuseppe
25 Annunziazione della b. vergine Maria

APRILE

14 S. Procolo vescovo, e comprotettore
25 S. Marco

MAGGIO

1 SS. Filippo, e Giacomo
3 Invenzione della santissima Croce
8 Apparizione di s. Michele Arcangelo
26 S. Filippo Neri

GIUGNO

11 S. Barnaba apostolo
13 S. Antonio di Padova
21 S. Luigi Gonzaga
24 Natività di s. Giovanni Battista
29 SS. Pietro e Paolo apostoli
30 Commemorazione di s. Paolo

LUGLIO

2 Visitazione della beata vergine Maria
22. S. Maria Maddalena
23 Traslazione del corpo di s. Valentino protettore
25 S. Giacomo
26 S. Anna

AGOSTO

1 S. Pietro in vincula
2 S. Maria degli Angeli
5 La Madonna santissima della Neve
6 Trasfigurazione di N. S. Gesù Cristo
10 S. Lorenzo protomartire.
14 Feria
15 Assunzione della b. vergine Maria
16 S. Rocco
17 S. Anastasio vescovo, e protettore
25 S. Bartolomeo
28 S. Agostino
29 Decollazione di s. Giovanni Battista
31 Apertura della chiesa cattedrale

SETTEMBRE

8 Natività della b. vergine Maria
14 Esaltazione della santissima Croce
21 S. Matteo apostolo
29 S. Michele Arcangelo

OTTOBRE

2 S. Angelo Custode
4 S. Francesco di Assisi

NOVEMBRE

1 Tutti li Santi
2 Commemorazione de' morti
9 Dedica della basilica di s. Valentino
11 S. Martino
14 Patrocinio della b. vergine Maria
21 Presentazione della b. vergine Maria
30 S. Andrea Apostolo

DECEMBRE

6 S. Nicolò
8 Concezione della b. vergine Maria
10 Venuta della s. Casa di Loreto
13 S. Lucia
21 S. Tommaso Apostolo
25 Natività di N. S. Gesù Cristo

GIORNI FERIATI

Per la mietitura

Dalla vigilia della Natività di s. Giovanni Battista fino al giorno 31. luglio inclusive.

Per le vendemmie

Dal giorno 21 settembre fino al giorno 15 ottobre inclusive.

In queste ferie però della mietitura, e vendemmie restano eccettuate le cause non superanti il valore di paoli dieci individuate nel decreto 2. sotto il titolo *de praxi, et forma judiciorum* della presente riforma, le privilegiate specificate nel decreto 4. sotto l' anzidetto titolo della stessa riforma; le sommarie, ed esecutive di qualunque specie, e quelle, in cui è già dal giudice tenuto preventivamente il proservato.

VACANZE

Di carnevale

Per otto giorni continui prima delle Ceneri inclusivamente

Della Pasqua di Resurrezione

Dal giorno della domenica delle Palme fino alla domenica in Albis.

Delle Pentecoste

Dalla vigilia di detta solennità fino alla festa della santissima Trinità

Del Corpus Domini

Dal giorno antecedente

Autunnali

Dal giorno quattro ottobre inclusivamente fino al giorno tre novembre esclusivamente

Del Natale

Dalla vigilia di detta festa fino al giorno sei gennaro inclusivamente

Per le ferie

Di s. Antonio Abbate, s. Antonio di Padova, s. Matteo apostolo, e s. Lucia dal giorno precedente con gli altri due consecutivi susseguenti, di s. Valentino vescovo, e protettore, dal giorno precedente con altri sette consecutivi, a norma però del decreto 1. sotto il titolo *de reductione ferarium* della nuova presente riforma.

Di tutto l'anno

In ogni giovedì di ciascuna settimana, come nel decreto 1. sotto il titolo *de audientiis, et informationibus ordinariis* dell' anzidetta riforma, quante volte però nè nel mercoldì antecedente, nè nel venerdì appresso cada la vacanza.

§. 60. Quibus omnibus ad Nos per dilectum filium magistrum Nicolaum Riganti die xix. superioris maii relatis, singula adprobavimus, et quo firmius subsistant, et serventur in perpetuum exactius, literas apostolicas desuper expediri jussimus. Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius civitatis communitatem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et omnium singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertas reformationes, taxatio- Confirmatio apostolica

nes, feriarumque fixationes cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos cum juris, tum facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 61. Decernentes easdem praesentes literas validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, illisque plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 62. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXVIII.

Dat. die 11 septembris 1807 anno VIII.

Imminutio onerum ferendorum a clero villae de Cocentaina Valentinae dioecesis.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii modernus parochus et clerus parochialis ecclesiae matricis villae de Cocentaina Valentinae dioecesis, constare ipsorum, ut ajunt, communitatem viginti quatuor beneficiatis residentibus, comprehenso parocho, sed singulorum beneficiorum annuum redditum ad tercentum libras tantum ascendere monetae, inclusa eleemosyna missarum, redditumque hujusmodi in solis consistere distributionibus, quas ii soli percipiunt, qui horis canonicis, aliisque quotidianis functionibus personaliter intersunt, ita ut absentibus sola missae, ac eam si celebrent, stipes relinquitur. Chori porro servitium toto anno assiduum esse, quandoquidem onus sibi inest celebrandi quotannis sex centum sexaginta missas cum cantu, quas vulgo vocant *ammortizatas*, seu quae redditum habent stabiliter assignatum, ac praeterea recitandi octodecim matutina, centum quadraginta duas vesperas, et totidem completoria, centum quadraginta horas minores, tum cantandi duo de quinquaginta missas votivas, denum peragendi quadraginta processiones, ac tredecim exercitia nuncupata de hora. In tot itaque communium onerum satisfactione quum prope nihil ipsis supersit sive ad animi corporisque solatium, sive ad alias res, quae interdum occurrunt, eosque alio accersunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sicut aliquarum ecclesiarum beneficiatis, qui ista in dioecesi nimio pariter gravabantur onere chori, provisum per Nos opportune jam fuit, ita providere sibi, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi, eorumque in perpetuum successores per duos tantum menses in quolibet anno a choro, ecclesiaeque servitiis praedictis vacare, nullamque interim fructuum, reddituum, proventuumque, ac etiam distributionum, quarum soli praesentes participes fiunt, ex beneficiis suis provenientium jacturam subire libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et conscentia gratis impertiaris; ita tamen, ut tres tantum beneficiati vacatione hujusmodi gaudeant vicissim per turnum, exceptis semper expresse temporibus adventus, et quadragesimae, nec non festivitatibus solemnioribus anni a primis earum vesperis usque ad totam octavam, exceptisque aliis quoque diebus, quas tu ab hoc turno, quem Nos tibi praefiniendum relinquimus, magis in Domino reservare censueris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXIX.

Dat. die 11 septembris 1807 anno VIII.

Unio beneficii erecti in ecclesia sancti Donati terrae Celleni dioecesis Montis Falisci cum officio publici praeceptoris ejusdem loci.

Dilecto filio Nostro Joachimo Syfredo Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Maury nuncupato, ecclesiae Montis Falisci ex dispensatione et concessione apostolica praesuli

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, perpetuum beneficium ecclesiasticum, quod in parochiali ecclesia s. Donati terrae Celleni dioecesis Montis Falisci cum adnexo onere coadjuvandi parochum in cura animarum extat erectum, quodque a bo: me: Cajetano Floridi ultimo illius, dum viveret, possessore obtinebatur, vacasse per ejus obitum, et adhuc vacare jam a mense decembris anno millesimo octingentesimo quarto, ac licet jugiter data opera fuerit in aliquo alio inquirendo, qui ad hujusmodi beneficium defuncti loco posset substitui, omnem tamen diligentiam frustratam esse tum a penuria sacerdotum, tum potissimum a tenuitate beneficii fructuum; ita ut ii, qui istius terrae praesunt communitati agnoscentes tandem solum parochum spiritualibus populi indigentiis satis esse nequire, scholam

publicam, annuumque ejus stipendium viginti circiter scutatorum beneficio praedicto uniri deliberaverint, auctaque hoc modo beneficii praebenda dilectum filium Angelum Trinchieri dictae ejusdem dioecesis presbyterum ad illud recipiendum allexerint. Quoniam vero de memorato beneficio praevio semper synodali concursu consuevit disponi juxta formam Tridentini concilii, ejusque provisio ob tanti temporis lapsum, ex quo vacavit, et vacat, reservata nunc est apostolicae Sedi, vi constitutionis sanctae memoriae Pii pp. V. praedecessoris Nostri super modo et forma providendi de vacantibus pro tempore parochialibus ecclesiis, nequidem idcirco difficultatis duo haec in praesentiarum interserant, tuo Nobis humiliter supplicatum est nomine, ut hoc in casu ad conclusionem ejus expeditiorem Nos providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te cumulatioribus gratiis in iis praesertim, quae pastorale tibi commissum munus respiciunt, prosequi volentes, supplicationibus pro parte tui Nobis porrectis inclinati, tibi dilecte fili Noster, facultates necessarias, et opportunas, quarum vigore recensitum scholae publicae officium cum suis juribus, honoribus et oneribus, fructibus, et emolumentis omnibus et singulis vacanti beneficio praedicto auctoritate Nostra apostolica tibi ad id specialiter et expresse delegata hac vice unire, et adnectere, tum idem beneficium etiam non adhibito synodali concursu, dummodo huic tamen per rigorosum examen suppleatur, servatisque aliis de jure servandis, praenominato Angelo presbytero pari auctoritate conferre, eumque providere de illo libere, et licite valeas, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus praedicta Pii praedecessoris, et Benedicti pp. XIV. etiam praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima septembris millesimooctingentesimoseptimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Bull. Rom. Tom. XIII. F. 89.

DXX.

Dat. die 15 septembris 1807. anno VIII.

Elevatio ritus officii, et missae sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis a duplici secundae classis ad duplicem primae classis pro clero dioecesis Valentinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis exponi nuper fecerunt venerabilis frater archiepiscopus, et dilecti filii capitulum ecclesiae cathedralis Valentinae, Nos alias ritum festi s. Joseph beatae Mariae virginis sponsi peculiariter in civitate et dioecesi ista servandum transtulerimus in perpetuum a die decima nona martii ad dominicam secundam post pascha; quumque iidem archiepiscopus atque capitulum cupiant nunc, humiliterque deposcant super eodem ritu aliud a Nobis provideri opportune, ac ut infra indulgeri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito dilecto filio magistro de Carpineo congregationis sacrorum rituum secretario, auctoritate apostolica tenore praesentium ritum ejusdem sancti praedicti a duplici secundae classis ad duplicem primae classis cum octava pro eadem civitate et dioecesi elevamus, atque ibidem inposterum diem ipsum xix. martii inter feriales fore, ac esse recensendum, et tam praecepto missam eo die audiendi, quam cessandi a laboribus neminem amplius teneri declaramus, atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis,

statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXI.

Dat. die 22 septembris 1807 anno VIII.

Nominatio ad vitam ad titulum ex generalis, seu ex ministri generalis pro fratribus ordinis sancti Francisci de Poenitentia.

Dilecto filio Josepho Torregiani fratrum ordinis tertii s. Francisci de Poenitentia nuncupati professori in sacra theologia magistro

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§ 1. Religionis zelus, literarum scientia, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, quibus te praeditum esse cognovimus, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, sicut accepimus, frater expresse professus ordinis tertii sancti Francisci de Poenitentia nuncupati, in sacra theologia doctor, et magister, nec non dicti tui ordinis procurator generalis, quique sacrorum rituum congregationis consultor, Romani cleri examinator, theologus, ac examinator prosynodalis Sabinae, quique demum primarius inter fratres collegii Siculorum sancti Pauli in Arenula etiam nuncupati de urbe (quod, post notissimas rerum vicissitudines, ac perturbationes, opera, ac religiosa industria tua mirifice restitutum fuit) existis, et in munere procuratoris generalis hujusmodi, quo adhuc fungeris, non solum laudabiliter te gessisti, sed etiam in negociis tibi demandatis summa cum conventuum praefati tui ordinis utilitate, eidem obsequia tua praestare non destitisti, et ad praesens non desinis, praemissorum meritorum, et laborum tuorum intuitu gratiam facere specialem, ejusdemque collegii Siculi decus augere, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus reperiris, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum

serie absolventes, et absolutum fore censentes, tibi titulum ex-generalis, vel ex-ministri generalis praefati tui ordinis auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur, tibique, ut omnibus, et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, exemptionibus, gratiis, et indultis, quibus generalis, seu ministri generalis ordinis praefati munere perfuncti tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, et licite possis, et valeas in omnibus, et per omnia, perinde ac si generalis, seu ministri generalis hujusmodi munere perfunctus fuisses, auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Mandatum de obediendo.

§. 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis omnibus et singulis memorati ordinis superioribus, fratribus, et personis, caeterisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit, ut te praesentis gratiae commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec te desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari permittant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Ac decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxii. septembris millesimo octigentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXII.

Dat. die 22 septembris 1807 anno VIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo s. Benedicti a sancto Philadelphio visitaverint ecclesias ordinis minorum sancti Francisci de observantia, et reformatorum, ac monialium ejusdem ordinis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio, et tenor concessionis

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis fratribus ordinis minorum s. Francisci da observantia, ac etiam reformatorum nuncupatorum, nec non monialibus ejusdem ordinis ubicumque existentibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui, et quae propriam respective ecclesiam die festo s. Benedicti a s. Philadelphio a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones adnexae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione prae-

sentium aliquid, vel minimum, detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii pubblici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda septembris millesimo octigentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXIII.

Dat. die 22 septembris 1807. anno VIII.

Condonatio facta favore regis Sardiniae de nonnullis redditibus provenientibus a vacantibus ecclesiis, cum derogatione jurium super iisdem redditibus competentibus seminariis clericorum ejusdem regni.

Charissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri.

Pius PP. VII.

Charissime in Christo fili Noster

Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis regio tuo nomine fuit, aegre admodum majestatem tuam illud accepisse, quod tibi nuper relatum est, nempe pecuniam, quae de bonis ecclesiarum, praesertim Oristani, Nuori, Algherii, Ampurias, Ales, et Sassaris, tempore earum vacationis provenerat, alios esse impensam in usus, quam qui per ecclesiasticos canones praescribuntur. Ac licet a regiis administris dispositum de hac pecunia fuerit in maximis necessitatibus regni, et ad repellendum hostem, qui instabat, et ad muniendam insulam s. Petri, quae cladem a piratis immanem perpessa erat, ita quidem ut nec novi praesules ecclesiarum, quae recensitae superius sunt, nec administratores seminariorum, ubi clerici in literarum, morumque disciplina pro iisdem ecclesiis educantur de sua uniuscujusque portione pecuniarum hujusmodi, quas e proventibus ecclesiarum vacantium detrahere, ac in tuitionis publicae usus fundere urgens necessitas compulit, ullam unquam instantiam promoverint, aut querimoniae verbum protulerint. Nihilominus tamen tum ne tua in hoc ullatenus augatur conscientia, tum ne regio aerario ob auctas semper, crescentesque in diem angustias sat inopi facto praedictam pecuniam iis, quibus sublata est, ecclesiis reddere nimio futurum sit oneri, eo te piissima tua adduxit religio, ut committeres rem hanc ad Nos totam deferri, Nobisque enixe supplicari, ut tibi in ea providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, qui in cunctis, quae cum Domino possumus, tibi semper praesto esse corde et animo cupimus, specialibus gratiis, et favoribus te magis magisque prosequi et cumulare volentes, supplicationibus Nobis regio nomine tuo humiliter porrectis inclinati, praevia absolutione ab omnibus et quibusvis censuris, ac poenis ecclesiasticis, quae per eos, qui partem habuere in praemissis, incursae quomodolibet sint, aut ipsos incurrisse dici et censeri possint, prout auctoritate apostolica tenore praesentium misericorditer eos absolvimus; deinde eadem auctoritate tuo regio aerario memoratas vacantium ecclesiarum pecunias, quae praedictas ob causas ereptae, et enunciatos in usus erogatae fuere, sublato dictis praesulibus, et seminariis, ceterisque ad quos illae quomodocumque spectaverint, omni jure et facultate eas repetendi, plenarie remittimus et condonamus, relinquentes tamen quoad portiones pecuniarum hujusmodi ad seminaria spectantes majestatis tuae pietati, atque conscentiae eadem seminaria, utpote quae Domini vineam, pro qua sunt instituta, magis intersunt, juxta vires aerarii, et circumstantias temporum compensare.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plena-

rios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto regio aerario plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulisque etiam cancellariae Nostrae apostolicae de jure quaesito non tollendo, nec non dictarum ecclesiarum et seminariorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXIV.

Dat. die 25 septembris 1807 anno VIII.

Translatio monialium monasterii Incarnationis insulae de Madeira dioecesis Funchalensis ad aliud sanctae Clarae ejusdem ordinis, et dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quanto ornamento, quantoque spirituali praesidio universae Catholicae Ecclesiae sint Deo sacratae virgines, neminem esse arbitramur, qui ignoret. Ipsae namque (ut aureis etiam divi Chrisostomi verbis utamur) ipsae sunt coelestis philosopiae aemulatrices, angelicam vitam referentes; quippe quae licet fragili carne indutae eadem tamen sibi praestanda strenue proposuerunt in terris, quae incorporeae virtutes praestant in coelis. Haec, et alia hujusmodi plura Nos prae oculis habentes, perlibenter annuimus in iis omnibus, quae sanctimonialium necessitas, aut commodum postulare videtur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut venerabilis frater Aloisius episcopus Funchalensis exponi Nobis nuper fecit, dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales ordinis sancti Francisci Assisiensis monasterii sub titulo Incarnationis insulae de Madeira Funchalensis dioecesis, ob calamitosas horum temporum circumstantias, ad tantam rerum egestatem devenerint, ut diutius subsistere nequeant, ipse episcopus pro perspecta sua pastorali sollicitudine dictas moniales e suo ad aliud s. Clarae monasterium ejusdem ordinis, et loci sufficientibus redditibus instructum transferri, ibique recipi posse vehementer optat: cumque ad id vota quoque dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, nec non Portugalliae, et Algarbiorum regnorum regentis accedant, qui pro eo, quo et ipse fervet religionis zelo, per suum apud Nos, et hanc sanctam Sedem oratorem dilectum filium nobilem virum Josephum Emmanuelem Pinto equitem, et commendatarium ordinis militiae Domini Nostri Jesu Christi eamdem monialium transla-

tionem enixis, et repetitis precibus efflagitavit.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos necessitatibus hujusmodi, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsasque moniales specialibus gratiis et favoribus, prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Aloisio episcopo per praesentes committimus, et mandamus, quatenus, consideratis prius circumstantiis universis, constitoque de vera, et absoluta necessitate, super quo ipsius conscentiam oneramus, dictas Incarnationis moniales e suo ad aliud memoratum s. Clarae monasterium auctoritate Nostra apostolica, pro suo arbitrio, conscentia, et prudentia in perpetuum transferat, illique uniat, et concorporet, monialibus autem sic translatis, et incorporatis, ut ipsae voce activa, et passiva in capitularibus conventibus juxta respectivam omnium simul antianitatem, ac singulis privilegiis, gratiis, et favoribus spiritualibus, et temporalibus, quibus aliae monasterii receptoris moniales tam de jure, usu, et consuetudine alias quomodolibet fruuntur, potiuntur, et gaudent, aut frui, potiri, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, pari modo, ac sine ullo prorsus discrimine frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et debeant, perinde ac si in hoc monasterio regularem emisissent professionem, dicta auctoritate concedat, et indulgeat; easdemque moniales, (postquam fuerint receptae) peculiaribus deserti monasterii regulis, usibus, et consuetudinibus in genere, vel in specie minime teneri, nec amplius obligatas fore, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernat.

Communicatio bonorum.

§. 4. Itemque bona, jura, actiones, et pertinentias universas tam ad derelictum monasterium, ejusque ecclesiam, quam ad religiosas translatas quomodolibet spectantia cum adnexis oneribus monasterio receptori, ibique degentibus monialibus communiter, ac in perpetuum pariter addicat, exceptis dumtaxat ipsius monasterii Incarnationis aedibus, quas idem episcopus dismembrare, illisque pro necessaria seminarii dioecesani erectione efficienda uti libere, et licite possit, et valeat, soluta (quatenus pro meliore praemissorum executione opus esse cognoverit) aliqua annua pensione ad vitam uniuscujusque translatae monialis tam duratura, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, atque statuimus. Reliqua autem in hisce Nostris literis non praescripta, eo quod Nos latent reliquae monasteriorum circumstantiae, idem episcopus, auditis monasteriorum eorumdem confessariis, vel deputatis, pro data sibi a Domino prudentia constituat, et componat. Nos enim eidem Aloisio episcopo omnes, et singulas facultates necessarias, et opportunas ad praemissa meliore, quo fieri poterit modo perficienda, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non monasteriorum, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque

efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Illud vero eumdem episcopum sedulo in Domino monitum esse volumus, ut in hanc curam maxime incumbat, scilicet, ut moniales, vel saltem utriusque monasterii pleraeque non invitae, sed spontanae praemissa exequantur. Animorum enim perturbatio divinae charitatis in vinculum aut ambrumbit, aut profecto extenuat. Seraphicae autem perfectionis studium, excitatis dissidiis, aut prorsus abjicitur, aut saltem imminuitur. Quare diligenter cavendum, nec pro uno monasterio tuendo, ac servando, utrumque perdamus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima quinta septembris millesimo octigentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXV.

Dat. die 30 septembris 1807 anno VIII

Concessio juris privativi pro constructione salinae in civitate Cornetana favore Nicolai Sabatucci.

Monsignor Alessandro Lante protonotaro apostolico Nostro, e della Nostra camera apostolica tesoriere generale.

Pius PP. VII.

Proemium.

§. 1. Tra i molti oggetti di pubblico bene, che hanno richiamato le Nostre cure dirette sempre a promuovere la felicità dei Nostri amantissimi sudditi, ed i vantaggi del Nostro stato, distinto luogo ha avuto quello della formazione di una salina, che rimpiazzi la mancanza delle antichissime, e quasi coeve alla edificazione di Roma, saline di Ostia, rese per l' allontanamento del mare poco officiose, e dappoi per questa stessa causa da non molti anni abbandonate, sembrandoci non meno disdicevole cosa, che di questa sì essenziale produzione manchi uno stato bagnato da due mari, che perniciosa, e pericolosa la necessità, che quindi nasce di provederlo dall' estero, sia perchè ciò produce a danno della pubblica economia un ramo di commercio passivo, il quale all' opposto potrebbe, e dovrebbe essere attivo, sia perchè fa dipendere la provista di un genere di prima necessità dalle eventualità, e dalle vicende non meno, che dagli arbitrj politici.

Memoratur alia erectio ejusdem officinae a Josepho Lipari exhibita, quae suum non potuit effectum sortire.

§. 2. Fu quindi, che presentatosi da Giuseppe Lipari pratico della costruzione, e lavorazione delle saline, il progetto di erigerne a proprie spese una nella spiaggia così detta del Carcarello fra la torre di Corneto, ed il fosso del Mignone nella tenuta denominata la Piscina del Vescovo, ossia l' abbadia di s. Giacomo posta nel territorio della suddetta città, ed appartenente all' ospizio dei padri Conventuali (sito giudicato dal medesimo adattissimo a tal uopo per la sua giacitura, per la qualità argillosa della terra, e per il concorso di tutte le altre circostanze) qualora da Noi glie se ne concedesse la facoltà, e si obbligassero anche i religiosi proprie-

tarj del suolo necessario per la formazione, e perfezione, e di questa opera cederne in enfiteusi l'utile dominio per un giusto canone da convenirsi; Noi prese per vostro mezzo le necessarie informazioni, accogliemmo con piacere questa dimanda, e conciliate in appresso con la maggiore maturità le condizioni del contratto, che voi ci riferiste, e che Noi esaminammo, ed approvammo con Nostro chirografo dei 23. giugno 1802., si procedè da voi alla stipulazione dell'istromento di concessione della facoltà di costruire una nuova salina nella indicata spiaggia di Corneto, a tutto rischio, spesa, ed interesse degl' intraprendenti Giuseppe Lipari, e Francesco Antonio Franzoni socio assunto dal medesimo, i quali dovessero per anni 25. da cominciare dal prossimo gennaro 1803., goderne, per poi in fine di tal tempo consegnarla alla camera, ritirandone a stima dei periti il valore degli utensili, fabbriche, e di ogni altro lavoro appartenente alla di lei formazione. Posero i concessionarj mano all'opera, e si erano alquanto inoltrati nella medesima con una non lieve spesa, quando insorse la popolazione, e la comunità di Corneto, e temendo, che la formazione di una salina potesse nuocere alla salubrità dell'aria della loro città, ci fecero chiedere, che ne avessimo impedita la prosecuzione. Trattandosi dell'oggetto gravissimo di sanità, Noi credemmo di dover valutare anche i popolari timori, sebbene molte volte vani, e mal fondati, onde per assicurarci pienamente, ordinammo intanto la sospensione dell'opera, e delegammo al Nostro tribunale della consulta l'esame dell'affare sanitario. Questo affare essendosi dovuto per non breve tempo protrarre, attese le molte ispezioni, osservazioni, e ricerche, che richiedeva, ricorse il Lipari, a favore del quale aveva il Franzoni con dichiarazione di buona fede confessato di non avere in questo affare che il solo nome, ed unitamente ad altri intraprendenti, che aveva associati all' impresa, espose i danni di questa sospensione, e ne implorò il compenso. Riflettendo Noi alla ragionevolezza della petizione, ed alle conseguenze della medesima, credemmo espediente di prevenirle, e di troncarle nel loro nascere, con accettare la cessione della salina in favore della Nostra camera proposta dagl' intraprendenti, facendoli reintegrare delle spese fatte, le quali furono liquidate nella somma di scudi diecimila, e ciò in fatti fu eseguito mediante il Nostro rescritto dei 4. dicembre 1803., ed il successivo istromento da voi in esecuzione del medesimo stipolato con gl' intraprendenti il dì 31. gennajo 1804. Contemporaneamente poi a questo contratto di cessione, ossia retrocessione, prevalendovi delle facoltà accordatevi nello stesso rescritto, altro ne stipolaste con l'anzidetto Giuseppe Lipari, con cui nel preveduto caso, che il giudizio della consulta avesse assicurata la innocuità, e permessa la continuazione delle saline, in benemerenza di essere stato egli il primo inventore, e promotore di questa utilissima impresa, ed in vista della utilità, che egli poteva recare con la sua persona, e con le sue cognizioni di questo genere nel proseguimento, e perfezione della medesima, lo deputaste in direttore, ed amministratore con lo stipendio di annui scudi quattrocento cinquanta per i due anni, nei quali si obbligò a condurre a termine l'opera, e con la partecipazione del terzo degli utili purgati dalle spese occorrenti ad ottenere il prodotto per altri venti anni successivi, imputando però in questo tempo nel detto terzo degli utili la sua provisione, e rimanendo obbligato a prestare tutta la sua opera, ed assistenza tanto per i lavori, quanto per la intiera condotta dell' azienda, come si esprime dettagliatamente nell' accennato istromento di deputazione in amministratore, e di partecipazione, rogato nel sopra indicato giorno 31. gennajo 1804. Furono posteriormente proseguiti dalla camera, sotto la direzione del Lipari, i lavori, ma le circostanze dell' erario, e gl' impegni sopravvenuti non permisero di avanzarli con quella prestezza, che sarebbe stata necessaria per giungere nel divisato termine di due anni convenuto con il Lipari al compimento, cosicchè sebbene siansi formate nove tavole saliniere, il prodotto delle quali ha animate le speranze del felice esito della impresa, moltissimo però rimane per giungere al termine

della medesima, che quasi può dirsi nel suo principio a proporzione di quello, che resta a fare, sebbene la Nostra camera, oltre la reintegrazione data agl' intraprendenti, assai di più vi abbia speso posteriormente. In questo stato di cose, la mancanza dei mezzi sottratti all' erario da altre imponenti necessità, facevano prevedere o un ristagno, o un corso così lento nella continuazione dei dispendiosi lavori occorrenti per andare innanzi, che appena dopo molti anni si sarebbe potuto sperare il desiderato compimento dell' opera. Pensammo quindi d' incaricarvi a rintracciare un soggetto fornito di mezzi, di attività, e di probità, che si assumesse il carico di fare tutte le spese necessarie per il sollecito perfezionamento di questa salina, sgravando la camera da questo peso, e da questa cura.

Exponitur substantia novae conventio initae cum Sabatuccio.

§. 3. Avendoci voi additato questo soggetto nella persona di Niccolò Sabatucci, la di cui destrezza, ed energia nel maneggio degli affari, unita alla solidità, al buon nome, ed alla specchiata onestà ci erano pienamente note per le utili operazioni da esso fatte con molta lealtà, ed impegno in servizio del principato in molte occasioni, e specialmente in quella del ritiro della abolita moneta di rame. Noi non esitammo punto ad approvare il vostro suggerimento, e vi ordinammo di entrare con il medesimo in trattativa, la quale da voi intrapresasi, conveniste con il detto Sabatucci, non come uno dei socj dei due separati appalti del sale delle provincie, e di Roma, ma nel suo particolare nome nel seguente progetto di contratto di assunzione di opera, cioè, che il Sabatucci assuma in se la intera formazione della salina di Corneto da proseguirsi, e perfezionarsi esattamente a norma della pianta, e descrizione già fattane dall' intraprendente Lipari, ad effetto di renderla compita dentro il mese di marzo 1809. e non più oltre, e siccome esistono i lavori già fatti nella detta salina a spese della camera, così ad oggetto, che il medesimo divenga redentore della intera opera, come se fosse stata fatta a sue spese dal di lei cominciamento, debba indennizare la camera delle spese fin' ora da lei fatte, e ciò con rassegnare immediatamente seguita la stipolazione, e trasferire in di lei favore luoghi mille, e cinquecento di monti camerali, e non vacabili, senza pagamento alcuno di prezzo, essendosi a scanzo di ambiguità di calcoli, e di stime, convenuta, e concordata questa quantità di luoghi di monti in compenso dell' intero importo delle spese già fatte. Reso il Sabatucci in simil guisa redentore della intera opera, fu combinato nello stesso piano concordato, che dovesse egli assumere parimenti in se tanto il peso delle spese tutte occorrenti per la progressiva manutenzione della medesima, e per la lavorazione, raccolta, custodia, ed esito dei sali, quanto per quello, che possa competere al Lipari per stipendio di amministrazione, e successiva partecipazione del terzo degli utili a tenore del sopra enunciato istromento dei 13. gennajo 1804. dimodochè il Sabatucci durante l' epoca infradicenda del suo contratto, s' intenda attivamente, e passivamente surrogato nel luogo, e nei diritti, ed obbligazioni della camera.

Expositio onerum ferendorum a Sabatuccio in correspectivitatem concessionis.

§. 4. Per fissare poi ciò, che in correspettività di questa assunzione di opera così stabilita, e combinata, dovesse conseguire il Sabatucci, si osservò, che secondo i calcoli di approssimazione dedotti dai dati giudicati dai periti i più esatti, il prodotto della salina per diciotto anni successivi dopo la sua ultimazione da eseguirsi nel marzo dell' anno 1809. dovrebbe almeno ascendere collettivamente alla somma di cento ottantacinque mila salme di sale del peso di libre Romane mille ottocento cinquanta per salma, della quale ragguagliatamente la quantità di salme centomila fa d' uopo assegnarla alla consumazione interna di Roma, e dei luoghi compresi in questo appalto ascendente a circa seimila salme per anno, e la residua quantità di salme ottanta cinque mila al sopravanzo vendibile per l' estero. Su questa base probabile si conciliò, che per compenso dei pesi da assumere il Sabatucci oltre il poco sale, che durante il biennio prescritto alla formazione della salina, si andasse raccogliendo, il quale gli si dovesse condonare, percepisse progressivamente tutto il sale da prodursi dalla salina nel suddetto diciottennio posteriore, ad effetto di spacciarlo

nella maniera seguente cioè, che tutta la quantità occorente al consumo dell' appalto della salara di Roma lo dovesse vendere alla società attuale appaltatrice durante il tempo della di lei conduzione al prezzo, che le importarebbe l'acquisto del genere, o in Trapani, o in Cagliari a scelta della stessa società, con più il nolo ed ogni altra spesa, che dovrebbe fare, facendolo venire o dall'uno, o dall' altro luogo, giacchè così si è convenuto tra la camera, e la società suddetta nel capitolo 21. dell' istromento di detto presente appalto; terminato poi l' appalto attuale, il prezzo di detto sale d' interna consumazione da pagarsi all' intraprendente dal nuovo qualunque siasi appaltatore, debba essere fissato in scudi due, e bajocchi cinquanta per salma, il quale prendendo una media, e conteggiando il costo, e le spese del trasporto, ed altro, è assai discreto. Rispetto poi alla quantità di sale sovrabbondante alla consumazione interna, lo potesse spacciare liberamente, fuori però di stato. Passato poi questo diciottennio dalla formazione della salina, e ventennio dalla convenzione, il Sabatucci fosse obbligato a restituire, ossia consegnare alla camera la salina perfezionata, con tutte le fabbriche, utensili, ed altro a norma della suddivisata descrizione, e delineazione del Lipari. Per provedere però all'equilibrio del contratto, e non lasciarlo nella eventualità, si conciliò ancora la convenzione, che se il prodotto del diciottennio avesse oltrepassato le dette salme cento ottantacinque mila, il Sabatucci pagar dovesse il sopravanzo di questa quantità alla camera alla ragione di bajocchi ottanta per salma, essendo questo il prezzo medio per calcolo di approssimazione assegnato al sale, che si vende per fuori; e se all' opposto il prodotto fosse stato minore delle salme cento ottantacinque mila, il Sabatucci fosse reintegrato in fine del diciottennio della mancanza, e proporzionandola al prezzo di bajocchi ottanta, o di scudi due, e bajocchi cinquanta, secondo che la deficienza fosse caduta o sulle ottantacinque mila salme da vendersi all' estero, o sulle centomila da vendersi all' appalto. Riducendosi in questa maniera il contratto ad una susceczione di opera per parte del Sabatucci, e ad una vendita del sale nella garantita quantità di salme cento ottantacinque mila fattagli dalla camera durante il convenuto diciottennio posteriore al compimento dell' opera stessa, fu anche da Noi osservato, che sebbene il prezzo comulativo di questo sale potesse superare notevolmente i disborsi dell' impresario, non ostante per lui il compenso doveasi considerare come assai moderato, e ristretto, riflettendo alla prontezza, e vastità dell' impronto, e della spesa, ed alla lentezza del rimborso. Questa fu la sostanza del contratto, a cui furono anche aggiunte diverse cautele, condizioni, e patti per la più esatta esecuzione, contenuti nei capitoli preliminari sottoscritti da voi, e dall' assentista, che ci avete posti sotto gli occhi, e che Noi abbiamo considerati.

§. 5. L' esame, che Noi facemmo in tutte le sue parti di questa così combinata convenzione, non potè non dimostrarcene la evidente utilità. Noi rilevammo, che per mezzo della medesima il Nostro stato, ed i Nostri sudditi conseguivano il vantaggio incalcolabile nei divisati rapporti economici, e politici, che come abbiamo premesso tanto ci erano a cuore, quello cioè di assicurare la interna produzione di un genere di prima necessità, senza essere ligj alle estere saline, e nel tempo stesso l'erario dopo lo spazio di venti, o poco più anni veniva ad acquistare un fondo, da cui poteva sperare un vasto reddito. Rilevammo di più, che questi vantaggi rendevansi tanto più considerevoli, perchè si ottenevano non solo senza cura, e pericolo della Nostra camera, e senza ulteriore spesa, a cui le sue attuali forze non avrebbero potuto senza grave dissesto supplire, ma con procurarle la reintegrazione delle spese già fatte per mezzo della traslazione della cospicua quantità di mille, e cinquecento luoghi di monte, e con percepire inoltre durante l' epoca stessa del contratto un frutto annuo di scudi mille e ottocento, quanto importarebbe il risparmiato pagamento de' loro frutti, oltre la perpetua ammortizzazione di rata del debito publico. Convinti perciò della giustizia, e moderazione di questo contratto per la parte dell'intraprendente, e dei grandi vantaggi,

Demonstratur utilitas conventae concessionis.

senza alcun discapito, o pericolo per la parte della Nostra camera, tanto più abbiamo creduto di doverlo abbracciare, quanto siamo per la passata esperienza più certi di combinarlo con una persona, che è incapace di promettere quello, che non è certa di potere eseguire, ed è incapace di non eseguire quello, che ha promesso. E volendo, che le cose anzidette combinate con tanta accuratezza, e di Nostra piena intelligenza, abbiano la loro piena, ed inalterabile esecuzione.

Tenor motus proprii §. 6. Quindi è, che con il presente Nostro chirografo, in cui abbiamo per inserto, e di parola in parola trascritto il tenore dell' istromento di concessione della facoltà di costruire la nuova salina nella spiaggia di Corneto dei 6. luglio 1802. dell' altro di cessione a favore della nostra camera dei 31 gennajo 1804. e di quello contemporaneo di deputazione in amministratore, e comparticipazione del terzo degli utili stipolato in favore di Giuseppe Lipari, dell' istromento di appalto della salara di Roma stipolato a favore della società, che presentemente lo ritiene, dei capitoli concordati, della descrizione, e delineazione di ciò, che deve farsi a compimento delle saline fatta da Giuseppe Lipari, e di ogni altra cosa necessaria ad esprimersi, benchè richiedesse speciale, ed individua menzione, non a preghiera, o suggerimento di alcuno, ma di Nostro motu-proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra potestà, vi ordiniamo di procedere alla stipolazione del contratto di assunzione, ossia redenzione di opera delle saline aperte in Corneto, e respettiva cessione, e vendita del sale, che si raccoglierà nella medesima nel tempo, e forma, e con le condizioni, modi, patti, e cautele, come segue.

Tenor pactorum conventorum. §. 7. Primieramente il Sabatucci dovrà assumere in se l' obbligo di terminare a proprie spese, e pericolo dentro il mese di marzo dell'anno 1809. e non più oltre la salina di Corneto in tutto, e per tutto a norma della pianta, e descrizione fattane da Giuseppe Lipari, che dovrà inserirsi nell' istromento, o esibirsi, e ritenersi nello stesso officio, in cui seguirà la stipolazione, in guisa che nè il Sabatucci possa trascurare alcuno dei lavori, ed opere contenute in detta descrizione, e pianta, nè possa essere obbligato a fare di più di quello, che trovasi ivi delineato, e descritto. Inoltre il Sabatucci dovendosi considerare, come se avesse fin da principio formata la detta salina a tutte sue spese, dovrà in un brevissimo termine dopo seguita la stipolazione rassegnare, o far rassegnare a favore della Nostra camera luoghi mille, e cinquecento di monti camerali non vacabili, i quali si riceveranno in compenso e reintegrazione delle spese nella incominciata formazione di dette salme fino al presente, rimanendo con ciò esclusa qualunque altra liquidazione riguardante questo articolo. Per procedere con maggior precisione dovrà ricevere in consegna la detta salina nello stato, in cui presentemente si trova con le capanne, fabbriche annesse, bestiami, utensili, e tutt' altro nel modo però, e forma, in cui ora esistono, senza poter pretendere di più di quello, che attualmente vi si trova, al quale effetto dovrà tutto descriversi, e stimarsi per restituirlo al termine del presente contratto nella medesima bontà, e valore, unitamente alla suddetta intera salina ridotta alla sua perfezione, e conservata in tale stato. Tanto poi nel tempo prescritto alla ultimazione dell' opera, quanto posteriormente alla medesima, rimarranno a carico del Sabatucci per tutto il tempo, che dovrà durare il contratto tutte le spese annuali, sia di manutenzione della salina, sia di lavorazione dei sali, sia in fine di stigli ed attiragli occorrenti, di bestiame per i trasporti, di canoni e rindenizzi dovuti ai proprietarj dei terreni, e de' pascoli, ed affitto delle fabbriche del porto Clementino, o di altri locali, che rimanessero a carico del Sabatucci, i quali canoni, rindennizzi, ed affitti dovranno a tutta cura della camera essere fissati, e determinati, ed in tal guisa descritti nell' istromento di mercedi solite darsi ai forzati in danaro, le quali dovranno essere parimenti determinate nell' istromento, di stipendj agli agozini, alle guardie, ed in genere di ogni altra cosa riguardante la condotta della detta salina, tanto che durante il tempo del presente contratto la Nostra camera non debba soccom-

bere a spesa alcuna. In ultimo siccome il Sabatucci subentra in luogo della camera, così dovrà assumere l'obbligo di corrispondere a Giuseppe Lipari lo stipendio della sua amministrazione, ed il terzo degli utili netti dalle spese, che renderanno le saline, promessogli dalla camera in tutto, e per tutto a norma dell' istromento di deputazione in amministratore, e partecipazione di utili, stipolato da voi con il medesimo, rogato per gli atti del Nardi segretario di camera il dì 31. gennaro 1804. al quale dovrà aversi piena relazione, rimanendo gli altri due terzi di utili in beneficio del Sabatucci in conto della reintegrazione, come si dirà in appresso.

Concessiones factae favore ipsius Sabatucci, in correspectivitatem onerum susceptorum.

§. 8. In correspettività di tutte queste obbligazioni, che assume il Sabatucci, gli cederete primieramente senza pagamento di prezzo, e senza obbligo di restituzione tutta quella quantità di sale, che durante il tempo prescritto alla terminazione della salina, si anderà raccogliendo nella medesima, oggetto, che attesto il poco numero delle tavole saliniere finora formate, non è, che di picciola conseguenza. Cominciando poi dalla raccolta del 1809., e terminando inclusivamente a quella del 1826., cioè per un intiero diciottennio, tutto il sale, che sarà prodotto dalla salina di Corneto, apparterrà al detto Sabatucci, come se fosse stato in lui trasferito a titolo di cessione, e di vendita nella infrascritta maniera però, e non altrimenti, cioè che ritraendosi dal Sabatucci nel suddetto diciottennio la quantità di salme cento ottantacinque mila in tutto, s' intenda con la medesima saldato ogni suo credito, nè possa per qualunque titolo altro pretendere dalla camera. Che se il sale raccolto in detto tempo eccederà la detta quantità di salme cento ottantacinque mila, la eccedenza la dovrà lasciare nel termine anzidetto a disposizione della camera senza alcun pagamento di prezzo, e se all' opposto il prodotto non giungesse a quella quantità nel termine suddetto, allora s' intenda prorogato il contratto per tutto quello spazio di tempo, che sarà necessario per far conseguire al suddetto Sabatucci le intere salme cento ottantacinque mila, riservata però alla camera, qualora ad onta di questa eventualità voglia far cessare il contratto al fine del diciottennio, la facoltà di pagargli il prezzo del sale mancante alla ragione di bajocchi ottanta la salma, se la mancanza non eccederà le salme ottantacinque mila destinate al commercio estero, e se mai (lo che difficilmente si crede possa accadere) la eccedesse, alla ragione di paoli venticinque per la quantità mancante sulle altre salme cento mila considerate collettivamente per ciò, che può importare la necessità dell' interno consumo. Per la verificazione, e rispettiva esecuzione di questa convenzione, si destinerà da voi un ministro di rincontro, il di cui officio sarà di conoscere, e registrare la quantità del sale, che si raccoglierà annualmente, e fare quelle altre osservazioni, e rilievi che voi gli commetterete, e l' onorario di questo ministro sarà pagato dalla Nostra camera. Analogamente a tutto ciò, durante il presente appalto della salara, la società appaltatrice cantante sotto nome di Sabatucci, Morici, e compagni, non potrà ricusare di prendere dal Sabatucci in qualità di impresario della salina tutto il sale della consumazione, e respettivamente il detto Sabatucci lo dovrà alla medesima vendere al prezzo, che nel tempo della leva costerà in Trapani, o in Cagliari, a scelta della società, con aggiungervi tutto ciò, che per conseguire il genere importerebbero il nolo, ed altre spese, essendosi così convenuto tra la Nostra camera, e la società nei capitoli 19. 20., e 21. dell' istromento di attuale appalto stipolato per gli atti del Nardi lì 30. novembre 1805., ai quali si dovrà avere plenaria relazione, onde il Sabatucci durante questo appalto dovrà stare alla sorte di un prezzo maggiore, o minore di tal sale d' interna consumazione, senza alcuna cura, e rischio della camera in di cui luogo solo s' intenderà attivamente, e passivamente subentrato rispetto alla osservanza dei detti articoli; dichiarando però, che nè il Sabatucci potrà negare alla società tutta la quantità occorrente alla consumazione, che si troverà aver raccolta dalla salina, nè la società potrà aver azione alcuna contro di lui nel caso, che non l'avesse raccolta.

Declarationes et reservationes speciales.

§. 9. Essendo il contratto da stipolarsi con il Sabatucci di semplice redenzione di opera, e contemplando Noi nel concederne la stipolazione a suo favore, la sua personale industria indipendentemente dalla qualità di consocio nell' appalto dei sali, dichiariamo, che in questo contratto non possano pretendere alcuna partecipazione i socj, e caratanti dell' appalto suddetto, non ostante qualunque patto convenuto tra loro, ancorchè proibitivo di ricorrere a noi per ottenere una concessione particolare, ed esclusiva dei consocj, al quale patto, qualunque ne sia la forma, ampiamente deroghiamo. Qualora però, terminato il presente appalto dei sali di Roma, e delle provincie annesse, occorresse alla Nostra camera di fare un nuovo appalto, e che il nuovo appaltatore volesse assumere, e riunire anche la locazione delle saline di Corneto, il Sabatucci sarà obbligato a cederle al detto nuovo appaltatore; dovrà peraltro egli essere indennizzato in danaro alla ragione di scudi venticinquemila per anno, di quanto allora rimarrà creditore per il prezzo corrispondente alle salme di sale, che non avrà potuto percipire, atteso l' arresto, e scioglimento del suo contratto, e a compimento delle salme cento ottantacinquemila, detraendo però dal suo credito l' ammontare delle spese annuali, che anderà in tal caso a risparmiare negli anni successivi. Nel caso poi, che al nuovo appalto dei sali non si unisca quello della salina, onde questa rimanga presso il Sabatucci, dovrà imporsi al nuovo appaltatore l' obbligo di prendere da lui tutto il sale d' interna consumazione al prezzo fisso di scudi due, e baj: cinquanta per salma, che presa una media si è trovato discreto, e forse minore di quello porterebbe il costo, e le spese facendolo venire di fuori, rimanendo al Sabatucci il sale soprabbondante per venderlo però solamente nell' estero. Tanto poi per la formazione della salina, quanto per gli annuali lavori durante il diciottennio, e più oltre ancora nel caso di protrazione contemplato di sopra, dovrà la Nostra camera fornirgli l' occorrente numero di forzati, ai quali però il Sabatucci dovrà, come si è detto, dare la solita mercede, e caricarsi della spesa degli agozzini, e della guardia militare. A spese della camera si dovranno formare tre magazzeni prossimi alla salina, per riporre i sali; dei quali il Sabatucci avrà l' uso durante il contratto, senza pagamento di pigione. Occorrendo altri magazzeni, e commodi di abitazione vicino alla salina, potranno costruirsi del proprio dal Sabatucci, previa però la licenza in iscritto di monsig. tesoriere ad oggetto di ottenere il reintegro a stima dei periti nel fine, o nello scioglimento dell' intero contratto, e non prima. In fine farete obbligare il Sabatucci nelle più valide, ed efficaci forme all' esatto adempimento delle sue promesse, e vicendevolmente per la intiera esecuzione del presente contratto in tutto ciò, che è convenuto in di lui favore, e fino a tanto che non sia compitamente soddisfatto di tutto quello, che in vigore del medesimo gli sarà dovuto, oltre la ipoteca generale di tutti i beni, e ragioni della Nostra camera, vogliamo, che non s' intenda in questa trasferito nè il dominio, nè il possesso delle medesime saline, ma bensì e l' uno, e l' altro rimanga realmente, ed effettivamente, e non in figura di semplice riserva di dominio equivalente legalmente ad una speciale ipoteca presso detto Sabatucci, qual costruttore delle medesime nella totalità a proprie spese, ed altresì all' effetto suddetto, e fino all' enunciato adempimento s' intenda a di lui favore riservato l' utile dominio del fondo, su cui le dette saline saranno formate, benchè acquistate in nome della camera in vigore della enfiteusi fattane dai proprietarj, di modo che il detto dominio, e possesso delle saline ritenuto dal Sabatucci, e l' utile dominio del suolo ceduto al medesimo, non venga a risolversi, ed a ritornare alla Nostra camera, se non che dopo essere egli stato saldato di tutto ciò, che gli potrà appartenere.

Onus stipulandi instrumentum, cum clausulis salutaribus, et irritantibus.

§. 10. In questa forma adunque, e con queste, ed altre condizioni, che vi sembrerà opportuno di aggiungere, interporrete ogni decreto necessario per la esecuzione del presente nostro chirografo, e stipolerete il corrispondente istromento, al quale effetto vi diamo tutte le più ample fa-

coltà, essendo questa la Nostra precisa intenzione, e volontà. Volendo, e decretando, che il presente chirografo, e cedola di moto proprio, abbia il suo pieno effetto, e vigore, benchè non si trovi ammessa, e registrata nei libri della Nostra camera, e non siasi inteso alcuno, che vi avesse, o pretendesse aversi interesse, eccettuato però il commissario della Nostra camera, il quale è stato già da Noi inteso, e segnatamente benchè non siano stati intesi i coappaltatori della salara di Roma, e che a tenore del medesimo chirografo, e cedola debba giudicarsi da qualunque giudice, tribunale, congregazione cardinalizia, ed altro qualunque dicastero di qualsivoglia preeminenza, e dignità fornito, ancorchè richiedesse specifica, ed individua menzione, nè contro la medesima possa opporsi vizio di orrezione, o di surrezione, o di altro difetto della Nostra volontà, cassando, ed irritando qualunque cosa fosse pronunciata, o stabilita in contrario da qualunque autorità, giudiziaria, o economica, o governativa: non ostante la bolla della gl: me: di Pio V. *de registrandis*, la regola di cancelleria *de jure quaesito non tollendo*, le costituzioni apostoliche, e segnatamente della Nostra costituzione *Post diuturnas* circa le solennità dei contratti camerali, alle quali tutte, compresa anche la vigesima, e la sesta, quando faccia di bisogno ampiamente deroghiamo, e non ostante qualsivoglia altra costituzione, legge, statuto, riforma, uso, consuetudine, ed altra cosa potesse in qualsivoglia modo fare in contrario, alle quali cose tutte niuna eccettuata, avendone il tenore per espresso, e verbalmente inserito, deroghiamo, sebbene munite fossero di clausole derogatorie, e derogatorie delle derogatorie, o altre qualsivogliano.

Dato dal Nostro palazzo apostolico del Quirinale questo dì 30. settembre 1807.

Pius PP. VII.

DXXVI.

Dat. die 20 octobris 1807. anno VIII.

Assignatio bonorum beneficii sub invocatione sanctorum Joannis, et Vitalis pro erectione parochialis ecclesiae sanctae Mariae de Fide in oppido Montis Florum dioecesis Firmanae

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii incolae regionum, quas vocant Guzzani, et sanctae Mariae de Fide in territorio de Monte Flore Firmanae dioecesis, se campestria loca habitare tribus circiter milliariis dissita a suae paraeciae oppido, quo iri etiam nequit, nisi per viam asperam, et quod magis est, inter se etiam ab amne, qui crebro, ac hyemali praesertim tempore, nonnisi cum evidenti traijcitur vitae discrimine, ita ut et ob distantiam locorum, et ob difficultatem viarum haud raro contingat, ut neque missa diebus festis audiri, neque sacramenta in mortis articulo valeant administrari. Hinc aerumnosam conditionem eorum pie miseratus dilectus filius Joseph Brignole presbyter, ac possessor ecclesiastici beneficii sub titulo sanctorum Joannis atque Vitalis, cujus bona jacent pro maxima parte in una ex regionibus supradictis proposuit fundationem peculiaris parochiae, quae tot tantisque incommoditatibus eos perpetuo eriperet; scilicet consentiendo, quemadmodum et scripto consensit, posse nunc pro tunc post obitum suum fundari parochiam in ecclesia praenominatae sanctae Mariae de Fide, quae satis ad id apta est, adnexamque etiam habet pro usu parochi habitationem, et assignari in parochiae dotem bona, redditusque sui beneficii adeo nunc per ipsum adauctos, ut substentationem parocho congruam suppeditare queant, quum usque ad scutata circiter centum libera a cunctis oneribus, etiam missarum, quotannis pertingant. Acces- Expositio precum.

sere autem consensu, vel suo tum modernus archipresbyter sanctae Luciae, tum prior sancti Petri de Monte Flore, quorum in Gozzani, et sanctae Mariae de Fide regiones jurisdictio parochialis extenditur, sub his tamen sequentibus conditionibus, sic vernacula per eosdem lingua conscriptis.

I.

De finibus novae parochiae.

§. 2. Che il distretto di detta parrocchia, dove possa il parroco esercitare pienamente, e liberamente la sua giurisdizione, debba essere dai confini di Carassai, e di Ripa sino al fosso di Castello, o sia Pratello sino al fiume Aso dalla parte di tramontana, e dalla parte di mezzo giorno sino al fosso di Taverno sino al fiume Menocchia.

II.

De praelatione danda archipresbytero et priori in funeribus agendis.

§. 3. Che nelle circostanze de' funerali in detta chiesa rurale, qualora debbano invitarsi altri sacerdoti siano sempre preferiti l' arciprete, ed il priore, ed in tal caso spetti ad essi il fare tutta la funzione con la stola.

III.

De jure celebrandi missam solemnem in festo Ascensionis Domini et nativitatis B.M.V.

§. 4. Che nelle funzioni dell'ascensione del Signore, e della natività di Maria santissima, non abbia il parroco di detta chiesa alcun diritto di cantar la messa, ma sia del capitolo riguardo al giorno dell' ascensione, e de' due parrochi della terra riguardo alla natività.

IV.

De jure parochorum ingrediendi ecclesiam elata cruce.

§. 5. Che in occasione, che il popolo di questa terra per qualche particolare bisogno, come ha costumato le tante volte, volesse portarsi processionalmente a visitare la detta chiesa di santa Maria della Fede sia lecito a chiunque de' due parrochi entrarvi con la croce inalberata, e con la stola, ed ivi fare quella funzione, che si desidera.

V.

De subjectione a parocho praebenda favore aliorum parochorum oppidi.

§. 6. Che nel giovedì, e sabato santo sia per sempre obbligato il parroco di detta chiesa riconoscere alternativamente le due parrocchie della terra con assistere alle funzioni vestito di cotta con gli altri sacerdoti alla messa solenne, e vesperi di santa Lucia: alla messa solenne, e processione nel giovedì santo, e nel sabato santo alla benedizione del fonte, e quindi ricevere l' acqua battesimale, gli olii santi dalle mani un' anno dall'arciprete, l'altro anno dal priore.

Approbatio praedictae erectionis.

§. 7. Quae cum sint, Nobis exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur spiritualibus exponentium indigentiis opportune consulere, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut si vera esse, quae sunt narrata compereris, vocatis iis, qui ad id fuerint vocandi, et absque ullo cujuspiam praejudicio, ex nunc pro tunc, et e contra, auctoritate Nostra apostolica specialiter, ac expresse tibi ad haec delegata, primo ad suppressionem dicti beneficii sanctorum Joannis, et Vitalis devenias, illudque postquam ejus vacationi ex obitu dicti Josephi presbyteri, a quo de praesenti obtinetur, datus sit locus, etiamsi collatio, seu provisio dicti beneficii ad Nos, et Sedem apostolicam pertineat, perpetuo suppressum fore, ac esse declares; deinde memoratam ecclesiam sanctae Mariae de Fide in parochialem ecclesiam, ei tum certos fines, ac proprium populum, tum jura, et privilegia, honores, et onera consueta attribuendo, erigas, atque instituas, ejusque in dotem tam domum ecclesiae eidem adnexam pro usu parochi quam bona, et jura omnia beneficii, ut praefertur, suppressi una cum ejus fructibus, redditibus, et proventibus pro parochi congrua adjudices, atque assignes; ita tamen, ut de ecclesiae istius in parochialem erigendae decenti cultu per te pro-

vide caveatur; parochi vero pro tempore ad eam assumendi servata semper forma a concilio Tridentino praestituta assumantur, ipsique tam satisfactioni onerum suppresso beneficio injunctorum, quam observantiae conditionum, sub quibus praenominati archipresbyter, et prior suum ad praemissa praebuere consensum, perenniter subijciantur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; ac iis, ad quos spectat, et spectaturum fuerit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac praesertim, quatenus opus sit; concilii Lateranensis novissime habiti applicationes beneficiorum nonnisi in certis casibus prohibentis, nec non regulis cancellariae Nostrae apostolicae tum de applicationibus hujusmodi ad partes committendis, tum de jure quaesito non tollendo, ac dicti ejusdem beneficii fundatione, aliisque etiam speciali, ac individua mentione, et derogatione dignis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXVII.

Dat. die 13 novembris 1807, anno VIII.

Concessio missae, et officii proprii sacratissimi cordis Jesu pro monialibus ordinis sancti Francisci sub denominatione Immaculatae Conceptionis monasterii sancti Joannis de Palma civitatis Hispalensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, et moniales ordinis sancti Francisci sub denominatione Immaculatae Conceptionis monasterii sancti Joannis de Palma nuncupati Hispalensis civitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae ad nimiam Christi Domini patientis, et pro humani generis redemptione morientis charitatem ferventius recolendam sacratissimi cordis Jesu cultum, et venerationem in dies augeri vehementer desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis dictarum exponentium votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum per dicti monasterii moniales in festo sanctissimi Cordis Jesu officium ejusdem alias ab hac sancta Sede pro Portugalliae, et Algarbiorum regnis approbatum, et concessum recitari, ac sacerdotes ad ipsius monasterii ecclesiam die festo hujusmodi confluentes missa similiter approbata, et concessa ibidem celebrari possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis fir-

mitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXVIII.

Dat. die 17 novembris 1807. anno VIII.

Confirmatio concordiae initae a cappellano, seu dignitate thesaurarii, et capitulo ecclesiae cathedralis Tirasonensis super onere praestandi ceram debitam ab eodem thesaurario.

Venerabili fratri episcopo Tirasonensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Benedictus Ortega Romanillas thesaurarius dignitas ecclesiae cathedralis Tirasonensis, esse dignitatis praebendam, quam ipse obtinet, pervetusto obnoxiam oneri praestandi, ac tribuendi cerae quantitatem plane omnem, quae ad divina officia, ceterasque functiones usui est tam cathedrali praedictae, quam aliis ecclesiis ejusdem filialibus, sive parochiales sint, sive, ut ajunt, cappellae. At quia sub usus, et consumationis cerae hujusmodi titulo, variis temporibus, ac per varias etiam occasione, actuque visitationum interpositas provisiones, abusus irrepsere non pauci, qui enunciatum praebendae onus aequo gravius sensim adauxerant, de his exponens abusibus conquestus est apud cathedralis capitulum, suique detrimenti rationes adeo ostendit, ut ad dissentiones hac in re radicitus extirpandas inita inter utramque partem fuerit tandem concordia, qua ipse, et capitulum unanimiter convenerunt, ac publico quoque instrumento firmarunt, scilicet, ut in posterum tam exponens, quam sui pro tempore successores, pro omni, ac toto debito oneris, quod, uti praemissum est, memoratae inhaeret praebendae, nihil aliud praestarent, ac tribuerent, quam viginti novem arrobas, seu septingentas viginti quinque libras cerae, ponderis istarum partium, ac bonae qualitatis, ceramque hanc ferrent, traderentque quotannis mense julii ecclesiae cathedrali, cedendo tamen, ac renuntiando in perpetuum, prout et pro se, et suis pro successoribus renuntiavit exponens, ac cessit favore ejusdem cathedralis quodcumque jus, et quamcumque actionem thesaurario dignitati quomodolibet competentem super perceptione quartae funeralis non modo in cathedrali, sed etiam in aliis filialibus cathedralis ecclesiis, tum et super ceteris quibusvis perceptionibus, quibus contributionis praedictae cerae ratione thesaurarii dignitates gavisi hactenus sunt, et gaudere consueverunt. His itaque sic invicem conventis, feliciterque compositis, ut instrumentum, quod pro compositione, et concordia hujusmodi stipulatum solemniter fuit die decima septima novembris anni proxime elapsi, eam, qua par est, vim sortiatur, soliditatemque plenam acquirat, illud per Nos exponens confirmari, Nostraeque auctoritatis munimento fulciri vehementec exoptat, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitat.

Tenor apostolicae confirmationis

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem, ac supradictum capitulum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac tum exponentis, tum capituli ipsius singulares personas a quibusvis excommunicationis,

suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, constito tibi de narratis, instrumentum concordiae superius recensitum cum omnibus, et singulis in eo contentis, dummodo honestis, licitisque, ac nemini praejudicialibus, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia gratis approbes, ratumque, ac validum facias, atque declares, illique robur perpetuum apostolicae confirmationis adjicias, ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper intervenisse contigerit, sanes, ac suppleas, idemque instrumentum universis, ac singulis, ad quos spectat, et spectabit pro tempore plenissime suffragari, et inviolabiliter semper a cunctis observari mandes, atque decernas; Nos enim tibi facultates omnes ad id necessarias eadem auctoritate tribuimus, atque impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, nec non dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXIX.

Dat. die 17 novembris 1807 anno VIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab iis, qui die quarta aprilis visitaverint ecclesias ordinis minorum sancti Francisci de observantia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis ordinis minorum s. Francisci de observantia, ac etiam reformatorum nuncupatorum, ubicumque existentem die quarta mensis aprilis a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris

Fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis ordinis hujusmodi munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub

annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 20 novembris 1807 anno VIII.

DXXX.

Facultas concessa canonicis ecclesiae collegiatae terrae sanctae Anatoliae dioecesis Camerinensis deferendi rocchetum, et mozzetam violacei coloris, cum globulis, et asulis cremisini coloris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti, ecclesiasticis viris illis, qui caelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt in aula Domini, peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati, internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere studeant.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii prior, et canonici ecclesiae collegiatae terrae sanctae Anatoliae Camerinensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, templi structura, et amplitudine, sacerdotum probitate, et doctrina, populique Christiani frequentia, et devotione non mediocriter inter alias dictae dioecesis ecclesias floreat, cum eadem terra in tres paraecias distributa, quatuor etiam regularibus domibus munita, atque sex piis sodalitatibus decorata reperiatur, multum splendoris cum ad collegiatam, tum ad terram accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si dicti prior, et canonici novis per Nos, et hanc apostolicam Sedem decorationibus ornentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus priori, et canonicis ecclesiae collegiatae praedictae, ut ipsi loco almutiarum, quas adhuc gestare consueverunt, deinceps rocchetum, et mozzetam violaceam cum globulis, et asulis cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque deferre, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ejusdem collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo. Derogatio contrariorum.

Dat. die 1 decembris 1807, anno VIII.

DXXXI.

Erectio capituli in ecclesia sancti Nicolai oppidi Fogarasiensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Apostolatus officium, quod divinae sapientiae altitudo humilitati Nostrae nullo licet meritorum Nostrorum suffragio committere dignata est, salubriter exequi satagentes illa, quae pro felici cathedralium ecclesiarum, et eorum qui in ipsis Altissimo assidue famulatum praestant regimine et gubernio, provide, prudenterque facta esse noscuntur, confirmationis apostolicae praesidio, cum id a Nobis petitur libentissime roboramus, prout temporum et locorum ratio postulat, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Memoratur erectio ecclesiae sancti Nicolai facta in sequelam decreti congregationis de Propaganda Fide.

§. 2. Sane postquam usque, et de anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praeposita nonnulla circa Graecam nationem tractaverit, et praecipue pro Graecorum Valachorum, Ruthenorum, et Rascianorum in Transilvaniae provincia commorantium spirituali salute decreverit procedendum esse ad erectionem ecclesiae sancti Nicolai oppidi Fogarasiensis in cathedralem hujusmodi Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque qui per provinciam praedictam Transilvaniae commorabantur, et nonnulla pro erectione hujusmodi efficienda necessaria congregationi ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium rebus consistorialibus praepositorum ad examen mandaverit, ac piae memoriae Clementi papae undecimo praedecessori Nostro agenda proposuerit, deindeque felicis ricordationis Innocentius pp. XIII. praedecessor item Noster ad formam tum unius, tum alterius ex congregationibus praedictis resolutionum, per apostolicas sub plumbo expeditas literas in pontificatus sui anno primo ecclesiam praefatam sancti Nicolai in cathedralem Graeci ritus Sanctae Romanae Ecclesiae uniti erexerit, ipsumque oppidum Fogarasiensem episcopalem civitatem declaraverit; cumque nonnullis de causis eodem tempore ad erectionem capituli hujus cathedralis minime devenire potuisset, ea propter in literis antedictis optime per Innocentium praedecessorem statutum fuerit, ut juxta Graeci ritus ordinationes, nonnulli monachi ordinis sancti Basilij, quorum spectabilis est coetus, atque unicus monasticus ordo apud ipsam Ruthenorum nationem, in eadem ecclesia loco capituli, et canonicorum constituerentur.

§. 3. Nuper autem venerabilis frater Joannes Babb cathedralis hujus ecclesiae modernus antistes cum optime compererit, quod monachi praedicti, tam ob instituti rationem, quam ob valde ad praesens imminutum eorum numerum officii hujusmodi partes opportune implere minime poterant, ad hoc ut ejus ecclesia ad formam aliarum cathedralium eo quo convenit decore effulgeat; atque in sua dioecesi ecclesiastica disciplina salubriter in Domino ordinetur, pia et laudabili dispositione, ad majorem omnipotentis gloriam, et spirituale commodum gregis Dominici sibi commissi, propriis sumptibus novum capitulum erigere, et dotare curaverit, aliaque etiam pro cathedralis ecclesiae servitio, et congrua parochialium subsistentia, et recta totius dioecesis administratione disposuerit. Ac insuper idem Joannes episcopus eximia pietate, et singulari orthodoxae religionis zelo praeditus, in pastoralis ministerii munere pro spirituali salute gregis sibi commissi, cum laboribus plurimis, ac dispendiis, nominisque sui magna laude semper attendens ea omnia et singula, quae propriis sumptibus in erectione capituli praedicti, aliarumque piarum institutionum pro recto totius dioecesis regimine laudabiliter providere studuit, ad Nos per proprias literas una cum suis patentalibus datis prima die mensis februarii currentis anni transmittere curavit, suppliciter rogans, ut pro opportuna institutionum hujusmodi validitate, et exacta observantia, apostolicae approbationis et confirmationis Nostrae robur accederet. Expositio precum

§. 4. Re autem a Nobis mature perpensa; attendentes quod hujusmodi cathedralis ecclesiae capituli ere- Tenor concessionis.

ctio et dotatio juxta ejus fundationis methodum pro ecclesiae servitio, ac personarum, rerum, et bonorum felici directione, universique dioecesani Graeco-catholici gregis utilitate, ad Sanctae Catholicae Ecclesiae exaltationem cedat, supplicationibus pro parte ejusdem antistitis Nobis humiliter porrectis, benigne inclinati, ipsius Fogarasiensis episcopi zelum, ac pietatem plurimum commendantes praedictae cathedralis ecclesiae Fogarasiensis capituli, ad praesens in ecclesia titulo sanctissimae Trinitatis urbis Balasfalvensis existentis, erectionem, cum omnibus et singulis oneribus, redditibus, et ordinationibus in memorata fundatione, et erectione a praedicto episcopo, sicut praefertur, facta, aliaque similiter circa parochiales ecclesias in dictis patentalibus literis contentis et expressis, apostolica Nostra auctoritate tenore praesentium plenissime approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adijcimus, ita ut capitulum et canonici praedicae cathedralis ecclesiae res, bona, proprietates, cum omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae similes cathedrales ecclesiae in eodem regno existentes, eorumque capitula, et canonici, de jure, usu, consuetudine, privilegio, non tamen ex indulto, seu privilegio particulari, aut oneroso titulo utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, similiter et pariformiter, dummodo tamen sint in usu et non revocata, sacrisque canonibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite valeant, apostolica pari auctoritate, tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes erectionem et institutionem capituli hujusmodi a memorato Fogarasiensi episcopo, ut praefertur, factas, Nostrasque praesentes confirmationis literas, semper et perpetuo validas, atque efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetandi facultate, et auctoritate judicari et definire debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Reservatio peculiaris.

§. 6. Praesentibus autem literis Nostris nihil innovare intendimus de iis, quae a praedecessoribus Nostris optime statuta fuerunt circa Graecos, qui Latinis immixti vivunt, et praecipue decreta ab enunciata congregatione venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum, pluries super iisdem emanata, firma, valida, ac in eorum plenissimo effectu remanere volumus, atque mandamus.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, concessionis, decreti, voluntatis, et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octigentesimo septimo, kalendis decembris, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 11 decembris 1807 anno VIII.

DXXXII.

Confirmatio privilegiorum, et jurium alias concessorum communitati Fanensi.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectorum filiorum gonfalonerii et priorum civitatis Nostrae Fanensis, consilium publicum, seu publicos repraesentantes civitatis istius pervetusta uti, fruique possessione quorumdam jurium et privilegiorum, scilicet: primo eligendi, scribique faciendi in matricula causarum actores, qui apud curiam laicam gerere isthic cupiunt munus causidici, praevio examine duobus coram doctoribus designandis per speciale consilium: 2° excludendi a tali munere illos, qui vel examen doctorum subire, vel matriculam consilii specialis detrectant capessere; uti etiam delinquentes in officio inhabiles ad ejus exercitium declarandi atque reddendi: 3. licentiam concedendi causidicis, ut causas pertractare interim possint, donec intra tempus congrue eis praefixum matriculam reportaverint: 4. publicandi edicta, seu notificationes in civitate spectantes ad liberum jurium, privilegiorumque hujusmodi exercitium tum quoad procuratores et advocatos, tum quoad actuarios atque notarios. Licet autem exponentes jura haec et privilegia non solum patrii codicis statutarii, qui anno 1508 typis editus fuit, jugisque subsequentium saeculorum praxis fundamento, sed literis quoque apostolicis praesertim felicis recordationis Julii pp. II. praedecessoris Nostri, nec non literis congregationis praepositae consultationibus civitatum, locorum, atque terrarum status Nostri ecclesiastici, ac praeterea quam plurimis publici consilii actis, et publicorum pro tempore repraesentantium notificationibus firmiter ac patenter inniti arbitrentur; nihilominus tamen ne quidquam moliendi adversus horum jurium et privilegiorum possessionem, qua praedictum Fani consilium, seu publici repraesentantes diutissime gaudet, ullum unquam turbulentis et captiosis ingeniis supersit effugium, apostolicae approbationis et confirmationis munimento specifico ea per Nos vallari vehementer exoptant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Nicolai Riganti praememoratae congregationis secretarii, ad quem supplicem exponentium libellum remisimus, quique rem hanc, etiam sciscitando mentem venerabilis fratris moderni episcopi administratoris Fanensis, ac exquirendo votum fiscalis generalis camerae Nostrae apostolicae, mature perpendit quatuor articulos jurium et privilegiorum publici consilii Fanensis, omnes et singulos, eo modo et forma, prout superius recensiti ac expressi sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium ejusdem consilii seu publicorum repraesentantium favore ratos, validosque habemus, ac specifice approbamus et confirmamus, illisque robur perpetuum apostolicae firmitatis adiicimus, ac siquos defectus quomodolibet in eos irrepsisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praedicto consilio plenissime semper suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis et specialem, et expressam mentionem, ac derogationem requirentibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam

Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima decembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 15 decembris 1807 anno VIII.

DXXXIII.

Concessio usus capparum sericarum cum pellibus albis pro canonicis ecclesiae collegiatae villae de Mora dioecesis Terulensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes peculiaria indumenta deferenda concedimus ecclesiasticis viris illis, qui in templis magis conspicuis Altissimo inserviunt, ibique coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt, quo ipsi per externas etiam hujusmodi decorationes, et ad eorum munus exprimendum aptissimas, excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere studeant in aula Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii prior, dignitates, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae villae de Mora Terulensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique Christiani frequentia, et devotione inferior minime sit nonnullis aliis illarum regionum collegiatis, imo (ut pariter asseritur) per rec: me: Callixtum pp. III. praedecessorem Nostrum peculiari aliquo privilegio sive per concessionem, sive potius per confirmationem ornata fuerit, idcirco dicti exponentes similibus indumentis choralibus, quibus decanus, et canonici alterius assertae insignis collegiatae ecclesiae villae de Rubielos ejusdem dioecesis, aliique permultarum aliarum collegiatarum in Hispaniarum regnis existentium canonici ad praesens utuntur, uti posse ad majorem Dei gloriam, eorumque sacri muneris venerationem vehementer desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, attentis desuper relationibus venerabilis fratris Blasii Joachimi episcopi Terulensis, exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus priori, dignitatibus, et canonicis memoratae collegiatae villae de Mora, ut ipsi loco capparum nigrarum pellibus armellinis cineraceis ornatarum, quas adhuc a die festo omnium sanctorum usque ad sabbatum sanctum deferre consueverunt, in posterum easdem cappas etiam sericas, atque insuper pellibus armellinis albis ornatas ad instar in omnibus, et per omnia alterius collegiatae praedictae de Rubielos etiam quoad ornamenta capparum hujusmodi serico rubea tempore aestivo per dictos canonicos de Rubielos deferri consueta tam in eorum ecclesia quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, et uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praememoratae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam

Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta decembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXXIV.

Dat. die 8 januarii 1807 anno VIII.

Concessio usus roccheti, et mozzetae violaceae subsutae tela serica cremisini coloris, cum globulis, et asulis sericis ejusdem cremisini coloris pro canonicis collegiatae ecclesiae de Altidona dioecesis Firmanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui almae veluti Sionis aemuli divinas laudes in domo Domini solemniter persolvunt peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati, internarum virtutum splendore omnibus qui in Domo sunt, praelucere magis, magisque studeant.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii capitulum, et canonici collegiatae ecclesiae de Altidona Firmanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt collegiata ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, populique frequentia non mediocriter floreat, multum splendoris, et ornamenti ad ipsam ecclesiam accederet, et divinus in ea cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae canonici novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicare fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut supra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequentem, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis dictae collegiatae, ut rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam, cum globulis, et asulis sericis ejusdem cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava januarii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 19 januarii 1808. anno VIII.

DXXXV.

Declaratio, quod cardinales ab urbe per vim abstracti, gaudere debeant omnibus juribus, ac privilegiis, ac si praesentes essent in eadem urbe.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Bonus excurrit annus, ex quo redemptor Noster suo imperscrutabili judicio universalis Ecclesiae curam Nobis committere dignatus est. In hoc permolesti temporis spatio ultra gravissimas quotidie sollicitudines, illud Nobis singulariter identidem accidit, quod nonnulli ex venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ab iis qui sub Galliarum imperatore militiam exercent, quique Romanam urbem occuparunt per vim a latere Nostro avulsi, variasque ad regiones traducti, ubi moram adhuc facere coguntur, absentes nunc reperiantur ab ipsa urbe, ad quam Omnipotentis Dei beneficio speramus eos fore redituros.

Ratio concessionis

§. 2. Quoniam vero nec sacrorum canonum statutis, nec aequitati consentaneum esset, ut cardinales hujusmodi praeter voluntatem ab urbe absentes, juribus illis ac privilegiis orbarentur, quibus gauderent si in Nostra pontificia curia praesentes existerent, atque inter haec non inferiorem locum habeat jus optandi ad ecclesias episcopales suburbicarias, quae pro titulo cardinalatus assignantur iis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui in cardinalitia hierarchia, ordinem episcoporum constituunt, idcirco eorum indemnitati opportunum consulere pro Nostri supremi officii munere congruum existimamus.

Tenor concessionis.

§. 3. Cum itaque in apostolicis nonnullorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus, et praecipue in literis fel. rec. Clementis pp. XII. datis die decima mensis januarii MDCCXXXI. atque incipientibus « *Pastorale officium* » caveatur expresse, quod cathedrales ecclesias suburbicarias, ii tantummodo cardinales optare valeant, qui tempore ipso vacationis praesentes in curia existant, vel ab eadem curia absentes, dumtaxat ex causa publica, et ex destinatione Romani pontificis; cumque praefati etiam cardinales vi a Nobis abstracti, et contra Nostram et eorum voluntatem longe ab urbe traducti, censendi sint habiles ad fruendum iisdem juribus ac privilegiis quibus fruerentur, si personaliter adessent in urbe; Nos propterea de consilio nonnullorum dilectorum filiorum S. R. E. cardinalium, ad quamcumque super hac re tollendam ambiguitatem, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine declaramus, volumus, atque praecipimus, quod cardinales hujusmodi tamquam praesentes in curia reputentur ad effectum gaudendi praefatis omnibus et singulis juribus ac privilegiis, ita ut cathedrales quoque episcopales ecclesias suburbicarias, praevia Nostra scientia et consensu, servatis tamen reliquis omnibus servandis per procuratorem ex eodem cardinalium collegio specialiter deputandum, in qualibet vacatione, de more optare libere ac licite possint et valeant.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Ne autem contenta in hisce Nostris declaratione et dispositione minus valida reputentur, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur, tam Nostrae apostolicae cancellariae, quibuslibet etiam de jure quaesito non tollendo regulis, quam quibuscumque synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus quoque conciliis, nec non praedicti Clementis pp. XII. et aliorum Romanorum pontificum circa sacrum cardinalium collegium literis, aliisque editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes plenissime, ac specialiter, et expresse ad praemissorum validissimum effectum harum serie derogamus, ac derogatum esse censeri etiam decernimus.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus quoque ut earumdem praesentium transumptis, seu

exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, praecepti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octavo, quartodecimo kalendas februarii, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 16 februarii 1808 anno VIII.

DXXXVI.

Concessio nonnullarum indulgentiarum assequendarum a fratribus, monialibus, et tertiariis ordinis Praedicatorum juxta pia opera praestanda.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Indulgentia centum dierum.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, precibus quoque dilecti filii Pii Josephi Gaddi fratrum ordinis Praedicatorum generalis magistri, omnibus, et singulis fratribus, et monialibus, itemque tertiariis de militia Christi, seu de Poenitentia nuncupatis dicti Praedicatorum ordinis, ac confratribus, et consororibus confraternitatum beatae Mariae virginis de Rosario, et sanctissimi Nominis Jesu canonice erectarum, et ubilibet erigendarum, qui per horae quadrantem orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos continuatos quadrantes, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Alia plenaria.

§. 2. Iis vero, qui orationi hujusmodi primo, aut secundo modo singulis diebus per totum mensem operam dabunt, etiamsi fratres, et moniales praedicti ad id ex eorum regula teneantur, vere tamen poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, atque pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione orantibus, plenariam semel pro quolibet mense ad uniuscujusque eorum libitum eligendo quolibet anno lucrifaciendam.

Similis ut supra

§. 3. Similiter praedictorum iis, qui quatuor anniversariis, vel officiis defunctorum in dicto ordine annuatim praescriptis, unum scilicet pro fratrum, et monialium, ac tertiariorum ipsius ordinis, alterum pro suorum consanguineorum, et affinium, tertium pro familiarium, et benefactorum suorum animabus, quartum pro sepultis in eorum ecclesiis, et coemeteriis devote interfuerint, ac vere etiam poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, atque, ut supra oraverint, qua vice hujusmodi id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Qui vero ex praedictis per quadraginta dies orationibus, mortificationibus, aliisque piis operibus, et exercitiis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noster Jesus Christus in deserto latuit, cum devotione, et silentio vacaturi secedunt, qua vice id egerint, semel quotannis easdem indulgentias, quas Paulus pp. V. praedecessor Noster concessit regularibus per decem dies spiritualibus exercitiis incumbentibus, consequantur.

Extensio earundem indulgentiae ad omnes Christifideles utriusque sexus.

§. 4. Universis autem utriusque sexus Christifidelibus vere pariter poenitentibus, et confessis ac sacra communione refectis, qui hora sibi assignata rosarium beatae Mariae virginis devote recitaverint, atque, ut supra, oraverint, plenariam semel in anno lucrifaciendam: eisdemque Christifidelibus, qui pia erga sanctum Dominicum dicti ordinis fundatorem, ac rosarii ejusdem beatae Mariae virginis auctorem devotione

quindecim tertiis feriis in anno confiteri, et in aliqua ipsius ordinis ecclesia, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere solent, atque, ut supra oraverint, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; in una vero ex dictis tertiis feriis ad eorum libitum eligenda plenariam: itidem iis Christifidelibus, qui septem feriis sextis in anno, praesertim vero immediate praecedentibus festum sancti Vincentii Ferrerii confessi, ac sacra communione refecti in honorem ejusdem sancti, ac etiam, ut supra, orantes in una ex dictis septem feriis sextis ad libitum semel in anno eligenda, plenariam, in reliquis vero septem annos, et totidem quadragenas; pariter, qui novem diebus festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi immediate praecedentibus aliquam ecclesiam dicti ordinis devote visitaverint, ibique piis exercitiis, et orationibus, aut sacris concionibus interfuerint, septem annos, et totidem quadragenas qualibet die, prima autem, et ultima, si etiam confessi, et sacra Eucharistia refecti, atque, ut supra, oraverint, plenariam.

Alia peculiaris pro tempore missionum. §. 5. Demum singulis fratribus ordinis praedicti, qui de ordinariorum, et superiorum licentia in diversas Christianae reipublicae provincias ad procurandam fidelium salutem mittentur, atque universis Christifidelibus, ad quos ipsi missi accesserint, vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, principum Christianorum unione, et infidelium conversione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam una vice tantum tempore uniuscujusque missionis omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino etiam concedimus: quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis. §. 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici, vel procuratoris generalis dicti ordinis subscriptis, et sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta februarii millesimo octigentesimo octavo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXXVII.

Dat. die 17 februarii 1808. anno VIII.

Erectio cathedralis ecclesiae Montis Albani

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Pius PP. VII.

Proemium. §. 1. Supremo pastorali munere Christi vices fungentes Nostrum esse intelligimus fidelium omnium gerere sollicitudinem, et si qua necessitas aut universos, aut singulos constringat, eidem obviam ire, atque apostolica auctoritate providere: Portamus enim, ut cum Siricio decessore Nostro loquamur, onera omnium qui gravantur; quin imo haec portat in Nobis beatus Petrus, qui Nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit, et tuetur haeredem. Hinc malis licet undique circumdati, et assiduis animi angoribus cruciati, non deserimus ministerium Nostrum, et quamquam non desint rationes, quae aliter saepe suaderent, eas ultro despicimus, atque fidelium bono unice intenti, quod Deo disponente suscepimus mu-

nus, pro viribus exequi non desistimus.

Ratio decernendae novae erectionis.

§. 2. Cum ob vastam nonnullarum dioecesum in Gallicano imperio amplitudinem, non facile sit illarum episcopis populorum spirituali administrationi adamussim incumbere, omnia et singula loca frequenter visitando, et dioecesanorum suorum necessitatibus prompte occurrendo, habitatores civitatis Montis Albani, intra limites vastae Cadurcensis dioecesis, enixas preces gubernio saeculari obtulerunt, ab eoque opportunum impetrarunt assensum, ut ipsa Montis Albani civitas, adsignato ei congruo territorio ad episcopalis cathedrae honorem restitueretur.

Consensus praestitus a metropolitis.

§. 3. Cumque Nobis hujusmodi vota exhibita fuerint una cum expresso consensu tam venerabilium fratrum Nostrorum Tolosani archiepiscopi, et Cadurcensis, ac Agennensis episcoporum, quam dilectorum filiorum metropolitanae, et cathedralium praefatarum capitulorum, a quorum respectivis dioecesibus varia erunt separanda loca pro novi episcopatus Montis Albani perficienda erectione, apostolici officii Nostri ducimus pia catholicorum desideria benigno prosequi favore, illorumque spirituali utilitati opportune consulere.

Tenor erectionis.

§. 4. Nos igitur praedictam Montis Albani civitatem, quae viginti mille circiter numerat incolas, et in qua integra adhuc extat fabrica antiquae cathedralis ecclesiae amplae et bonae structurae, sub invocatione beatae Mariae Virginis, sive sancti Jacobi, a Cadurcensi dioecesi, ut infra separando, in civitatem Montis Albani nuncupandam, cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis, privilegiis, non tamen titulo oneroso acquisitis, quibus aliae civitates episcopali sede insignitae in Gallia existentes, et eorum cives fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac similiter ecclesiam supradictam in cathedralem ecclesiam Montis Albani sub eadem beatae Mariae Virginis vel sancti Jacobi invocatione nuncupandam, ac pro tempore existenti archiepiscopo Tolosano suffraganeam, eique metropolitico juri subjectam, et in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Montis Albani nuncupando, qui eidem ecclesiae Montis Albani, illiusque civitati et dioecesi, ut infra assignandae praesit, et singula jura, officia, munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, favoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae in Gallia existentes cathedrales ecclesiae, earumque praesules, non tamen titulo oneroso utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, et in ipsa cathedrali ecclesia Montis Albani, unam seu plures dignitates, et convenientem numerum canonicatuum pro totidem futuris dignitate seu dignitatibus, et canonicis, qui eidem ecclesiae Montis Albani, una cum aliis presbyteris et clericis inservire teneantur: quique capitulum dictae cathedralis ecclesiae constituant, cum suis pariter choro, mensa capitulari, arca, bursa, et sigillo communibus, ac in eadem cathedrali ecclesia Montis Albani, chori servitium, et divina officia, aliasque ecclesiasticas functiones laudabiliter persolvere teneantur; ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine perpetuo erigimus, et instituimus: cum hoc tamen quod futurus episcopus Montis Albani in dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta, theologalem, et poenitentiariam praebendas, atque in dicta Montis Albani civitate seminarium puerorum ecclesiasticum ad praescriptum concilii Tridentini respective erigere et instituere debeat, et interim inter futuros in dicta Montis Albani ecclesia, per Nos, ut praefertur, erecta, primo instituendos canonicos, quos aetate, scientia, et pietate, ad theologi, et poenitentiarii respective munera obeunda idoneos judicaverit destinare curet.

Destinatio dioecesis novae.

§. 5. Et insuper, ut praefatae cathedrali ecclesiae Montis Albani, per Nos, ut praefertur, erectae clerus, et populus constituatur, ultra duas parochiales, ac tredecim curatas succursales nuncupatas ecclesias in ipsa civitate, unam parochialem ecclesiam loci de Negrepelisse cum octo succursalibus, ac aliam loci de Caussade cum septemdecim succursalibus, ac aliam loci de Caylux cum sexdecim

succursalibus, ac aliam loci de Montelar cum undecim succursalibus, ac aliam loci de la Française cum octo succursalibus, ac aliam loci de Montpezat cum quatuordecim succursalibus, ac aliam loci de Molieres cum tredecim succursalibus, ac aliam loci de Moissac cum septemdecim succursalibus, ac aliam loci de Lauzerte cum novendecim succursalibus, ac reliquam loci de le Bourg de Viza cum duodecim succursalibus, nec non etiam alteram sancti Antonin cum sexdecim succursalibus, parochiales respective ecclesias in Cadurcensi, nec non aliam loci de Montaigu cum tredecim succursalibus, et aliam loci de Auvillard cum novem succursalibus, et aliam loci de Valence cum decem succursalibus, atque aliam loci de Lavit cum suis decem succursalibus, parochiales pariter respective ecclesias in Agennensi; et demum unam loci de Castel Sarrazin cum quinque succursalibus, ac aliam loci de Beaumont cum duodecim succursalibus, ac aliam loci de Proisolles cum octo succursalibus, ac aliam loci de Montech cum octo succursalibus, ac aliam loci de saint Nicolas cum octo succursalibus, ac aliam loci de Verdun cum novem succursalibus, ac reliquam demum loci de Villebrunier cum quinque succursalibus, parochiales pariter ecclesias in Tolosana respective dioecesibus existentia, cum eorum territoriis, confinibus, jurisdictionibus, aliisque juribus ad Cadurcensem, Agennensem, et Tolosanam respective ecclesias, illarumque mensas archiepiscopalem, et episcopales competentibus cujuscumque generis apostolica auctoritate praesentium tenore perpetuo dismembramus, sejungimus, et separamus, ac clerum et populum, una cum omnibus et singulis respective ecclesiis, cappellis, ac aliis ecclesiasticis, et piis locis, si quae sint, nec non incolis, habitatoribus, caeterisque ecclesiasticis, ac saecularibus personis in supradictorum locorum territoriis existentibus, ac respectiva Cadurcensis et Agennensis, nec non Tolosani archiepiscopi, et episcoporum ordinaria spirituali jurisdictione, superioritate, et subjectione, visitatione, ac correctione prorsus eximimus et liberamus.

Declaratio novae jurisdictionis.

§. 6. Nec non eamdem civitatem Montis Albani, omniaque et singula superius expressa loca, ut praefertur, dismembrata et separata, omnesque et singulas personas, habitatores, et incolas hujusmodi, novae cathedrali ecclesiae Montis Albani, per Nos, ut praefertur, erectae, ejusque futuro praesuli pro suis clero et populo, civitate, territorio, et dioecesi, in qua ipse semper residere debebit, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et assignamus, ac ordinariae futuri, et pro tempore existentis episcopi Montis Albani jurisdictioni, potestati, et superioritati, perpetuo subijcimus, atque supponimus.

Dotatio mensae.

§. 7. Mensae autem episcopali Montis Albani, sic ut praefertur, erectae pro ejus dote, et ad hoc ut futurus et pro tempore existens episcopus Montis Albani, praesulis dignitatem decenter tueri valeat, idem annuus redditus erit assignandus, qui aliis Gallicani imperii episcopis fuit jam constitutus.

Assignatio domus pro habitatione episcopi.

§. 8. Ipsique futuro et pro tempore existenti episcopo Montis Albani pro sui decenti habitatione domum congruam ac sufficienter constructam in praefata civitate Montis Albani haud longe sitam ab ipsa cathedrali ecclesia, infrascriptus exequutor Nostrarum literarum quam primum tribui curet.

De dotatione praebendarum erigendarum.

§. 9. Idem praeterea Nostrarum praesentium literarum exequutor, diligenter studebit, dignitates, atque canonicatus et praebendas in praedicta Montis Albani cathedrali ecclesia erigendas, de congrua dotatione provideri, ut illos et illas pro tempore respective obtinentes onera eis respective incumbentia valeant supportare.

De communicatione privilegiorum.

§. 10. Et insuper eisdem futuris et pro tempore existentibus dignitatibus, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Montis Albani, per Nos, ut praefertur, erectae, ut ipsi in omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae in Gallia existentes cathedrales ecclesiae, eorumque capitula, canonici, ac dignitates, de jure, usu, consuetudine, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri,

et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et impertimur.

Jus condendi statuta concessum capitulo.

§. 11. Ac futuris dignitatibus et canonicis praefatis, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae Montis Albani, ut praefertur erectae, illiusque dignitatum, et singulorum canonicorum mensae capitularis, sacrarii, illarumque omnium rerum tam spiritualium quam temporalium prospero et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque illis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, aliorumque suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, divisione poenarum per absentes, et divinis officiis non interessentes, seu onera, et munia eis et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Montis Albani, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis officialibus, et ministris dictae cathedralis ecclesiae Montis Albani necessariis deputandis et amovendis, servitiis et ministeriis per ipsos obeundis, ac eis salariis et stipendiis assignandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis et circa ea quomodolibet necessariis et opportunis [1], quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini praefati decretis, ac praefatis constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per futurum episcopum Montis Albani prius examinanda et approbanda edere, et edita praevia approbatione praefati futuri episcopi Montis Albani declarare, et interpretare, atque ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alia de novo ex integro eisdem tamen sacris canonibus et concilii hujusmodi decretis, et constitutionibus apostolicis minime adversantia, ac, ut praefertur, examinanda et approbanda, nec non ab eis ab quos pro tempore spectabit, sub poenis in contravenienses statuendis observanda et adimplenda condere, et postquam condita fuerint toties quoties pro rerum et temporum conditione et qualitate, vel alias expediens videbitur, illa in toto vel parte corrigere, alterare, immutare, et in melius reformare, de simili ejusdem futuri ac pro tempore existentis episcopi Montis Albani approbatione condere libere et licite possint et valeant, eadem apostolica auctoritate licentiam et facultatem concedimus, et impertimur.

Reservatio electionis episcopi Sedi apostolicae facta.

§. 12. Ad cathedralem vero ecclesiam praedictam Montis Albani per Nos, ut praefertur, erectam, et a primaeva illius erectione hujusmodi vacantem in episcopum per Nos et Romanum pontificem pro tempore existentem praeficiendam, tam hac prima vice, quam in futuris illius vacationibus, personam dignam et idoneam eadem prorsus methodo, qua pro aliis Galliae episcopis statutum fuit, nunc et in posterum praefici, apostolica auctoritate praefata volumus atque decernimus.

Clausulae salutares pro plena literarum executione.

§. 13. Praesentes autem literas nullo unquam tempore, de subreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari posse, nec alias sub quibusvis derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed tamquam ad divini cultus incrementum, et populi spirituale regimen in salutem animarum editas, semper ab illis excipi, validasque et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque ab omnibus censeri: ita quoque per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quo-

quàm quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 44. Quocirca venerabili fratri Nostri Arnaldo Ferdinando episcopo Carcassonensi, quem in exequutorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum deputamus, ad hoc ut ipse per se, vel alium, seu alios ab ipso specialiter subdelegandum, aut subdelegandos, pro nova cathedralis ecclesiae Montis Albani, illiusque capituli erectione, nec non mensarum episcopalis et capitularis dotatione, ac domus episcopalis assignatione, et seminarii puerorum ecclesiastici institutione, ac pariter dotatione, sacrarii omnium sacrarum supellectilium etiam ad pontificalia exercenda instructione, nec non totius dioecesani territorii constitutione, de quibus omnibus ad praesentium literarum plenariam exequutionem ab eo peractis, idem episcopus authenticum exemplar ad Sedem apostolicam transmittere teneatur; omnes et singulas ad hujusmodi effectum necessarias et opportunas facultates tribuimus, atque impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 45. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. praedecessoris Nostri, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de exprimendo vero annuo valore, ac de dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, nec non Lateranensis concilii ultimo loco celebrati, et quatenus opus sit Tolosanae, Cadurcensis, et Agennensis respective ecclesiarum etiam juramento, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque decretis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Onus inscribendi fructus mensae in libris camerae apostolicae.

§. 46. Volumus autem, quod praefata ecclesia Montis Albani per Nos, ut praefertur, erecta, ex gratia speciali, ad instar aliarum Gallicani imperii ecclesiarum episcopalium, ad tercentum et septuaginta florenos auri de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 47. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter essent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 48. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, indulti, constitutionis, commissionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octavo, tertio decimo kalendas martii, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 8 martii 1808. anno VIII.

DXXXVIII.

Concessio novorum insignium vestium pro canonicis, et sub-canonicis ecclesiae patriarchalis Venetiarum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris illis, qui coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes in magnificentioribus templis quotidie concinunt, peculiaria indumenta, atque ad eorum munus exprimendum aptissima deferenda concedimus, ut hi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies lucere studeant in aula Domini.

Ratio concessionis.

§. 2. Quoniam igitur ecclesia patriarchalis Venetiarum antiquitatis laude, templi amplitudine, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, doctrina et numero, populique Christiani frequentia, et devotione ita floruit, et floret, ut una ex celebrioribus Italiae ecclesiis jure quidem optimo habeatur: et quoniam universa civitas praedicta singularem in Nos, et hanc s. Sedem prae se tulit indesinenter fidem, et observantiam eo praesertim tempore, quo ibi (meritis licet imparibus) ad summum pontificatus apicem fuimus evecti, ac tandem illud etiam rati, fore, ut divinus cultus, populique devotio majora ibi incrementa suscipiat, si ejusdem ecclesiae canonici, et mansionarii, seu sub-canonici nuncupati novis decorationibus per Nos, et Sedem praedictam ornentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos eosdem canonicos, et alios praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, ex certa scientia, et matura Nostra deliberatione, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis ipsius patriarchalis ecclesiae, ut loco mozzetae violaceae, et aliorum insignium, quae illis per Nostras in simili forma brevis die VI. septembris MDCCC. respective deferenda concessimus, posthac cappam magnam violaceam hyemali tempore cum pellibus armellinis albis supra rocchetum, aestivo vero tempore cottam supra ipsum rocchetum, mansionariis autem, seu sub-canonicis rocchetum pariter in hyeme, et cappam magnam similem cum pellibus armellinis cineracei tamen coloris, aestate vero cottam dumtaxat sine cappa hujusmodi, et roccheto tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque canonicos, et mansionarios, seu sub canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae patriarchalis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava martij millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno octavo. Derogatio contrariorum.

PIUS VII.

ANNO NONO

Dat. die 16 martii 1808 anno IX

DXXXIX.

Allocutio habita in consistorio diei 16 martii 1808.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres.

§. 1. Illuxisse demum, venerabiles fratres, miserum illum vidimus diem, quem perpetuo triennii cursu nunquam intermissae tot Gallorum imperatoris, ac Italiae regis Napoleonis minae Nobis praenunciarant, si principiis, et confictis juribus tum ab illo ipso, tum ab ipsius ministris illius nomine Nobis patefactis adversati essemus, neque ejusdem petitionibus assensi fuissemus. Posteaquam tota fere regio temporali Nostrae subjecta dominationi occupata fuerat, oculis ipsis Nostris violatam vidimus Nostram hanc Sedem catholicae Ecclesiae caput. Confertam aspeximus armis, atque militibus hanc ipsam urbem Nostram; oppressam, usurpatam, captam s. Angeli arcem, disposita per vias, per fora, per plateas praesidia, ne hac quidem palatii Quirinalis excepta, in qua nostrum est mansuetudinis, pacis, tranquillitatis domicilium. Vos ipsi, venerabiles fratres, quum postridie kalendas februarii huc convenistis solemni ritu Nobiscum celebraturi ejus diei memoriam, quo primum beatissima virgo Dei Nostri mater post partum ingressa est Dei templum, transire per arma, per armatos, per bellica tormenta debuistis, quae incensis, ad explodenda scintillis, fores ipsas palatii Nostri appetebant. Quis moeror, qui gemitus, quae lacrimae, quis tacitus stupor bonorum omnium fuerit vidistis.

Sed Nos in spiritu lenitatis, atque in animo contrito, propositoque ante oculos divini praeceptoris exemplo, qui tot, tantaque a suis perpessus est, et si omnia contra meritus esset, adoravimus imperscrutabilia Dei judicia, qui acerbissima ista fieri permisisset. Nostri etiam esse muneris duximus, dare operam, ut dilectissimus populus Noster eodem Nobiscum animo, eademque sententia esset; hortatique illum ad omnia toleranda sumus; atque adeo justissimus, nullam ne levissimam quidem pallis injuriam inferri, quin imo justum, ac debitum honorem tribui unicuique homini ejus nationis, a qua Nos in Nostro in Gallias itinere, ac ducta in iisdem mora, tot, tantaque praeclara observantia, amoris, pietatis argumenta habuisse magna semper cum voluptate, ac jucunditate meminimus.

Isdem perpetua immanentes lenitatis, ac moderationis viis, proferre noluimus in vulgus causas, e quibus calamitates orirentur, quibus opprimeremur; satisque habuimus illud dumtaxat indicasse, quod silentio praeteriri non poterat, ne quis arbitraretur, Nos mala haec gravissima, quae cervicibus Nostris imminere jampridem videramus, sine justissimis causis in Nos, Nostrosque subditos convertere voluisse. Quamobrem declaravimus sacri Nostri muneris, et officii vim, ipsiusque Nostrae conscientiae dictata, et leges, unas et solas fuisse causas, propter quas oblatas Nobis petitiones probare, quo protendebantur, nullo modo potuimus.

Dum ea, quae jam evenerant, in luctu atque moerore tollerabamus,

jamque reliqua expectabamus, quae Nobis recusantibus, minae pollicitae fuerant, qualis, quantaque fuit, venerabiles fratres, admiratio Nostra, quantusque dolor, quum crimini Nobis intelleximus tribui illud ipsum, quod gratum, acceptumque futurum jure meritoque arbitrabamur! Missum enim pridie nonas februarii ad ministrum Nostrum ab imperatoris, et regis oratore scriptum vidimus plenum quaerelarum propter eam declarationem, quam in ipso Gallicarum copiarum ingressu typis edidimus, qua, ut optime nostis, ea tantum paucis continebantur quae paulo ante commemoravimus.

Illo scripto eo usque perventum est, ut injuriae in ipsum imperatorem accusati fuerimus, quod illius nomen tacuissemus, mentionemque fecissemus gubernii Gallicani; quam quidem loquendi rationem Nobis suaserat, atque adeo postulaverat debitus imperatoris majestati honos, cujus in re maestissima, de qua Nobis conquerendum erat, tacebamus nomen. Objectum est praeterea, Nos loquendi rationem adhibuisse imitatione ductos eorum, qui eum nominare imperatorem neque volunt, neque talem agnoscunt, quasi cuiquam venire in mentem possit tam absona de Nobis dubitatio atque suspicio, qui non modo Napoleonem Gallorum imperatorem, Italiaeque regem agnovimus, verum etiam quod certe omnes norunt, imperatoriae coronae ipsius capiti imponendae causa Roma Lutetiam Parisiorum gravi Nostra aetate, graviori etiam anni tempore profecti sumus. Accusati quoque eodem scripto sumus, Nos ipsa illa a Nobis edita declaratione perturbare pubblicam tranquillatem voluisse, quum contra Nostris et jussis et hortatibus per eam patefactis ac promulgatis, mirifice quies et tranquillitas, seu privata, seu publica servata fuerit; quod et ipsi vidistis, et omnes qui hanc incolunt urbem mirati et gratulati sunt. Acerbe, graviterque arguimur, et reprehendimur, res quasdem Nostra illa declaratione protulisse, quodam nescio quo religionis velo obtectas: quod velum brevi fore discissum, resque ipsas admodum cito atque perfacile falsitatis redarguendas esse, Nobis illo scripto denunciabatur.

His ita se habentibus, tum ipsi intelligimus, tum omnes cognoscent, ac sentient, debere Nos et Nobismetipsis, et catholicae Ecclesiae, et universo terrarum orbi, ipsique veritati, honori, ac dignitati Nostrae ejusmodi declarationem, quae veras, et sanctas actionum, et consiliorum Nostrorum rationes aperiat, iisdemque Nos tueatur, Nobisque consulat. Nam quum publicam quoque in nos armari, et inflammari velle opinionem videamus, summum profecto crimen silentium Nostrum esset, ut jam illud servare diutius minime liceat.

Quamobrem, venerabiles fratres, in hunc vos locum, et in cospectum Nostrum convenire voluimus, ex quo cognosceretis, quid factum postea sit, acciderit que ab eo tempore, quo item hic postremo fuistis, ut vobis amaritudinem explicaremus animae Nostrae supra omnem modum dolore perculsae, ob acerbam illam, et omnibus partibus injustam, ac falsam accusationem, qua traducimur, Nos longe aliis causis adductos fuisse, ut petitiones ab imperatore propositas, ita ut erant, respueremus, quam iis, quae a sacri muneris et offici Nostri vi atque a religione, ac conscientia Nostra oriri potuissent.

Quae sint ea, quae commemoravimus principia, confictaque jura, et quae petitiones oblatae Nobis fuerint ab iis et principiis et juribus ductae vobis, venerabiles fratres, perspectum est. Nam in partem vocati sollicitudinum Nostrarum, rogatique sententias et consilia vestra, more, institutoque majorum ab hac apostolica Sede servato semper et culto, jamdudum optime nostis imperatorem ac regem Napoleonem toto hoc triennio, et suis ad Nos literis, et per ministros tum ipsius, tum Nostros, haec disertis et conceptis verbis significavisse, ac declarasse » Si « Nos Romae dominatu potimur, attamen ipsum Romae imperatorem esse: « ditiones et provincias Nostras ad imperium Gallorum pertinere, ac partes illius imperii esse: earumdem ditionum, et provinciarum supremum « dominium ipsius esse, quippe qui « Caroli magni jurium haeres sit: quomodo ipse Nobis in re spirituali subjectus est, eodem Nos illi in temporali oportere esse subjectos: ab imperio suo jus ipsi esse compellen-

« di, atque cogendi eum qui Romae « dominetur, ad causam cum ipso suisque successoribus communiter suscipiendam in omnibus bellis, quae vel « nunc gerantur, vel in posterum gerenda fuerint. Hanc omnium bellorum societatem a Nobis respui non « posse, quippe quae ad Caroli Magni, « atque ad ipsius imperium pertineamus: Ex eo sequi, ut hostes ipsius, « Nostros etiam esse hostes judicare, « atque ut tales agnoscere debeamus: « Nos ipsi foedere jungi oportere Nobis « et nunc, et in posterum una cum « ipso et inferenda esse, et gerenda « bella: denique omnino oportere, ut « in politicum ipsius systema Nos transferamus; cui quidem illius voluntati nisi paruerimus, ipsum cui facultas sit donationem abrogandi Caroli « Magni, discerpturum ditiones Nostras, « et cuicumque ipsi libuerit concessurum; secreturum in Nobis a spirituali primatu imperium temporale; atque illud effecturum etiam, ut Romani dumtaxat episcopi locum teneamus, constituto in urbe viro, qui nomine ipsius praesit, dominetur « Haec effata, pronunciata, dictata, disertis et conceptis verbis expressa sunt, tam in scriptis per ministros illius exhibitis, quam in ipsius imperatoris literis; et pluries etiam ab eodem ministris Nostris oretenus, ut scitis, repetita.

Quam falsa sint re ipsa conficta illa Caroli Magni in ditiones Nostras jura, nihil opus est oratione Nostra ut constet: satis est eam rem vel leviter indicasse, quo unicuique exploratum sit, mole ipsa, et vastitate sua concidere. Illud et certum, et notum, et quoquo versus pervagatum est Carolum Magnum a pontifice Romano creatum imperatorem fuisse; Carolum Magum munifica, piaque liberalitate sua Sedis apostolicae dominia, quorum ipsa potiebatur, auxisse; Carolum Magnum erepta a Longobardis regibus Sedis apostolicae dominia, eidem armis recuperata restituisse. Illud in hac re animadvertere satis sit, etiamsi daretur falsa non esse conficta illa Caroli Magni jura, tamen a Napoleone imperatore compertam non fuisse Sedem apostolicam, atque ad Nos ipsos, qui eam divinitus habemus, in eo rerum statu, in quo praedecessores Nostri a Carolo Magno comperti fuerunt. Apostolicam Sedem libero, et nemini obnoxio continuis decem saeculis summo in ditiones suas imperio potientem ac fruentem Napoleon imperator comperit: nec cruentae ab illo de aliis gentibus reportatae victoriae, ullum ipsi in ditiones Nostras jus, qui pacem cum illo semper habuimus, tribuere potuerunt.

Sed ad graviora veniamus, eaque ipsa, quae impedimento sunt ne aut principia probemus, aut consectaria, quae a confictis illis juribus ducit imperator, ac petitionum suarum vult esse basin ipsam, atque fundamentum. Nos primo illo tempore quo imperatoris nomine significata fuerunt ea, quae diximus, statim intelleximus insuperabilia Nobis obstacula ab ipsa vi, atque natura sacri Nostri muneris, officii, dignitatis oriri, quibus obstaculis omnino impediremur, ne quam vellet imperator iniri a Nobis actionum et consiliorum rationem, amplecti possemus, Nosque illi supremi ejus dominii subjectione submittere, quam postulare,

Summi pontificis, universalis pastoris, communis omnium patris, ministri pacis, catholicae religionis capitis tituli, seu potius gravissima, et omnium maxime formidanda onera, quae Nostri tantum propria sunt, neque in alium ullum confluunt principem, quorum nemo duplici est, ut ipsi sumus onerati pondere divinitus, Nos vetant omnino ea facere, quae aliis interdum principibus tantum temporalibus facere licet.

Hoc Nostro, Nobis a Deo dato, temporalis principis munere nihil aggredi possumus, quod officiis apostolici ministerii, Nobis item a Deo praecipueque commissi adversetur.

Itaque pro discrimine, quod inter Nos, aliosque interest principes, qui non iisdem obligantur vinculis, quibus ipsi obligati sumus, Nobis non semper licet in ratione politicarum rerum iisdem, atque illi principiis uti. Confirmatam perpetuo foedere societatem, quae Nos aut in bello, aut in belli statu continenter esse compellat, inire nullo modo possumus; ne hostes quidem Nostros judicare, aut habere omnes illos, qui quacumque de causa alieni hostes sint: nec Nobis generatim licet hostiles agere partes in bellis, quae hic aut ille princeps gerat, gesturusve sit. Qua-

rum rerum si unam aliquam, ita ut proponuntur aggrediemur, Nos ipsi profecto impedimento esse judicaremur tum communicationi, quae intercedat necesse est inter caput, ac membra catholici gregis, qui per diversas terras longe lateque sparsus ac effusus est; tum usui expedito, et libero spiritualis primatus, cujus potestatem exercere vetaremur in eas nationes, contra quas perpetuum foedus ictum cum aliquo fuisset, atque actum agendumve alienam ob causam bellum.

Quod si interdum summos pontifices, peculiaribus quibusdam de causis, quas justas putarunt, iniisse foedera cum aliquibus principibus, gestarum rerum memoriae testantur; at certe nullum est in tota ecclesiastica historia exemplum perpetui cujusdam foederis, quod a summis pontificibus initum fuerit: multoque minus invenire est aliquem principem, qui eos recusantes, atque invitos cogere conatus sit, et minis, et terrore, et obtentu decantati illius, planeque conficti supremi dominii in temporales Romanae Ecclesiae ditiones, quod Gallorum imperator sine ulla justa causa sibi vult asserere.

Iam quum summi pontificis catholicum gregem et pascere, et regere, illud quidem frequentissimum etiam in regionibus eorum principum, qui etsi nullo Nobiscum catholicae communionis vinculo conjuncti sint, tamen non impediunt quominus supremus catholicorum pastor libere apostolici sui ministerii munere fungatur; ille ipse pastor, nisi officio, munerique suo deesse, ac tot fidelium religionem, totque animarum salutem in extremum abducere discrimen velit, nullo modo declarare potest se se hostem eorum principum esse, atque hac de causa hostem, quia ipsi alterius principis hostes sint, eaque declaratione et eorumdem principum, et subditorum illis hominum querelas, inimicitias, odia in se, catholicosque convertere. Quae quidem inimicitiarum, atque odii causa summum illud gravissimumque periculum afferret interdicendae, scindendae, tollendae communicationis inter Ecclesiae caput, ejusdemque membra; qua communicatione sublata, tollitur ratio tum spiritualibus populorum necessitatibus occurrendi, tum facultates, et concessiones emittendi, quae a sola Romani pontificis auctoritate proficisci possunt.

Quae cum ita sint, eademque demonstrent quantam in ecclesiam Dei labem, atque perniciem allatura esset illa Nobis proposita perpetui foederis societas; illud omnes facile intelligent Romanum pontificem ab ea ratione non posse discedere, qua semper est neutrarum partium; neque licere ipsi perpetuis hostilibus vinculis cum una gente adversus alias aliasque, ut sese tempora dabunt, ullo modo conjunctum esse; imo illius quam maxime esse libertatem summi sui temporalis imperii tueri, quod non minus a Deo est, quam ab eodem sint imperia caeterorum principum; quodque tam arcte cum liberiore, expeditiore, promptiore usu supremi sui spiritualis primatus, ideoque cum summis ipsius religionis rationibus, utilitatibus, commodis, conjunctum, et colligatum est.

In hac tanta temporalium principum multitudine, ac varietate, ut ne quis eorum in propriis ditionibus impedimento esset, quominus summus Ecclesiae pastor summa sua uteretur potestate, illa de causa, quia subjectus alicui temporali principi esset; divino consilio, providentiaque factum est, ut suo libero, neminique prorsus obnoxio temporali principatu potiretur. Id quam vere dicatur, praeterquam quod certissimum est, unum esse Deum, *per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per quem principes imperant, et potentes decernunt justitiam* (1); testis esse potest locuples praeclarum illud ecclesiae Gallicanae lumen Bossuetus Meldensis episcopus egregiis illis sententiis, quas in sermone de unitate Ecclesiae literis consignavit. *Voluit*, inquit, *Deus ut haec Ecclesia* (Romana) *communis regnorum omnium mater, progrediente tempore nulli esset temporalibus in rebus regno subjecta, utque sedes illa, in qua universi Christi fideles servare deberent unitatem, eo tandem statu, locoque esset, ut super omnia partium studia emineret, quae contrariae, sibique oppositae utilitates, sollicitaeque, ac suspiciosae imperii*

(1) *Prov.* viii. 5.

curae aliquando gignere potuissent. (1) Itemque pergens, *Ecclesia*, inquit, *in suo capite ab omnibus temporalibus potestatibus libera videt se in eo statu esse, in quo possit pro bono publico, ac sub communi christianorum regum patrocinio liberius caelestem hanc regendarum animarum potestatem exercere; eademque aequam manu libram sustinens tot inter imperia sibi invicem saepe inimica unitatem in universo corpore tuetur, modo decretis flecti nesciis, modo rationibus prudenter accomodatis.*

Explicari nec luculentius poterat, nec gravius, haec qua Sedes apostolica tenetur necessitas tuendi, atque omni ope servandi suam hanc rationem, qua neutrarum est cum omnibus partium, suamque summi imperii sui libertatem juxta ordinem, quem cernimus esse divina providentia constitutum. Vim huic summo Sedis apostolicae imperio afferre temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, pastoris et principis munia dissociare, divellere, excindere nihil aliud est, nisi opus Dei pessum dare, ac perdere velle, nihil nisi dare operam, ut religio maximum detrimentum capiat, nihil, nisi eam efficacissimo spoliare praesidio, ne summus ipsius rector, pastor, Deique vicarius, in catholicos quoquo terrarum sparsos atque inde auxilium, et opem flagitantes, conferre subsidia possit, quae a spirituali ipsius, per neminem impedienda, petuntur potestate.

Hisce de causis, sine dubio summis, atque gravissimis necesse omnino fuit imperatoris et regis Napoleonis principiis, ac petitionibus obsistere. Sed immotum illum in iis, ac firmum, nulla precandi ratio, nulla hortandi constantia, nulla ad suadendum insinuatio, nulla ad ostendendam principiorum absurditatem ac falsitatem argumentatio, ita commovere, aut valere potuit, ut ab illis aliquando discederet.

Compertum est vobis, venerabiles fratres, quae, quantaque semper illius fuerit in suis petitionibus hoc toto triennio varietas, et inconstantia. Sed omnes ab uno semper, eodemque principio, ac fundamento conficti sui supremi, eminentisque in totam Italiam, in pontificias provincias, in ipsam urbem Romam imperii; omnesque etiam terrore, minis, vi, communiter proponebantur, et urgebantur. Eas minas exitum suum habuisse, occupatis primum Anconae, tum Centumcellis, deinde tota utriusque maris superi et inferi ora, denique tota Beneventi, ac Pontis Curvi regione, pro qua promissa quidem, sed numquam praestita est compensatio; universa Europa vidit, mirata est, obstupuit. Gallorum exercitui per nostras provincias transeunti, et bellum Neapolim inferenti omnem praebere commeatum Nostris sumptibus coacti fuimus. Aerarium Nostrum immanibus impensis ad calendas, et omni alia re cumulandas imperatoris copias tribus ab hinc annis in provinciis Nostris positas, et immorantes, aliasque quotidie per ipsas provincias transeuntes, oneratum, exhaustum, expilatum est. Jus summi imperii Nostri violatum est, proculcata reliqua omnia supremi principatus jura, expilati subditi, contempta ratio, despecta justitia. Sperabatur fore, ut his tot tantisque calamitatibus affecti, vexati, excruciati, aliquando tandem imperatoris petitionibus assentiremur! Quod si Nostra constantia illud efficere visa est, ut una et item altera earum petitionum incertum maneat, num post hac ab imperatore urgenda esset; tamen certum plane est, nunquam ab iis principiis, sententiisque discessum esse, quae sunt omnium illarum petitionum fundamenta. Ex quo factum est, ut nullo unquam tempore, petitiones ipsas videre potuerimus in eum locum adductas, ita ut iis, prout proponebantur assentiri possemus. Illud enim erat per facile cognitum, si petitionibus assensi essemus, judicatum iri Nos assensos etiam esse principiis, e quibus necessaria consecutione ducuntur. Ita Noster cuidam petitionum parti assensus omnino coegisset, ut omnibus assentiremur; quippe quae ab iisdem peterentur principiis, eidemque fundamento inniterentur. Ipsa illa imperatoris inconstantia modo hanc, modo illam rem flagitantis (quae quidem inconstantia toto hoc tam diuturno tempore, quo de his rebus hic illic

(1) *Sermon. sur l' unitè de l' eglise pag.* 489. *edit. Leod.* 1766.

est actum, plane a Nobis perspecta est) perspicue declarabat fore, ut postquam alicui petitionum parti annuissemus, aliae atque aliae proponerentur, sibique succederent. Nunquam enim Nobis est dictum, nunquam annunciatum, nunquam pactione aliqua constitutum, et confirmatum, hoc aut illud imperatorem cupere, praeterea nihil. Neque vero id Nobis aut dici, aut annunciari, aut aliqua ratione constitui, confirmarive poterat. Nam quos secum foederatos esse volebat eo foedere quo in servitutem ipsius redigeremur, iis nec libertatem respuendi petitiones, nec viam excutiendae servitutis relinquere poterat.

Horrescit animus, venerabiles fratres, ac luctu et moerore conficitur, quoties recordatur, Nos in eam foederis societatem ab imperatore fuisse vocatos, qua judicare hostes Nostros hostes ipsius, ac bellum indicere omnibus, quibus et ille et illius successores indixerint, aut indicturi sint debeamus! Hoc quid aliud est nisi armare velle patrem in filios, filios in patrem; et Ecclesiam Dei, sanctissimum illud charitatis, pacis, mansuetudinis, virtutum omnium domicilium infinitis miscere quaestionibus. ? (1) Quid nisi velle, ut summus Ecclesiae pontifex jam non a Deo vocatus sit tanquam Aaron, sed alter Jsmael sit, *ferus homo*: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figat tabernacula? (2) Ita ne coletur in Ecclesia Dei pax illa, quam Jesus Christus Dei *filius* qui *datus est Nobis et factus est principatus super humerum ejus, et vocatum est nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri* in quo sumus saeculi *princeps pacis (3)* sese apostolis suis, Nobisque illorum successoribus monuit reliquisse? *pacem*, inquit, *relinquo vobis Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis (4)* hanc pacem quaerat imperator, quae pax sapientum est, quae *melior est, quam arma bellica* (5) Sapientum, quorum multitudo sanitas est orbis terrarum; sapientia qua rex sapiens stabilimentum est populi sui (6) Quam si quaerere ipse nolit, saltem relinquat Nobis haereditatem Nostram pacem, quam Jesus imperatur Noster, et rex regum, et Dominus dominantium dedit; et non *quomodo mundus dat* dedit. *Quomodo mundus dat?* nimirum si cum Gallorum imperatore foedere conjuncti perpetuum omnibus gentibus bellum inferamus, perpetuum omnium gentium bellum in Nos ipsos concitemus, et voce ipsa Nostra incendamus, atque conflemus! Haeccine pax est? tum ne cruentis perpetuo bello manibus et jam plus milites, quam sacerdotes ad aras Dei accedemus, et preces, et oblationes, et illam ipsam sacrosanctam pacis victimam offeremus, pacem a Deo flagitaturi, quam Nos ipsi perenni foedere ruperimus, perpetuoque a Nobis jusserimus exulare? Quonam ore, quo vultu, quo animo verba haec in sacris templis quotidie fere coram Deo proferre poterimus, *dissipa gentes, quae bella volunt?* (7) Deum ne exoraturi, ut ante omnes dissipet Nos ipsos ab eo transfugas, perpetuoque conjunctos cum imperatore bellorum foedere, et societate?

Nimis multa de hac re, venerabiles fratres, dicenda essent, aut potius comploranda, sed quae jamdudum et videtis, et comploratis. Sed Nostro vestroque dolori parcemus. Itaque ne quid intentatum relinqueremus eorum quae spem aliquam facerent arcendi ab Ecclesia Dei tantam hanc, et tam lamentabilem calamitatem, finiendique dissidia, et utrique tam religiosae, quam politicae reipublicae nostrae consulendi, atque ut imperator multo etiam magis intelligeret, quantopere cordi Nobis esset justam et sanctam in omnibus cum illo inire concordiam, extraordinarium legatum Parisios Roma mittere decrevimus, qui coram et ore tenus imperatori ea nunciaret, quae ex ore ipso Nostro audivisset; eique persuaderet, Nos non

(1) *Eccle.* vii. 30.
(2) *Gen.* xvi. 12.
(3) *Is.* ix. 6.
(4) *Jo.* xvi. 27.
(5) *Eccl.* ix. 18.
(6) *Sap.* vi. 26.
(7) *Psal.* lxvii. 31.

hominum Gallis infensorum consiliis, neque ullis politicis rationibus impulsos, sed unis et inviolabilibus apostolici muneris Nostri omnino debitis, et necessariis officiis, oneribusque fuisse praepeditos, ne principia illius, et nova ab ipso proposita jura probare, omnibusque ejusdem votis tam late, quam expetebantur assentiri possemus. Legatum hisce de rebus elegimus et misimus dilectum filium cardinalem de Bayane, quem unum sese accepturum imperator certiores fieri Nos jusserat.

Magna sane spes Nobis erat, hanc ipsam promptissimam voluntatem, qua eum virum misimus, quem ille maxime postulasset, et quem propter egregia merita plurimi faceremus, non parum momenti ad res conciliandas, et tandem componendas habituram esse, quae summa omnium desideriorum, consiliorum, sollicitudinum Nostrarum erat, quibus permoti fuimus, ut omnem illam legato extraordinario potestatem, quam munera et officia Nostra sinerent, permitteremus. Sed curae sollicitudinesque illius optatum tamdiu exitum habere non potuerunt.

Jam se se in viam cardinalis legatus dederat, jam Augustam Taurinorum pervenerat, quum a principe pro-rege Italiae retrogredi, ac Mediolanum redire jussus est. Ibi literas accepit a ministro exterarum relationum, pridie kalendas octobris cardinali legato, qui Parisiis erat, dederat. Luctuosissimum hoc scriptum, venerabiles fratres, oculis vestris subjectum fuit; itemque aliud ab oratore imperatoris apud Nos ad Nostrum secretarium status datum; nec quid utrumque contineat, commemorare apud vos necesse est. Sed Nos iis, quas initio ingressi eramus, insistentes viis, semperque ducti spe, fore ut Noster extraordinarius legatus, qui esset Parisiis acceptissimus, flectere animus imperatoris posset, atque illum ad aequiores, ac temperatiores petitiones abducere, cardinalem Romam repetere noluimus; imo illi potestatem tribuimus ampliorem, quae tamen et officio, et dignitati, et constantiae Nostrae, et religionis, reique publicae utilitati conveniret, ut institutum Parisios iter facere pergeret. Sed quum ille adhuc in itinere esset, facile intelligi potuit ex iis quae acciderunt, qualis futurus esset exitus rerum, de quibus agendum ab ipso erat, et quarum causa profectus fuerat. Nam interea temporis Anconam Parisiis militum dux Lemarois missus fuit, qui brevi postea palam edixit, se se provinciarum Anconae, Urbini, Maceratae, Firmi, Camerini generalem esse gubernatorem; gubernatoris petestatem, et jura sibi asseruit, iisque usus est; imperiale stemma in Anconae porta collocari cum inscriptione *Porte de France* jussit; magistratibus eorum oppidorum, et locorum mandata dedit; eo denique progressus est, ipsum totius provinciae Maceratensis a Nobis constitutum praesidem, et ea auctoritate, Nostroque nomine regentem praesulem Rivarolam caperet, ubi etiamnum est, detineret. Ita imperatoris minae suum consequutae sunt exitum antequam ab extraordinario legato quidquam de conciliandis rebus dici, agive potuerit, bona fide frustra postulante, ne quid innovetur, dum de conciliandis rebus hinc inde agitur. Nihilominus legatus agere cum exterarum relationum ministro instituit, a quo specimen habuit tractatus nonnullos articulos continentis; sed ea lege, atque cautione ne inesse censerentur omnes petitiones, quae fieri fortasse possent; augeri enim earum numerum posse. Non defuit officio suo legatus, Nobisque specimen statim perferendum curavit. Respuere coacti fuimus, etsi tristes nunciati essent exitus, qui consequuturi erant, si respuissemus. Legato autem scripsimus, ut, quando muneris, atque officii Nostri lege tractatum probare vetabamur, ubi ipse intelligeret, imperatorem, in iisdem persistere petitionibus, quandoquidem nihil utilitatis a diuturniore ipsius Parisiis mora tunc profecturum esset, Romam reverteretur eo magis, quod ordinarius legatus Noster illic erat.

Notum vobis est, venerabiles fratres, ab imperatore post haec jussum fuisse adesse coram legatum Nostrum cardinalem Caprara, illique nunciatum, quod paulo ante relationum exterarum minister item nunciaverat, ubi Nos ratos non habuissemus intra quinque dies articulos sex, qui exhibiti eidem fuerunt, imperatorem Nobis provincias ad oram Adriatici maris, a suis

jam occupatam militibus omnino erepturum, reliquam ditionem Nostram occupaturum; quorum gratia imperasse, jam ut milites proficiscerentur: ad haec adjecisse; praeterea sese, nisi morem ei gessissemus, jam in mandatis oratori suo dedisse, ut Roma cum universa ipsius legatione discederet.

Exhibitas illis sex articulis petitiones vobiscum una perpendimus, propositaque ante oculos discriminis, atque periculi magnitudine, quo compulsi et adducti eramus, simulque judicantes a Nobis faciendum esse quidquid fieri omnino posset, ut gravissimo periculo liberaremur, nunciare decrevimus iis, quae muneris Nostri officio, Nostraeque conscientiae dictatis, et legibus non adversarentur, assensum Nostrum praebituros, quae vero adversarentur, fieri a Nobis nullo modo posse. Ad diem dictam Nostrum hoc responsum imperatoris oratori datum fuit: sed quo ipso tempore responsum Lutetiam Parisiorum afferebatur, quo ipso tempore legatus Noster ibi suo legati fungebatur munere, quo ipso tempore imperatoris orator par apud Nos legati munus obire pergebat, urbem occupatam et captam, Nosque ipsos Gallis militibus circumdatos, clausos, obsessos, obstupescentibus omnibus, conspicere debuimus.

Verum quidem est, quum ab imperatore probare jubemur, intra quinque dies postremas illas petitiones suas, id Nobis significatum, indictumque fuisse his verbis, aut omnia, aut nihil. Quae quidem denunciatio, et si cohibere Nos poterat, ab iis manifestandis, quae a Nobis ex parte probarentur, tamen ingenuitatis, sinceritatis, candorisque Nostri esse duximus declarare, quid facere possemus, quid non possemus.

Illud etiam sperabamus esse futurum, ut imperator cognito rationum pondere, cognitisque novis concessionibus, quae usque ad ultimos ipsos fines potestatis Nostrae porrigebantur, iis vellet esse contentus; caetera desereret. Sed hae Nos spes tunc quoque fefellerunt!

Constrictis sacri ministerii Nostri vinculis sex articulis propositis, tres ut respueremus, necesse omnino fuit, et si ne universe quidem, neque ex omni parte respuimus. Indictum Nobis fuit, *quod attinet ad Anglos res ita componendas esse, ut pluribus ministrorum scriptis postulatum fuerat*.

In quo considerando illud animadvertimus, nempe pro eo, in quo nunc res sunt loco, si Anglos portubus Nostris prohibuissemus hoc ipso satisfactum iri proposito imperatoris, prohibendo portubus Anglos, bellum iis a Nobis neque indici, neque ullo modo inferri; sed eos dumtaxat orbatum iri commercii Nostri utilitatibus, et commodis; quas jacturas ab una hac causa profectas, ut subditos Nostros, ac Nosmetipsos denunciatis, et jam impendentibus extremis malis liberaremur, aequo animo laturos esse Anglos spes esse debebat, quibus hae commercii cum subditis Nostris jacturae, nec tanti erant, nec cum ultimo suarum rerum discrimine conjunctae. Itaque, quod attinet ad primum articulum respondimus, paratos esse Nos, hoc bello durante, Anglos portubus Nostris prohibere, ut jam a cardinale de Bayane nunciari imperatoris ministris jusseramus; ulterius progredi, Nobis nec per apostolici muneris debita officia, nec per conscientiae Nostrae dictata ullo modo licere. Ea sane denunciatio, quod attinet ad Anglos, res ita esse componendas, ut pluribus ministrorum scriptis postulatum fuerat, nimis lata, nimis ampla, nimis generalis erat, Nosque probare, amplectique illa principia, et sententias coegisset, quibus imperator struere nitebatur jus supremi sui in ditiones Nostras imperii, eademque Nos de Nostro neutrarum partium statu dejiciebat, libertatem Nostram evertebat, Nosque ad illam foederis societatem adjungebat, ad quam adjungi non posse, gravissimis illis, planeque invictis rationibus, quas paulo ante commemoravimus, demonstratum est. Permagno interesse imperatoris non poterat, ut Anglos portubus prohiberemus; erant enim in Nostris portubus illius praesidia, eademque per magnis Nostris sumptibus alere cogebamur. Nimirum multo plura, multo graviora, multo majora volebat: volebat ut Anglis bellum indiceremus, volebat ut bellum cum illis gereremus, volebat ut hostes Nostros judicaremus, qui sunt hostes ipsius; et haec omnia pro suo supremi in

Italiam imperii jure volebat. Vitam ducunt tranquillam, pacificam, securam in magnae Brittaniae regnis decies, vicies, tricies, eoque pluries multa centena catholicorum millia, iidemque regiminis gratia libertate fruuntur. Complura item millium centena sunt, et in Canadensis provincia, et in aliis Anglorum in utraque India provinciis, et omnibus illis in locis catholicam religionem libere colunt, et nemine contendente, aut prohibente, Nobiscum, utpote supremo Ecclesiae catholicae capite, consociantur, et libera ex omni parte, neminique obnoxia, quandocumque, aut Nobis, aut illis opus est religiosarum, et ecclesiasticarum rerum omnium communione, et communicatione fruuntur. Nos si Brittannicum regimen, iratum quod nec lacessiti, nec provocati bellum illi injuste indixissemus, affligere, atque infectari caepisset, aut omni Nobiscum communicatio interdixisset; quas labes, quos animi cruciatus conscientia Nostra Nobis non objecisset, qui tot homines Nobiscum in corde puro, et fide non ficta conjunctos in ultimum discrimen adduxissemus tum fortunarum suarum tum ipsius sanctissimae religionis? Et quum Dominus Noster Jesus Christus, cujus vices, et personam gerimus, apostolis suis, quorum principi Nos succedimus, praecesserit, *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* (1); ipsum autem apostolorum principem ter interrogaverit, *Simon Joannis, diligis me plus his?* et ille sese diligere ter responderit; ter denique Dominus illi jusserit, *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (2) quonam modo Nos et muneri praedicandi evangelium omni creaturae, et diligendi Dominum plus venerabilibus fratribus Nostris praecepto, et pascendi agnos, et oves officio, et debito tam severe, et amanter Nobis commendato satisfecisse, tum a Nobis ipsis, tum ab omnibus omnino hominibus judicaremur, si inito perpetuo belli foedere, belloque statim indicto, tot illos agnos Nostros carissimos, tot oves Nostras venerabiles, et dilectissimas, Nostrique amantissimas, adeo ingenti damno, ut supra innuimus, afficeremus? Quemquamne esse posse, qui non intelligat quantum ista pugnent, nec videat Nos, iisdem et erepturos pabulum doctrinae caelestis, quam ab episcopis arripiunt per Nos constitutis, et sublaturos totam illam quam inter Nos, et illos habemus communicationis facultatem, ac libertatem; eaque ratione a capite innumerabilia membra, a grege, et centro unitatis gregis tot pastores discerpturos, et disgregaturos?

Illud praeterea Nos fugere non potuit, ipsa hujus petitionis amplitudine cum modis comparata, quibus in pluribus ministrorum scriptis postulatum fuerat, illam foederis societatem non in solos Anglos, solosve infideles, ut ferebatur fuisse ineundam; verum etiam in ipsos catholicos principes porrigendam, et protendendam. Et pluries, et saepe nunciatum Nobis fuerat, oportere, ut Gallorum hostes Nostri hostes essent, idque non tam propter quoddam foedus, quod sponte, communique voluntate initum fuisset, quam quia supremo illi dominio subjecti essemus, quod Gallorum imperator in Ecclesiae ditiones haberet. Haec severis, minacibusque verbis repetita Nobis fuerunt postremo et recentissimo ministri relationum exterarum scripto xi. kalendas octobris dato. Quid inde consequatur necesse est? Nimirum quum nihil fieri facilius possit, quam ut princeps aliquis catholicus Gallorum hostis evadat, alius vero princeps heterodoxus Gallorum amicus, summus catholicae Ecclesiae pontifex, initi foederis vi, lege, necessitate, oportebit, ut catholicorum, et heterodoxorum aut hostis, aut amicus sit, imperatoris nutu, arbitrio, voluntate.

Atque id esse re ipsa quod imperator a Nobis sibi concedi vellet, alia ipsius luculente petitio demonstrat; qua postulatum est, ut consul Ferdinandi regis IV; et ceteri quique in dignitate constituti viri eidem regi obnoxii, urbe Roma ejiciantur, et arceantur. Cui petitioni libere a Nobis, ingenueque responsum est: Bellum Nobis cum eo rege non esse; illum integro etiamnum potiri Siciliae regno; denique principem esse catholicum: quamobrem nec debere, nec posse,

(1) *Marc.* xvi. 15.
(2) *Jo.* xxi. 15. 16. 17.

neque ullo modo licere, pellendo urbe Roma consulem, virosque in dignitate constitutos illi obnoxios hostiliter in ipsum agere. Quae quidem petitio quum oriri non possit nisi a proposita Nobis foederis societate, atque ab illis ipsis principiis, quae commemoravimus; illud necessario efficitur, et permanifestum est, nec societatem foederis, nec principia ipsa illis coerceri limitibus, quibus in unos Anglos, et infideles hostili esse animo cogeremur, verum eo usque protendi, ut eodem animo in principes quoque catholicos esse deberemus. Exterarum relationum minister Champagny legato Nostro extraordinario professus erat, ab imperatoris majestate catholicos principes in hac sua petitione nolle concludi: sed ejusdem ministri recusatio, qua fidem ejus rei scripto dare nullo modo voluit, quam ut daret a legato flagitabatur, et articulus ipse plane contrarium evincunt; atque ab universa totius rei consideratione, a principiis et sententiis, quibus innixa est, planissime constat, eam omnino esse voluntatem, ut haec sancta Sedes bellum omni tempore cum Gallorum hostibus, quicumque sint gerat. Hisce de causis gravissimis certe, atque justissimis, illisque praeterea, quae declaratae antea sunt, ne huic quidem petitioni assentiri potuimus.

Quod si Nostrae Nos obligationes, Nostraque debita et officia curandi, ne summi Nostri imperii libertas aliquid detrimenti caperet, efficere debuerunt, ut principia, petitionesque respueremus, quibus everteretur, ac perderetur; majora etiam atque graviora fuerant ea, quibus effectum est ne imperatori petenti, ut sibi jus sit tot designandi cardinales Gallos, quot tertiam conflent sacri collegii partem, potuerimus assentiri. Quis eam probare petitionem potuisset, quae libertatem Ecclesiae funditus everteret, radicitusque tolleret, ejusdemque cum constitutione directis frontibus pugnaret, eique adversaretur? Quotus-quisque nescit praecipuam et praestantissimam Romani cleri partem cardinales esse illorum munus, pontifici adesse consiliis suis, juvare opera, praesto esse sollicitudine, cura, labore? At cujus est, et esse debet delectus virorum, qui pares sint huic dignitati, iidemque tot, tantisque sustinendis oneribus idonei, nisi ejus, qui eorum consiliis uti, opera juvari, labore, cura, sollicitudine roborari, et communiri velit ipsius supremi Ecclesiae hierarchiae? Habent principes seculares consiliarios suos et consiliorum, et laborum, et sollicitudinum adjutores. Unquamne auditum est, ereptam alicui principi ab alio principe fuisse libertatem, ac potestatem eligendi sibi consiliarios et quos vellet, et quot vellet? Unquamne qui alicui principi aut praefinire consiliariorum suorum numerum voluerit, aut ejus praefiniendi jus sibi esse dixerit, aut voluerit, aut ullo unquam tempore cogitaverit? Sacra est haec cujusque principis, atque reipublicae, et omnium gentium, et temporum consensione, et sententia confirmata libertas; quae, si omnibus imperatoribus, regibus, principibus sine ulla dubitatione, aut controversia conceditur, cur uni communi regnorum omnium matri Ecclesiae Romanae (1) eripienda erit? Et quum unicuique et in republica, et in privata sua liceat habere consiliorum auctores quos velit; unus erit pontifex Romanus, qui in re publica longe omnium maxima, et maximarum sollicitudinum plenissima, consiliarios suos ab aliis expectare debeat, nec sibi quos, et quot velit, possit adsciscere?

Sed cardinales non modo praecipua sunt et praestantissima Romani cleri pars, non modo sunt pontifici a consiliis, verum ipsius etiam sunt pontificis electores. Eligendi pontificis jus inde a primo Ecclesiae saeculo proprium cleri Romani fuit, quod postea uni sacro collegio tributum, seu relictum potius probatum, ac confirmatum fuit et in concilio generali Lateranensi sub Alexandro III. et in Lugdunensi sub Gregorio X. et in Constantiensi, et denique in Tridentino. Tum his conciliis, tum quampluribus pontificum constitutionibus, quod maxime, quod studiosissime, quod flagrantissime omnium est commendatum, illud est, ut quam liberrima sit summi pontificis electio. Sed quae potest esse eligendi libertas, ubi a saeculari principe tam ingens electo-

---

(1) *Bousset. loc. cit.*

rum numerus designatus fuerit? Quocumque se laici modo ecclesiasticis immisceant electionibus, quocumque partium studio, cura, patrocinio dent operam, ut earum libertas violata sit; electio nulla, et irrita est. Haec constans, et perpetua est sacrorum Ecclesiae canonum doctrina, et disciplina. Tam vero satis facile cognita est, quae, quantaque oritura essent partium studia, quantoque patrocinii pondere undique communirentur, ubi tot essent ab uno, eoque potentissimo principe designati summi pontificis electores. Quod? Nonne caeteri etiam principes jus sibi dandum esse contenderent designandi hunc eumve cardinalium numerum pro modo imperii sui? Quod si fieret (nec fieri certe non posset) quis non videt pontificatum Romanum, supremam Ecclesiae catholicae dignitatem, ac potestatem, et Domini Nostri Jesu Christi in terris vicariatum, brevi in jure, ac potestate principum terrae fore, ac eorumdem juspatronatum? Quae res quantum abhorreat a divina illius institutione, non est apud vos venerabiles fratres commemorandum. Nam et hoc maxime intelligitis, et praeterea videtis quae turbae, quae scandala, quae schismata in Ecclesiam Dei essent expectanda, quarum quidem rerum adeo dolenda exempla ecclesiastica historia suppeditat.

Neque vero minus ab omni Ecclesiae regula abhorret illa nunquam hactenus audita tertiae sacri collegii partis praefinitio, quae Nobis indicebatur; cujus universa ratio a numero catholicorum petitur, qui Gallorum imperio, adjectisque illi provinciis immorantur. Nam haec praefinitio et avertit funditus ipsam ecclesiastici regiminis naturam, quod plane liberum est, obnoxiumque nemini, et prodit quam falso de natura ipsius regiminis existimatum sit, quod quum certis, minimeque dubiis legibus, a divino illius conditore fuerit constitutum; tamen ea praefinitione leges ei tribuuntur illius systematis repraesentativi quod superioribus annis magno a rerum novarum cupidis exceptum plausu, terrarum orbem aerumnis, caede, luctuque cumulavit.

Fundamentum, et basis regiminis Ecclesiae nequaquam est systema illud repraesentativum; sed integra illa est, et numeris omnibus absoluta Jesu Christi vicarii potestas: et quum sacrum collegium sit coetus, et consociatio virorum, qui eidem Jesu Christi vicario sunt a consiliis adtributam ipsi divinitus potestatem in Ecclesiae aedificationem, et utilitates dirigendam, et proferendam, omnino contrarium est sacri collegii officio, institutioni, naturae, si principes nimium in eo posse, summoque pontifici cum cardinalium numerum praefinire velint, qui ipsis arriserit.

Mos etiam est, consuetudoque pontificum ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri potest, et prout idoneos reperiunt, cardinales assumere. (1) Qua quidem consuetudine laudanda, confirmanda, adjuvanda sacrosancta synodus Tridentina tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota non potuit non commemorare, nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut Romanus pontifex, quam sollicitudinem universae Ecclesiae, ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat (2). Sed quae causae pontifices moverunt eae non inde profectae sunt, quod quis hujus, illiusve nationis esset. Egregia praeclarorum virorum in Ecclesiam merita, eorumdemque pietas, doctrina, praecipueque cognitum militandi Deo studium (3) pontifices moverunt, ut cardinales ex omnibus christianitatis nationibus assumerent. Quae quidem assumendi potestas spiritualis tota est, totaque ab illa sollicitudine oritur quam pontifex ex muneris sui officio debet universae Ecclesiae. Ab ea potestate nequis unquam suspicaretur, quidquam aliquando detrahi posse, Ecclesia ipsa in Tridentino congregata concilio, quum intelligeret, quam necessarium esset, ut pontifex Romanus sollicitudinem suam, eo potissimum conferat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat, eam necessitatem adeo modeste, adeo reverenter attigit, ut non propterea quidquam contra pontificis potestatem jusserit, sed se se non pos-

(1) *Concil. trid. sess.* xxiv. *cap.* 1.
(2) *Ibid.*
(3) 2. *Tim.* ii. 4.

se non commemorare dixerit. Hanc universae Ecclesiae modestiam et reverentiam venerabiles fratres, cum hac, quam imperator Nobis imponere vellet lege comparate, qua spiritualem Nostram assumendi cardinales potestatem pro tertia parte sacri collegii Nobis eripere, sibi arrogare vellet, ac arrogare perpetui foederis lege, vi, necessitate, videbitisque, quod sine dubio Nobis etiam non monentibus pervidetis, Nos sine summa ab officio muneris Nostri praevaricatione assentiri imperatoris petitioni non posse.

Nec vero existimandum est, Nos Gallicano clero injuriam facere, respuendo imperatoris petitionem. Falso enim, atque immerito hanc in Nos conflari invidiam tentatum est. Nam ut omnibus constet, quanti clerum Gallicanum faciamus, quantaque Nostra erga illum sit benevolentia, quae tot aliis etiam modis ipsi a Nobis significata est, parati sumus doctum aliquem, piumque ex illo clero virum, eumque imperatoris majestati gratum, et acceptum, in vestrum, venerabiles fratres, collegium adsciscere; quod etiam imperatori nomine Nostro jam nunciatum fuit. Quae res imperatori satisfacere debuisset, praesertim hoc tempore, atque hoc statu, in quo vestrum est collegium, cui Galli cardinales sunt sex, Januenses bini, Alexandrinus unus.

Ad reliquas imperatoris petitiones respondimus, paratos esse facere quae postulantur, quatenus muneris Nostri officiis non prohiberemur.

Sed haec data imperatoris responsa, et si eum haberent indulgentiae modum, quo major omnino esse non poterat, efficere non potuerunt, ut ab his, quae minatus fuerat abstineret. Dolere, angi, cruciari miserrime debuimus, quum intelligeremus, nihil apud eum momenta rationum, nihil rogantis humilitatem, nihil suadentis lenitatem, nihil hortantis auctoritatem quo toto genere hoc tam diuturno tempore usi accuratissime sumus, valuisse.

Doloribus, angustiis, cruciatibus Nostris relinquere aditum debuimus longe ampliorem, et miseriorem, quum videremus, ne in caeteris quidem ecclesiasticis rebus, de quibus tanto antea tempore actum erat, ac etiam agebatur, et quarum conciliatio, emendatioque (quod vos non latet, venerabiles fratres) ut magna sollicitudinum, et querelarum Nostrarum, ita etiam fuit extraordinarii legati mittendi causa; nihil quidquam profectum esse. Compertum est vobis quot, quantaque et scripto, et ore tenus conati sumus, ut leges, decreta, ordinationes abrogarentur, quibus utrumque tum Gallicum, tum Italicum concordatum plane eversum est.

Horum alterum videre debuimus organicis legibus vulneratum (de quibus testis est Nobis Deus quantopere laboraverimus, quo imperatori persuaderemus, ut earum alias abrogaret, alias temperaret) alterum violatum, et adulteratum principio quidem Meltii decreto, deinde ordinationibus, quae Meltii decretum sunt consequutae. Compertum est vobis et quoties, et quam graviter conquesti simus tum de legibus matrimoniorum atque divortii, tum de compluribus aliis, et ab evangelio abhorrentibus, et contra ecclesiasticas constitutiones, piaque instituta latis, incredibili, et religionis, et ecclesiasticae disciplinae, et auctoritatis hujus sanctae Sedis, ac episcoporum detrimento contemptu. Quod si Nostrae ac ministrorum Nostrorum tot, tantaeque sollicitudines, curae, labores, si preces, si monita, si hortationes, si querelae, si tentatae omnes viae nihil omnino efficere potuerunt; nihil erit certe in ea re Nobis crimini tribuendum; adoranda potius erant inscrutabilia Dei judicia, cui maestissimo acerbissimi pontificatus Nostri tempore minime visum fuerit dulcissima Nos consolatione recreare, qua pacem et securitatem Ecclesiae, reique Nostrae publicae aliquando restitutam fuisse videremus. Conscientia recte factorum erigimur, certaque fide, nihil a Nobis neglectum, nihil omissum, nihil non avide arreptum, quo ad optatum inter tot fluctus portum pervenire possemus; atque inter agendum defunctos esse omnibus apostolici ministerii Nostri officiis et partibus in spiritu mansuetudinis, et charitatis; qui maxima omnium a Deo, dominoque Nostro Jesu Christo commendatus est. Hoc ipso spiritu haec omnia, quae commemorare maestissime apud vos, venerabiles fratres, debuimus, quae contra religionem, contra sanctam Dei Ecclesiam, contra sanctam hanc Sedem,

contra venerabiles fratres Nostros episcopos, contra principatus a Deo nobis dati jura sunt gesta reprobamus ; et testes invocamus hodie coelum et tarram (1) , reprobata esse a Nobis , et reprobari ; ne quis nunc , in posterumve fallatur , et, occassione hujus ipsius mansuetudinis , et lenitatis spiritus , quo ducti hactenus , Deo largiente , sumus, putet eorum quidquam a Nobis fuisse comprobatum.

Ac ea quidem , quae hucusque, venerabiles fratres,commemorata sunt, eam habent acerbitatem, ut addi quidquam posse vix videretur. Sed tamen in dies auctam vim , cumulatos ausibus ausus, proculcata sanctissima quaevis jura , conculcatam Nostram tum dignitatem , tum auctoritatem, et vidistis et ingemuistis. Occupatos a Gallis militibus veredos , ereptumque in eos summum jus principis Nostrum. Occupata diribitoria literarum,et metu, an pudore , ne literis per Italiam, ac reliquam Europam perferantur , quae Romae vi contra jus , fasque geruntur, constitutos, qui literas resignent, et perscrutentur; fide publica, et gentium jure nequidquam conquerentibus , et vetantibus. Nostros omnes milites astu primum frustra sollicitatos , deinde multitudine irretitos , ac captos , imperatoris copiis per vim adjectos , ejusdemque ducibus obxoxios. Nostrorum militum supremum ducem, honestissimum, et fidissimum virum, quia fidem Nobis sacramento datam praestare splendidissime voluit, in vincula conjectum, dein Roma pulsum ; eodemque modo habitos , et pulsos caeteros militarisordinis viros, qui parem praestare fidem voluerunt. Typographis vigiles , et custodes impositos milites Gallos , ne quid Nobis typis edere ullo modo liceret, ne subditos, ne Ecclesiam alloqui ac faciliori ratione possemus : Ut qui liber typorum usus , religionem irridere , aut oppugnare valenti negatur nemini , is Nobis unis , qui religionem tueri , et fovere debemus, ereptus sit. Hanc ipsam allocutionem Nostram, ut vulgare possemus opportuit scribentum opera , non typographorum uti : ac ne suspecte apud quemquam fidei esset , subscriptione ipsa Nostra , et Nostro sigillo fidem facere ipsius exemplaribus necesse fuit ! Deficeret dies ; si singula commemorare vellemus , quibus jus , fasque omne in Nos violatum est ! Sed quae animum Nostrum , vestrosque , venerabiles fratres , credulissime vulnerarunt , et dilacerarunt , silentio praeterire quis possit ? Eo usque ventum est , ut horribili sacrilegio , in oculis ipsis Nostris , inspectante , et comptorante urbe, in venerabiles fratres Nostros , collegas vestros , Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales Neapolitanos manus injectae sint. Similique modo etiam in praelatos hujus Sanctae Ecclesiae in regno Neapolitano ortos insurrectum est , et plerique eorum armata manu Neapolim versus deducti sunt.

De reliquo , venerabiles fratres , paratos esse oportet. Nam quem Deus misericors Noster rebus sit daturus finem , videre non possumus , gravioribus in dies aerumnis affligi videmus. Literis extraordinarii legati Nostri pridem acceptis xiv. kalendis martii datis , nunciatum est sibi ab exterarum relationum ministro imperatoris nomine significatum esse, Nobis, nisi statim societatem Italici foederis inierimus, illico , perpetuoque temporale dominium ereptum iri, mandatumque ipsi fuisse , ut per cursorem extraordinarium hac de re certiores Nos faceret . Eodem tempore imperatoris orator urbe discessit : quamquam hic quidem absentiae temporariae specie, relicto a secretis viro, ea fortasse de causa ut quid decreturi simus expectet.

Quae Nos omnino impediant , quominus eam foederis societatem inire possimus , jam ante, venerabiles fratres , vobis explicata sunt : itaque reliquum erat , ut , rebus hoc modo se habentibus, cogitandum esset, quid de legatis Nostris, qui Parisiis sunt, capiendum consilii esset. Nam si lenitatis hic spiritus , qui ducti constanter sumus , cohibere Nos potuit, ne illos in urbem redire juberemus postridie illius diei , quo urbs occupata fuit , propter spem, quam animo conceperamus, fore ut responsum imperatori datum v. kalendas februarii eidem gratum esset: si is ipse lenitatis spiritus cohibere praeterea Nos potuit , ne alia faceremus, quae convenire iis quae patimur , possent ,

(1) *Deuter.* iv. 26.

ferre tamen nec possumus, nec debemus, ut quo tempore Nos Romae contra jus fasque omne gravissima servitute opprimimur, captivique sumus, eo legati Nostri Parisiis sint, et praesentiaque mora ibidem sua illam injiciant omnibus gentibus opinionem, qua quidquid tum Romae tum in reliqua ditione Nostra contra Nos geritur, illud ipsum Nobis, si non probantibus, at certe non admodum moerentibus fieri existimetur. Quamobrem mandare legatis coacti fuimus, ut imperatori significent, ipsos si quidem ille in sententia permanserit, jussos a Nobis esse Parisiis discedere, ac in urbem redire; fortuna, et sorte Nobiscum, et cum reliquis ipsorum fratribus usuros quae a Deo patrata fuerit.

Hanc sortem, venerabiles fratres et expectamus et quaecumque futura sit, promptissimo animo, propter amorem ejus, qui pro Nobis mori dignatus est ferre parati sumus. Atque interea temporis, quum officiis muneris Nostri deesse nulla in re velimus, cujus intelligimus severissimam esse partem sarta tecta tueri, atque ad successores Nostros transmittere saltem jura hujus apostolicae Sedis; coram vobis repetimus protestationes, atque declarationes, quas dum Gallicae copiae urbem invadebant, typis edi ac promulgari nomine Nostro per Nostrum ministrum jussimus, et quibus patefecimus, iterumque nunc patefacimus, et declaramus esse mentem, propositum, voluntatem Nostram omnia hujus sanctae Sedis dominia, eorumdemque jura integra, et inviolata ad successores Nostros transmittere; ac quamcumque eorum occupationem, sive jam factam, sive adhuc faciendam, injustam, violentam, nullam, irritam esse declaramus; eademque dominia Nobis, Nostrisque successoribus debere restitui. Quod item dilectissimum populum Nostrum hortati tunc sumus ad omnia tolleranda, praecepimusque, ut non modo ab omni etiam levissima injuria in Gallos homines abstinerent, sed etiam unumquemque illorum justo, debitoque honore pro cujusque statu, ac dignitate prosequerentur; id ut constanter, diligenterque fiat, maxime optamus et volumus. Sola enim, quae in his maximis angustiis Nostris superest recreatio, haec est meminisse quot, quantaque erga Nos amoris, observantiae, pietatis argumenta, quum in Galliis essemus, a dilectis filiis Nostris Gallis hominibus habuerimus; quibus gratum animum Nostrum ostendere, saltem hac ratione vehementissime cupimus.

Ipsum vero imperatorem, ac regem Napoleonem *per viscera misericordiae Dei Nostri in quibus visitavit Nos oriens ex alto*: etiam atque etiam hortamur, precamur, obsecramus, ut de via deflectat, quam ingressus est, induatque denuo animum, quem regni sui initio patefecerat. Meminerit Deum regem esse ipso multo majorem. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus nec verebitur magnitudinem cujusquam, horrende, et cito apparebit quoniam judicium durissimum his, qui praesunt fiet. (1) Nos quidem magna nunc vexari persecutione intelligimus; sed Deo donante parati sumus ad hanc, ac quamcumque aliam persecutionem pro justitia substinendam, illis divini praeceptoris verbis erecti: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*(2)

Interea vero Nostra pro parte nunquam intermittemus una vobiscum venerabiles fratres, precibus, gemitusque continuis precari, et petere, ut Deus, et Dominus, in cujus manibus corda sunt regum, imperatoris cor ad alia vertere consilia dignetur, jamque desinat a Nobis velle, quae muneris Nostri officia prohibent ne concedamus; licet alias paratissimi simus ipsius causa omnia facere, quae per Nos fieri possunt. Denique coram Deo prostrati, et suspicientes in excelsum clamamus, *Domine vim patior, respondi pro me* (3) ac causam Nostram in manibus ipsius ponimus, sanctaque armati fiducia, omnipotentis, et aeterni decreta expectamus.

Pius PP. VII.

---

(1) *Sap.* vi. 6. *seg.*
(2) *Math.* v. 10.
(3) *Is.* xxxviii. 14.

DXL.

Dat. die 25 martii 1808 anno IX

Unio capitulorum ecclesiarum collegiatarum sancti Erasmi, et sancti Nicolai terrae de Bassiano dioecesis Terracinensis, et confirmatio conventionis occasione hujus unionis inter eosdem canonicos initae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt moderni individui ecclesiarum capitulorum collegiatarum sancti Erasmi, et Nicolai terrae de Bassiano Terracinensis dioecesis, quod ipsi ad tollendas inter capitula hujusmodi subortas discordias, juxta provida venerabilis fratris Francisci Antonii consilia, atque etiam communia illius terrae vota sese invicem in unum conjungere constituerunt cum sequentibus legibus, et conditionibus, videlicet.

I.

Tenor conventionum. Et primo de officiis explendis in collegiata sancti Erasmi.

§. 2. L' arciprete, e canonici di sant' Erasmo, ed i canonici di san Nicola siano tenuti tutti ad officiare nella collegiata insigne di sant'Erasmo in tutte le feste di precetto, e nelle altre feste ultimamente dispensate dalla santa memoria papa Pio sesto, oltre le officiature solite che vi erano nell'una, e nell' altra chiesa.

II.

De distributione capitulorum in choro.

§. 3. Nella parte destra del coro vi sia il capitolo di sant' Erasmo, e nella parte sinistra il capitolo di san Nicola, e questo si osservi anche nelle processioni secondo il praticato per l'addietro.

III.

De officio hebdomadarii

§. 4. L' officio di eddomadario lo faccia prima l'arciprete, poi il canonico decano di sant' Erasmo, in terzo luogo il canonico decano di san Nicola, e poi alternativamente si prosiegua fra i canonici di sant'Erasmo, e san Nicola finchè sia fornito il turno, il quale deve farsi sempre nella stessa maniera.

IV.

De muneribus minoribus in missis solemnibus.

§. 5. Nelle messe solenni debba fare l' officio di diacono l'ultimo canonico di sant' Erasmo, e di suddiacono l' ultimo canonico di san Nicola, e lo stesso si osservi in tutte le altre funzioni sacre.

V.

De assistentia episcopo celebranti praebenda.

§. 6. Nell' occasione che monsignor vescovo celebrerà pontificalmente, o assisterà, due de' più anziani del capitolo di sant'Erasmo facciano l' officio di prete assistente, e di decano, ed il più anziano del capitolo di san Nicola faccia l'officio di suddiacono.

VI.

De ordine in processionibus servando.

§. 7. In tutte le feste, e processioni più solenni, ed altre funzioni che competono al primo del capitolo in mancanza dell' arciprete, subentri il canonico decano di sant' Erasmo, e mancando l'uno, e l' altro tali funzioni sacre debbano farsi dall' eddomadario se sarà di sant' Erasmo, o di altro canonico di detto capitolo.

VII.

De missis in qualibet ecclesia diebus festis celebrandis.

§. 8. Nelli giorni festivi due canonici di san Nicola sieno tenuti di celebrare la santa messa in detta chiesa dove ancora sia tenuto uno di essi di amministrare il sacramento della penitenza ai fedeli, e però se non potrà questi intervenire all' officiatura della mattina, non sarà puntato, restando fermo a tutti i canonici di san Nicola l' obbligo di soddisfare le messe, che cadranno nei giorni festivi per adempire ai legati.

VIII.

De expositione sanctissimi sacramenti Eucharistiae.

§. 9. Nella esposizione delle santissime quarant'ore nella chiesa di san Nicola nei giorni dell' ottava della beatissima vergine Assunta in cielo, ne' quali resta esposta a publica venerazione l' imagine del santissimo Salvatore, e ogni qualvolta occorra di esporre detta imagine per i publici bisogni nella chiesa di san Nicola, in tutti questi casi, i due ul-

timi canonici di san Nicola siano obbligati ad assistere l'abbate curato in queste sacre funzioni.

IX.

De festo sancti Nicolai.

§. 10. Nella festa di san Nicola siano tenuti ambedue i capitoli ad assistere ai primi, e secondi vesperi, e messa solenne nella chiesa di san Nicola, e la funzione da farsi dall' abbate curato, o da uno del capitolo di san Nicola, e gli ultimi di ambedue i capitoli debbano fare l'officio di diacono, e suddiacono come si è detto di sopra al n. 4.

X.

De festo sacratissimi corporis Christi.

§. 11. Nella domenica dentro l' ottava del santissimo corpo di Cristo, finita l'officiatura della mattina nella chiesa di sant' Erasmo debbano tutti processionalmente portarsi nella chiesa di san Nicola, ed ivi assistere alla messa solenne, e solita processione facendo l'officio di diacono, e suddiacono gli ultimi due sopradetti; e l'abbate curato, o uno del capitolo di san Nicola faccia la sacra funzione.

XI.

De festo assumptionis b. M. v.

§. 12. Nella solennità della beatissima vergine Assunta in cielo finita l' officiatura della mattina, nella medesima chiesa di sant' Erasmo debbano tutti processionalmente portarsi nella chiesa di santa Maria, dove assisteranno alla santa messa solenne da cantarsi dall' abbate curato, o da uno de sopradetti canonici di san Nicola, facendo l' officio di diacono, e suddiacono gli ultimi due sopradetti, e poi processionalmente restituirsi nella chiesa di sant' Erasmo, e debbano ancora intervenire alla solita processione nella festa di san Nicola.

XII.

De aliis diebus festivis.

§. 13. In tutte le feste di precetto, e dispensate come sopra vi sia l' ultima messa nella chiesa di sant'Erasmo, qual peso debba portarsi dai canonici di detta chiesa alternativamente.

XIII.

De dignitate abbatis curati.

§. 14. L' abbate curato si consideri come primo del capitolo di san Nicola, e come tale debba sempre ritenere il segno come gli altri di rocchetto, e mozzetta, e sia in sua libertà d' intervenire all'officiatura nella chiesa di sant' Erasmo, e nelle occasioni che dovrà associarsi qualche morto della parrocchia di sant' Erasmo sia parimenti avvisato; il che debba da lui osservarsi verso il procuratore, ossia camerlengo della chiesa di sant' Erasmo rispetto ai morti di san Nicola.

XIV.

De jure abbatis curati.

§. 15. Lo stesso abbate abbia il diritto di portare la stola in tutte le processioni, ed associazioni di morti, come ancora nel sabato, e vigilia di pentecoste alla sola benedizione del fonte battesimale, sempre però a mano sinistra dell'arciprete, o di chi farà le veci anche con la stola, il quale sia sempre il canonico più anziano di sant' Erasmo.

XV.

Idem ut supra.

§. 16. L' abbate curato abbia il diritto d' intervenire nelle risoluzioni capitolari, non solo riguardo a quelle del capitolo di san Nicola, ma anche alle altre che sono di diritto comune nel capitolo di sant' Erasmo.

XVI.

De conservatione sacrarum reliquiarum, aliarumque supellectilium.

§. 17. Tutte le sacre reliquie, suppellettili, ed altro spettanti alla chiesa di san Nicola, debbano ivi rimanere, e per l'avvenire debba provedersi delle necessarie suppellettili, ed altro secondo il passato costume colle rendite della sagrestia di san Nicola, quali sopravanzando debbano dividersi secondo il solito fra l'abbate curato, e canonici di san Nicola, i quali siano tenuti di dare allo stesso abbate la solita annuale prebenda, e si osservi il solito riguardo alla decima in ambedue le chiese.

XVII.

De lampadibus servandis in ecclesia sancti Nicolai.

§. 18. L' abbate curato, e canonici di san Nicola siano tenuti al mantenimento delle lampade del santissimo Sacramento nella chiesa di san Nicola, ed alla cera per le messe pro populo, e per la festa della Purificazione della beatissima vergine, sempre però per la detta chiesa di san Nicola.

XVIII.

De aedituo sancti Nicolai, et de emolumentis eidem debitis.

§. 19. Il sagrestano di san Nicola debba percepire solo gallate otto di grano, e soliti incerti della chiesa di sant' Erasmo, e le altre quattro gallate debbano somministrarsi ad effetto di mettere un' altro inserviente nella sagrestia, e chiesa di sant' Erasmo; qual grano forma in tutto la quantità di rubbia uno, e mezzo debba ogni anno somministrarsi come sopra dall'abbate curato, e canonici di san Nicola.

XIX.

De cera suppeditanda ab ecclesia sancti Erasmi.

§. 20. Le solite torcie di cera, che si mettono intorno il cadavere, e che si pretendevano da ambedue i capitoli debbano queste cedere a favore della chiesa di sant' Erasmo, la quale secondo il solito, porterà il peso della cera occorrente per le sacre funzioni, e per la festa della Purificazione della beatissima vergine, ed il peso ancora degli utensili, e suppellettili.

XX.

De missa juxta solitum in utraque ecclesia celebranda.

§. 21. Resti ferma la messa nello stesso modo, che gode al presente ciascun' individuo di ciascuna chiesa, senza che possa perturbarsi mai anche dai successori.

XXI.

De camerario utriusque capituli.

§. 22. Ciascun capitolo debba eleggere il suo procuratore, ossia camerlengo, il quale eserciti il suo impiego rispettivo, ed il puntatore ora eletto da ambedue i capitoli, il quale punterà tutti indistintamente; le puntature poi siano divise comunemente fra tutti due i capitoli, escluso l'abbate curato.

XXII.

De alternativa servanda inter camerarios super administratione eleemosynarum.

§. 23. Fra l'uno, e l'altro procuratore, o camerlengo vi sia l' alternativa rispetto all' amministrazione di tutte le elemosine, che si raccoglieranno per le anime del purgatorio tanto nella quaresima, quanto anche nella commemorazione de' fedeli defonti, e ne disponga secondo il solito costume, e li capitolari di san Nicola siano partecipi anche nell' esiggere, e distribuire gl' incerti dovuti per l' associazione de' morti.

XXIII.

De praelatione canonicis sancti Nicolai concedenda in vacationibus canonicatuum sancti Erasmi.

§. 24. Vacando qualche canonicato di sant' Erasmo, un canonico di san Nicola debba a questo presentarsi dall' eccellentissimo duca Gaetani, o chi per esso, per il quale effetto vi sia il necessario consenso.

XXIV.

De reservatione jurium utriusque capituli, et paraeciarum.

§. 25. Finalmente tanto i diritti di ambedue le parrocchie, quanto anche dell' uno, e dell' altro capitolo, fuori delle suespresse convenzioni sieno nel di loro pieno vigore, e forza senza che per qualsivoglia pretesto, titolo, o ricercato colore possano essere perturbate, non solo riguardo ai suddetti, ma anche rispetto agl' interessati di ambedue le parrocchie, e capitoli. E così intendo ciò di aver convenuto non solo ec. ma ec. e non altrimenti ec.

Confirmatio apostolica

§. 26. Cum autem sicuti in eadem expositione additum erat, ut unio praedicta, ac praeinsertae conventiones firmiter subsistant, et exacte observentur apostolicae Nostrae confirmationis subsidio omnia muniri vehementer desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati unionem capitulo-

rum praedictam, ac singulas praeinsertas conditiones, et leges auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, et omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint supplemus, et sanamus, sine tamen ullo jurium patronatuum alicujus canonicatus, vel beneficii dictarum ecclesiarum praejudicio, quae jura patronatus sarcta, illaesa, et integra remanere volumus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 27. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere: sicque, et non alias in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 28. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum capitulorum, et ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesimaquinta martii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLI.

Dat. die 29 martii 1808 anno IX.

Confirmatio nonnullarum modificationum habitarum super regimine seminarii sancti Severini concrediti curae patrum congregationis Clericorum Regulariam sancti Pauli Decollati Barnabitarum ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur praecedentes literae sub datum diei 24. maii 1800, et discussiones, atque modificationes subortae.

§. 1. Postquam per apostolicas Nostras in simili forma brevis die 24. maij 1800. datas literas, quarum tenorem hic totum volumus pro inserto ac sufficienter expresso, approbationis atque confirmationis Nostrae munimine fulcita fuit quaedam conventio, quam venerabilis frater Angelus Antonius s. Severini modernus episcopus, et tunc existens praepositus generalis congregationis clericorum regularium s. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum insimul inierant super seminario ad illius civitatis et dioecesis clericorum saecularium commodum, ac instructionem erecto, et certis sub pactis, ac conditionibus cedendo in administrationem, ac regimen clericis Barnabitis, enatae subinde sunt, prout nuper Nobis exponi fecit dil: fr. Franciscus Fontana modernus congregationis praedictae praepositus generalis, nonnullae quoad eamdem conventionem discussiones atque modificationes forma et tenore, ut sequitur, scilicet.

Tenor modificationum.

§. 2. Consideratisi dal vescovo di s. Severino gli articoli convenuti tra esso, e di pp. Barnabiti, convenuti in occasione, che a questi fu affidata la cura, ed amministra-

zione del seminario diocesano; osservatosi inoltre il breve pontificio « *Clericorum seminaria* dato il 14. maggio 1800, con cui confermati furono; fattasi finalmente riflessione su quanto vien dedotto dalli stessi padri ad effetto di espungere l'articolo viii, che assegna ai maestri una congrua annua ricognizione in compenso del grave loro incomodo di accesso al luogo della scuola, e di recesso da quello; e presosi in vista quanto si dice per l' espunzione dell' articolo ix. nel quale si danno annualmente ai maestri scudi 20. per la cioccolata; acconsente il nominato vescovo che i prelodati pp. ottengano da Nostro signore l'espunzione di questi due articoli.

Passando alle annotazioni, che si fanno dai pp. Barnabiti su l'articolo iv, in cui si stabilisce la dozzina degli alunni in scudi 28. da scemarsi in qualche parte negli anni migliori, è da sapersi che questa dozzina fu convenuta nell' anno 1800, anno di penosissima carestia. Si deve anche ponderare, che quando il seminario non era affidato ai pp. Barnabiti, e non aveva la metà delle odierne sue rendite, manteneva una quantità maggiore di alunni, che ora è fissata al solo numero di dodici, ed un rettore, un maestro di grammatica, e rettorica, un prefetto, un cuoco, ed un guattero, e si pagava dagli alunni la dozzina di scudi 24. andando i studenti di filosofia e teologia, alla scuola di un lettore Barnabita nel collegio degli stessi padri. L' odierno vescovo per ridurre il seminario in stato migliore lo tenne chiuso per alcuni anni, e pose a moltiplico le sue rendite; ottenne dalla s. mem. di papa Pio VI. l'unione di alcuni semplici non residenziali beneficj, che danno un pingue annuo frutto, ristrinse il numero degli alunni a soli dodici, ed in tal guisa accrebbe moltissimo l'entrata, diminuì le spese del seminario, e lo affidò ai pp. Barnabiti, lasciando ad essi la libertà di ricevervi i convittori, pagando quella dozzina, che fosse ad essi piaciuta. Si separino pertanto le spese necessarie per li convittori dalle pure spese occorrenti per dodici alunni, e si vedrà, che la dozzina, la quale si paga da questi, unita ai redditi del seminario è più che sufficiente per il mantenimento loro, e delle persone necessarie ad un numero cotanto ristretto.

La difficoltà che si propone sull' articolo 11. suppone un vescovo cotanto dimentico del proprio officio, che voglia ritenere nel seminario i gravemente contumaci, o i rei di grande e pubblico delitto, a dispetto del rettore, ed in qualche caso con pregiudizio essenziale della di lui autorità, del buon ordine, e della disciplina. Se ciò si vuol supporre di un vescovo potrebbe molto più supporsi di un semplice rettore, che volesse ritenere in seminario chi merita di esserne espulso, o che volesse espellere chi non lo merita. Ma lasciando le supposizioni, si consideri che l' autorità del rettore è dipendente da quella del vescovo, e si faccia pure dichiarare da Nostro signore, che i gravemente contumaci, o i rei di delitto grande e pubblico, possano subito espellersi dal rettore coll' autorità, che gli si concede dal vescovo, a cui dovrà giustificare il suo operato.

Si faccia parimente dichiarare da Nostro signore, che in caso qualunque, anche inopinato di rescissione di tal contratto, di cui si parla nell'articolo vii. debbano i beni del seminario restare piuttosto migliorati, che deteriorati, cioè se non migliorati almen non deteriorati, e si aggiunga nella dichiarazione, che se i pp. Barnabiti avranno fatto co' propri danari, e col consenso del vescovo pro tempore, qualche spesa notabile per migliorare detti beni, debba ad essi restituirsi il quid impensum.

Sull' articolo xiii. finalmente è da notarsi, che come è possibile che il capriccio, o l' impegno di qualche vescovo, o pro, o contro qualche religioso, impedisca al p. generale di disporne a suo piacimento, così è possibile che qualche p. generale destini in lettore, maestro, rettore ec. qualche soggetto insufficiente, e di non totalmente buoni costumi. E' anche possibile che il p. generale a corso cominciato di scuola, o dopo il primo anno scolastico mutasse uno de' maestri. Il primo caso rovinerebbe la gioventù nello scientifico, e nel morale, il secondo nello scientifico, non essendo facile, che il

nuovo maestro, il quale succede all' altro a mezzo corso tenga lo stesso metodo, abbia la stessa comunicativa, si adatti nella stessa maniera alla capacità de' scuolari ec. A scanso d' ogni possibile inconveniente, si potrebbe far dichiarare da Nostro signore che i lettori ed i maestri una volta istallati, non possano rimuoversi pria che abbiano terminato il loro corso, quante volte non nasca cosa in contrario sulla loro insufficienza alla scuola che fanno, o sulla loro morale condotta, nel qual caso il vescovo ne faccia inteso segretamente il p. generale, e questi rimuova al fine dell' anno il soggetto. Quanto poi alla destinazione de' nuovi soggetti, che il p. generale se la intenda col vescovo, cioè che faccia inteso il vescovo dei soggetti, i quali vorrebbe destinare, e non opponendosi dal vescovo giusta ragione di esclusiva resti il p. generale in libertà di destinarli.

Se piacciono al p. generale questi temperamenti, potrà farli confermare per modo di dichiarazione del prelodato breve pontificio da Nostro signore, così contentandosi, per quel che a lui spetta, il vescovo di s. Severino suo dño obño servitore.

Così è. Angelo vescovo di s. Saverino.

Confirmatio praedictarum modificationum.

§. 3. Ad plenam autem modificationum hujusmodi firmitatem, ac observantiam idem praepositus generalis eas pariter approbari a Nobis vehementer desiderat, enixisque precibus humiliter flagitat. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ejusque, ac omnium aliorum in hoc interesse habentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertas modificationes cum omnibus et singulis, quae in eis continentur, auctoritate apostolica tenore praesentium ratas, validasque habemus et declaramus, illisque apostolicae approbationis et confirmationis robur adjicimus, ac cunctos et singulos sive facti sive juris defectus, si quos desuper intervenisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus, firma tamen in reliquis manente forma et dispositione praedictarum literarum Nostrarum.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has Nostras praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et quandocumque spectabit pro tempore plenissime suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus et singulis iis, quae in eisdem supradictis literis Nostris concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima nona martii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLII.

Dat. die 5 aprilis 1808 anno IX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo beatorum Sadoc, et quadraginta octo sociorum martyrum visitaverint ecclesias ordinis Praedicatorum.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis

Salutem et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti filii Pii Josephi Gaddi magistri generalis ordini Praedicatorum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum, quam monialium ordinis hujusmodi ubicumque existentibus die, in qua ab unaquaque ex praefatis ecclesiis festum bb. Sadoc, et quadraginta octo sociorum martyrum pro prima vice celebrabitur, a primus vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice tantum valituris.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, quodque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis hujusmodi munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLIII.

Dat. die 5 aprilis 1808 anno IX.

Facultas vicissim gestandi cappam magnam et mozzetam violacei coloris cum globulis, et asulis cremisini coloris pro canonicis ecclesiae cathedralis Bergomensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

§. 1. Quantum venerationis vel ipsa indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia cum varias pro varietate festorum sacerdotibus suis sacra facientibus praescripsit vestes, tum etiam iis, qui in templis magis conspicuis coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt, particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit, ut ipsi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere conentur in aula Domini. Proemium

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Bergomensis Nobis nuper exponi fecerunt, ad parcendum expensis, quibus ob quotidianum cappae magnae usum obnoxii reperiuntur, eam interdum immutare posse vehementer desiderent. Expositio precum.

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis,, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitati, seu Tenor concessionis.

dignitatibus, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Bergomensis, ut loco cappae magnae, qua adhuc singulis diebus uti consueverunt, mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam, cum globulis, et ocellis ejusdem cremisini coloris vicissim gestare, hancque tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque pro iis temporibus, et diebus, quibus id per ipsos canonicos capitulariter congregatos praestitum fuerit, ac servata uniformitate, deferre libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLIV.

Dat. die 8 aprilis 1808 anno IX.

Erectio ecclesiae Baltimorensis, in archiepiscopalem, et metropolitanam.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium. §. 1. Pontificii muneris Nobis licet immerentibus ex alto concrediti paterna Nos cura sollicitat, ut cathedrales ecclesias, quas vigil praesulum studium, gratia opitulante divina, florentiores effecit, eo elatius erigamus, quo utilius praeeminens illarum decus ad Omnipotentis Dei gloriam, Christique fidelium devotionem augendam conferre posse conspicimus, atque confidimus.

Ratio concessionis. §. 2. Quum itaque religio catholica in Marilandiam, quae una est ex Americae foederatae provinciis, primum invecta, eas de rore caeli accepisset benedictiones, ut inde per operarios animarum zelo flagrantes in reliquas imperii ejusmodi regiones propagata altas ubique radices ageret; recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor Noster quo magis fidei incrementis, et fidelium commodis opportune isthic consuleret, ea in civitate, cui nomen Baltimor, quaeque in Marilandia sita est, et in qua major degebat catholicorum pars, commercioque cum ceteris provinciis aptior videbatur, sedem episcopalem erexit, ibique venerabilem fratrem Joannem Carroll in episcopum, et pastorem constituit, et alias prout in ipsius praedecessoris apostolicis literis in simili forma brevis die 6. novembris 1789. expeditis fusius continetur. Quumque Domini Salvatoris Nostri benignitate cultores vineae suae mirifice fecundante factum subinde sit, ut orthodoxa ejus fides in omnes modo Americae foederatae provincias longe, lateque diffusa novos praesules, qui multiplicatis fidelibus, seorsim tamen immanique saepe a Baltimore distantia hic illic morantibus proprius assistant, videatur expetere.

Tenor concessionis. §. 3. Nos illud potissimum attendentes, quod sicut civitas Baltimoris loci sui opportunitate magnam praebeat cunctis foederatae Americae

partibus commercium cum ea habendi commoditatem, ita facile, commodumque erit catholicis partium earumdem tam ecclesiasticis, quam secularibus pro suis justitiae causis ad eam recurrere, idcirco de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio praedictam sedem episcopalem Baltimorensis civitatis in archiepiscopalem, et metropolitanam sedem, et caput aliarum sedium totius Americae foederatae auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus, facimus, atque instituimus.

Iura concessa.

§. 4. Eique omnia, et singula jura, privilegia, et praerogativas ab illis sedibus archiepiscopalibus, et metropolitanis haberi, et gauderi solitas et consuetas plenarie attribuimus, et assignamus; deinde venerabili fratri Joanni praenominato, qui adhuc episcopalem praedictam obtinet sedem, pro singularibus suis in religionem catholicam, et Sedem apostolicam meritis archiepiscopi titulum, ita ut posthac archiepiscopus Baltimorensis sit nuncupandus, una cum delatione pallii et crucis, aliisque insigniis, et honoribus, juribus, et privilegiis, gratiis quoque, et indultis, quibus ceteri archiepiscopi de jure, usu, et consuetudine potiuntur, fruuntur, et gaudent, eodem plane modo et absque ullo prorsus discrimine tam ipsi, quam ipsius futuris in Baltimorensi archiepiscopatu successoribus auctoritate, et tenore praedictis concedimus, atque conferimus.

Assignatio novarum ecclesiarum suffraganearum.

§. 5. Praeterea eidem archiepiscopali, et metropolitanae sedi Baltimorensi quatuor novas episcopales ecclesias nempe Neo-Eboraci, Philadelphiae, Bostoniae, et Bards-Goun per Nos hodie erectas, aliasque in eisdem foederatae Americae partibus per apostolicam Sedem in posterum erigendas, de eorumdem cardinalium consilio, ac eadem auctoritate tamquam provinciales adscribimus, ac earum episcopos pro tempore existentes in Baltimorensis archiepiscopi suffraganeos, qui veluti membra capiti juri ejus archiepiscopali, et metropolitico subsint, accensemus; ac hujusmodi ecclesiarum clerum, populumque universum, quorum causae ad dictum archiepiscopum juxta sacrorum canonum statuta referantur; ipsi archiepiscopo quoad archiepiscopalia, et metropolitica jura subiicimus. Demum pro dioecesi, quae archiepiscopalis ecclesiae Baltimorensis sit deinceps peculiaris, et propria statuimus ei atque praefigimus tam Marilandiam, quam reliquas regiones, quas habet a meridie ad Georgiam usque inclusive donec tamen provisum aliter fuerit ab hac sancta Sede, cujus auctoritatem sartam tectamque volumus in praemissis sicut et memoratae congregationis cardinalium.

Mandatum de obediendo.

§. 6. Mandantes propterea eidem archiepiscopo nunc, et pro tempore existenti in virtute sanctae obedientiae, ut eidem congregationi obsequenter pareat, ejusque jussa fideliter adimpleat, acta visitationis suae archiepiscopalis ecclesiae debitis temporibus ad eam transmittat, eamque de omnibus faciat certiorem, quae spirituali bono gregis sibi commissi, et ecclesiarum suffraganearum amplitudini magis in Domino noverit profutura.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque etiam speciali ac expressa mentione, et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 8 aprilis 1808. anno IX.

DXLV.

Erectio quatuor sedium episcopalium in foederatis provinciis Americae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi onus ferentes totius gregis Dominici, illis praecipue ovibus quae regiones a Sede hac apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis longe dissitas incolunt, majori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni intra verum ovile per apostolicam curam repertae, ad caelestia valeant pascua vocari, feliciterque perduci.

Ratio decernendae novae erectionis.

§. 2. Magna siquidem cum laetitia accepimus catholicam religionem in Americae foederatis provinciis quotidie magis virere, ac efflorescere, numerumque fidelium, qui suavi ejus jugo colla submittunt frequentiorem favente Deo undique cerni, et copiosiorem. Quum itaque unus, qui in civitate Baltimorensi episcopus constitutus est, et pastor existit, tanto tantumque inter se disjunctis locis succrescenti gregi pascendo satis esse non possit, Nos quo magis agnos Christi novellos pastorali custodia, et auxilio indigere cognoscimus, eo celerius ad novos pastores per quos et locorum distantiae minuantur, et spiritualia pabula multiplicentur, augendos properamus.

Tenor novarum erectionum.

§. 3. Hinc re mature perpensa cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus congregationi de Propaganda Fide praepositis, de fratrum eorumdem consilio, quatuor novas episcopales sedes in recensitis provinciis pro quatuor respective episcopis nunc, et in posterum quandocumque hujusmodi sedes vacare contigerit, per Nos, et apostolicam Sedem eligendis, atque constituendis auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, atque constituimus: scilicet primam Neo-Eboraci, quae totam hujus nominis provinciam, et partem orientalem provinciae Neo-Caesareae priori finitimam habeat pro dioecesi: secundam Philadelphiae, cujus dioecesis complectatur duas integras provincias Pensilvaniae, et Delavare, ac preterea partem occidentalem et meridionalem provinciae Neo-Caesareae; tertiam Bostoniae cum dioecesi, intra quam istas includimus provincias, nempe novam Stantoniam Massachatensem, insulam Rhodi, Connecticut, et Vermont quartam Bardj-Goun, idest in oppido, seu civitate Bardensi, eique in dioecesim statuimus provincias tam Hentuchiensem quam Tenassensem, ac illas quoque donec a Sede hac apostolica aliter provideatur regiones, quae a ripa occidentali fluminis Ohio inter occidentem, et septemtrionem excurrunt ad ingentes lacus, qui eas inter et Canadensem dioecesim interjacent, hasque legendo pertigunt ad fines Pensilvaniae.

Concessio privilegiorum, et honorificentiarum.

§. 4. Has porro episcopales sedes ita a Nobis, ut praefertur, erectas, et constitutas episcopalibus juribus, privilegiis, honorificentiis, praerogativis, immunitatibus, ceterisque gratiis, et indultis per alias sedes episcopales haberi, et gauderi solitis, et consuetis omnes et singulas de benignitate apostolica condecoramus ac insignimus. Episcopis vero hujusmodi sedium episcopalem jurisdictionem suis in ecclesiis, civitatibus, et dioecesibus libere exercendi, omniaque, et singula, quae sunt ordinis, et jurisdictionis, seu alterius cujuslibet muneris episcopalis, quaeque alibicumque constituti episcopi tam de jure, et consuetudine, quam alias quomodolibet intra dioeceses, civitates, et ecclesias proprias gerere, ac facere solent, et possunt similiter gerendi, et faciendi facultatem plenam, et amplam concedimus, atque tribuimus. Denique praememoratas ecclesias, ac unamquamque earum in provinciales et suffraganeas ecclesiae Baltimorensis, quam hodie in archiepiscopalem et metropolitanam ereximus, de consilio et auctoritate praedictis damus et assignamus, nec non ut illarum episcopi pro tempore existentes juri metropolitico archiepiscopi Baltimorensis. Clerus autem et populus suis respective episcopis quoad episcopalem, dicto tamen archiepiscopo quoad archiepiscopalem, et metropoliticam jurisdictionem et superioritatem debeant semper subjacere mandamus, atque praescribimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas semper, et ef-

ficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et in futurum spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque etiam speciali et expressa mentione, seu derogatione dignis, contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLVI.

Dat. die 13 maii 1808. anno IX.

Confirmatio duorum rescriptorum favore monialium sanctae Clarae civitatis Dublinensis cum communicatione indulgentiarum, et regularis professionis formulae immutatione.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium. §. 1. Illud Nos memoria repetentes, quod sanctus Joannes Chrisostomus monuit, Deo nempe, sacratas virgines coelestis esse philosophiae aemulas, quippe quae vel fragili carne indutae angelicam illam vivendi rationem repraesentant in terris, quam incorporeae potestates ducunt in coelis, libenter in Domino concedimus quid quid ad religiosam earum perfectionem augendam conferre arbitramur.

Expositio precum. §. 2. Cum igitur dictae in Christo filiae abbatissa, et moniales ordinis sancti Francisci, sanctaeque Clarae Dublinensis civitatis non modo Magdalenam ad Christi Domini pedes contemplantem, sed Martham etiam eidem Domino ministrantem referre cupientes, munus sibi adjunxerint erudiendi inopes puellas in catholica fide, bonisque moribus imbuendi, hortante ad id venerabili fratre Joanne Thoma ejusdem archiepiscopo, qui verbo, et exemplo nihil reliqui unquam fecit, ut catholica religio majora sibi incrementa susciperet. Nos quo seduliorem operam dictae moniales in hujusmodi novo gravique officio exemplo navare possent per rescriptum bo. me. Dominici Coppola, dum vixit archiepiscopi Myrensis et congregationis Propagandae Fidei secretarii ex audientia Nostra die x. junii MDCCIV. recitationem divini officii, horarum scilicet canonicarum, quas ante illud tempus ipsae moniales persolvere consueverunt, in officii parvi b. M. Virginis recitationem commutavimus. Postea vero per aliud simile rescriptum ex eadem Nostra audientia die 18. decembris anni proxime elapsi cum iisdem monialibus super obligatione observandi jejunia, et abstinentias in regularibus suis statutis praescriptas dispensavimus, firmis dumtaxat remanentibus jejuniis, et abstinentiis ab ecclesia generatim praeceptis; simulque ad sedandas ipsarum monialium conscientias declaravimus, nihil sub gravi, vel levi culpa obligatoriam in earum regula et constitutionibus extare praeter tria consueta paupertatis, castitatis, et obedientiae vota, et aliud quartum puellas inopes instruendi, ac alias prout ex memoratis rescriptis, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem institutio hujusmodi ibi suscepta adeo crescit in dies, benedicente Domino, et floret, ut in praesens tempus septuaginta circiter puellae a dictis monialibus bene jam recteque erudiantur, idcirco ipsemet archiepiscopus, dictaeque moniales quo firmius memorata rescripta subsistant, meliusque serventur, utrumque per Nos, et hanc sanctam Sedem confirmari, monialesque specialibus gratiis, quae pro aliis regularibus ordinibus ad juvenum institutionem addictis concessae sunt, locupletari, ac demum earum profitendi formulam apte immutari pos-

se desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsas moniales specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, referente dilecto filio magistro Joanne Baptista Quarantotti dictae congregationis Propagandae fidei secretario ambo rescripta praedicta praesentibus pro insertis habentes cum omnibus, et singulis in eis contentis et expressis, eadem omnia auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes cum juris tum facti defectus siqui desuper in eis quomodolibet irrepserint supplemus, et sanamus.

Concessio indulgentiarum

§. 4. Praeterea auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei auctoritate confisi omnibus et singulis modernis et pro tempore in perpetuum existentibus monialibus praedictis indulgentias tam plenarias quam partiales, aliasque spirituales gratias regularibus familiis, illarumque individuis ex regulari suo instituto juvenes doctrinam christianam, christianosque mores edocentibus ab hac apostolica Sede alias impertitas dummodo injuncta pro illis consequendis rite expleverint auctoritate et tenore praedictis perpetuo communicamus, tribuimus et elargimur. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar.

Formula novae professionis.

§. 5. Professionem denique regularem per moniales hujusmodi in posterum emittendam hisce verbis fore volumus scilicet « Ego . . . . . Omnipotenti Deo, gloriosissimae virgini « Mariae orphanorum matri, ac nostro « sancto patri Francisco, sanctaeque « matri nostrae Clarae, et omnibus sanctis, tibique reverenda mater abbatissa, et reliquis tibi in officio successuris, vel vices tuas gesturis vota facio « observandi per omne vitae tempus « regulam, vitaeque rationem sororum « pauperum sanctae Clarae ab eodem « s. Francisco sibi traditam, atque a « summo pontifice Innocentio IV. con- « firmatam; successive autem a Benedi- « cto XIV. et sanctissimo patre Nostro « Pio VII. moderatam, atque ita viven- « di scilicet sine ulla rerum tempo- « ralium proprietate, et obedientia, « et castitate, meque praecipue dedico « curandis, et instruendis pauperibus « puellis orphanis; ibidemque obser- « vandi clausuram prout temporis et « circumstantiae postulaverint.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicae nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monialium et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris

die decimatertia maii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 13 maii 1808 anno IX.

DXLVII.

Concessio facultatis alternatim absendi per duos menses a choro ecclesiae collegiatae civitatis sancti Philippi dioecesis Valentinae pro officialibus cantoribus ejusdem ecclesiae.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, cantoresque ecclesiastici collegiatae ecclesiae oppidi civitatis nuncupati sancti Philippi Valentinae dioecesis numero tredecim, duo scilicet, subcantores, duo « domeros », organistae duo, duoque evangelistarii, unus epistolaris, unus cappellae magister, tresque auxiliatores, quod ipsi ad levandum assiduum laborem, viresque servandas per duos annuatim menses ab eadem ecclesia abesse posse plurimum desiderant. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, assensum ad id jam obtiuuerint a dilectis filiis capitulo, et canonicis dictae collegiatae, hisce tamen legibus, et conditionibus, videlicet, I. Tres tantum ex ipsis exponentibus, et ex eorum successoribus abesse valeant eodem tempore, minime vero plures, idque sub omnimoda dependentia a capitulo. II. Si per triduum tantum abfuturi erunt, a rationali capituli, eorumque praesidente, si vero ultra triduum ab eodem capitulo licentiam prius obtinere debeant. III. Nemini umquam liceat abesse adventus, et quadragesimae temporibus, neque paschatis, aliisque solemnioribus festis diebus, et octavis corporis Christi, ac beatae virginis vulgo « de la Seo » nuncupatae. IV. Non simul absint duo subcantores, vel (hisce aegrotantibus, aut emeritis, seu alia quacumque de causa absentibus) eorum vices-gerentes, ita ut eorum unus semper remaneat pro necessaria chori moderatione. Atque haec eadem prorsus regula servetur quoad organistas etiam, evangelistarios, et « domeros »; Nobis propterea dicti officiales, et cantores humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, assensum, et resolutionem capitularem praedictam cum praeinsertis conditionibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia confirmes, illisque perpetuae, et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, ac omnes, et singulos cum juris tum facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint, suppleas, et sanes: eisdemque modernis, et pro tempore existentibus officialibus, et cantoribus ecclesiae praedictae, ut ab ipsa ecclesia juxta praemissa abesse libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et arbitrio praedictis concedas, et indulgeas.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Eccle-

siae cardinales, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, memoratae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia maii millesimo octigentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLVIII.

Dat. die 21 junii 1808. anno IX.

Erectio novi abbatialis monasterii sub denominatione b. M. v. de Aeternitate, et reformationis sanctae Vallis pro monachis ordinis Cisterciensis in Westphalia.

Dilecto filio magistro Aloisio Ciamberlano sacrarum missionum in Hollandia pro-moderatori apostolica auctoritate deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Proemium. §. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus, constituti illorum praesertim virorum preces libenter excipimus, qui ab omnibus mundi illecebris segregati, se hostias Deo viventes, gratas, et acceptas obtulerunt, et quotidie offerunt, exemplo magis, quam verbis docentes, carnem esse crucifigendam cum vitiis, et concupiscentiis suis.

Laudes monachorum Cisterciensium §. 2. Jam vero inter hos praeclaros mundi, ac suimetipsorum contemptores praecipuum locum tenere videntur monachi ordinis Cisterciensis primaevae observantiae vulgo de Trappa nuncupati. Ipsi namque per austeram illam, quam profitentur, vivendi rationem, adeo sibi divinam opem conciliarunt, ut in summa humanarum, divinarumque rerum perturbatione, ac propemodum eversione ex eorum dioecesis Sagiensis monasterio expulsi, locum dumtaxat, non autem propositum sanctum immutaverint. Imo spiritu robustiores effecti, vix in Helveticum aliud tunc desertum monasterium Vallis sanctae Lausannensis dioecesis se receperant, sancti institutoris regulam in pristinum restituerunt: atque crescente in dies cum devotionis fervore coenobitarum numero, multae coloniae ad multas vel remotissimas orbis plagas inde feliciter profectae sunt, regulari observantia, atque severiore disciplina ubique florentes.

Ratio concessionis §. 3. Cum itaque, (sicut accepimus) illinc a dilecto filio Augustino dicti monasterii Vallis Sanctae apostolica auctoritate erecti abbate in

Westphaliam missus esset dilectus itidem filius Eugenius monachus expresse professus, hic, dirigente Domino gressus suos, aedes pro novi monasterii erectione sufficientes Darfeldiae Monasteriensis dioecesis obtinuit, et ampliavit ex pia praesertim liberalitate dilectorum filiorum cum liberi baronis de Droste Vischering, qui et praedium satis amplum in perpetuum donavit, tum etiam liberi baronis de Frustemberg, Monasteriensis vacantis ecclesiae tunc vicarii capitularis: auctoque ibi monachorum numero, ipse Eugenius totius regularis familiae superior ab ipsis monachis est electus. Rebus igitur ita comparatis, ut dicta Darfeldiana domus in legitimum, et abbatiale monasterium ejusdem ordinis, et reformationis Vallis Sanctae sub titulo beatae Mariae Virginis de Aeternitate erigi possit, dilecti filii prior, et monachi ibi degentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 4. Nos igitur ad majorem Dei gloriam, et spiritualem proximorum utilitatem ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus Nobis eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente venerabili fratre Joseph archiepiscopo Thebarum, et congregationis venerabilium fratrum Nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum secretario, qui relationem tuam, ac dicti vicarii capitularis desuper ad eamdem congregationem transmissam attendit, discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, constitoque tibi, quod incolarum Darfeldiae de elargiendas eleemosynas propensio, ac praedii donati redditus pro alendis saltem duodecim monachis sufficere possint, et caetera omnia ad praescriptum constitutionum apostolicarum requisita concurrant, ad petitam novi abbatialis monasterii beatae Mariae Virginis de Aeternitate dicti ordinis, et reformationis Vallis Sanctae erectionem, dummodo ipsius aedes cum ecclesia, aut publico oratorio, campana, choro, sacristia, claustris, dormitorio, refectorio, et aliis officinis, hortis, et spatiis fuerint absolutae, et supellectili cum sacra, tum prophana sufficienter instructae, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia procedas, atque hujusmodi novi monasterii abbati, et monachis, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et indultis spiritualibus, et temporalibus, quibus aliorum monasteriorum hujusmodi abbates, et monachi fruuntur, et gaudent, pari modo frui, et gaudere libere, et licite possint, indulgeas: nec non memoratam dicti Eugenii in superiorem, et abbatem electionem die VI. junii MDCCCVI. peractam eadem Nostra auctoritate confirmes, ac singulos cum juris, tum facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet irrepserint etiam in substantialibus suppleas, et sanes, eidemque Eugenio abbati electo facultatem tribuas benedictionem a quocumque catholico antistite gratiam, et communionem cum hac sancta Sede habente recipiendi. Circa vero controversias inter novi hujusmodi monasterii monachos, et dilectum filium Augustinum dicti monasterii Vallis Sanctae abbatem tam super exercitio, quoad praeteritum, praetensae jurisdictionis ejusdem Augustini in novum hoc monasterium, quam super praetenso jure eam in posterum exercendi, causam hujusmodi remanere volumus in statu, et terminis, donec, auditis sine ullo strepitu judiciali partibus, memorata cardinalium congregatio sententiam proferat, ac de subjiciendo Darfeldiense monasterio sub immediata hujus sanctae Sedis protectione decernatur, firmis interim remanentibus tam suspensione jurisdictionis ipsius Augustini abbatis in monasterium Darfeldiense, quam delegatione a Nobis facta vicarii capitularis Monasteriensis ad exercendam provisorie in novum hoc monasterium spiritualem jurisdictionem.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et s. Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et reformationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, indultis, et consuetudinibus etiam speciali mentione, et expressione dignis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum per praesentes non intendimus institutum ordinis, et congregationis, seu reformationis praedictorum approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima junii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DIL.

Dat. die 28 junii 1808 anno IX.

Confirmatio facultatis concessae clericis congregationis clericorum saecularium doctrinae Christianae consequendi ordinationem a quocumque episcopo.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Memoratur privilegium a praedecessoribus concessum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius Joannes Alberti procurator generalis congregationis clericorum saecularium doctrinae Christianae, quod fel. rec. Alexander pp. VII. praedecessor Noster per apostolicas suas in simili forma brevis die xxvi. septembris MDCLIX. expeditas literas ipsi indulsit congregationi, ut alumni ejus clerici, qui post nuncupata vota, et praestitutum juramentum perpetuo in eadem manendi, ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri intenderent, possent de praepositorum pro tempore generalis, vel provincialis licentia ordinari ad titulum ejusdem congregationis. Quodque deinceps rec. me. Benedictus pp. XIII. praedecessor itidem Noster per rescriptum suum die xxiv. novembris MDCCXXVIII. editum congregationi eidem benigne concessit, ut ejus clerici professi cum literis dimissorialibus praepositi provincialis, et testimonialibus superioris localis, qui eos spiritualia exercitia sacrae ordinationi praemittenda jam peregisse affirmaret, sacros praedictos ordines valerent suscipere a quocumque catholico antistite communionem, et gratiam s. Sedis habente, quando episcopus dioecesis, ubi in familia domus congregationis actu degerent dicti clerici, non haberet ordinationem; de quo tamen testimonium curiae ipsius episcopi ordinationem non habentis apud curiam illius, a quo ordinandi forent, exhibere deberent, et alias prout in memoratis literis, et praedicto rescripto, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis haberi volumus, fusius dicitur contineri. Ne autem ulla unquam causa, et ratione literarum, et rescripti hujusmodi memoria labi contingat, sed iis semper congregatio aeque facile, at-

que feliciter uti, fruique valeat, ideo exponens, quae per Nostros praedecessores congregationi indulta desuper sunt, nunc renovari per Nos, et confirmari vehementer desiderat: Nobis propterea, etiam nomine dilectorum filiorum moderni vicarii generalis, et definitorii congregationis suae praedictae humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio apostolica

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione venerabilis fratris archiepiscopi Thebarum congregationis episcoporum, et regularium negotiis praepositae secretarii, recensita indulta tam Alexandri VII, quam Benedicti XIII. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum favore congregationis praedictae iisdem modo, et forma, iisdemque sub clausulis, et conditionibus superius expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium renovamus, confirmamus, atque perpetuamus, roburque indultis hujusmodi inviolabilis firmitatis apostolicae adijcimus; ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus; declarantes tamen expresse, quod clericis memoratae congregationis professis, et ordinatis, seu ordinandis ad titulum congregationis ipsius, ut praemittitur, hujusmodi titulus suffragetur dumtaxat, donec illi in eadem congregatione fuerint permansuri.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes insuper easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac congregationi praedictae, aliisque ad quos spectat, spectabitque pro tempore plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sedis apostolicae nuntios, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit, ejusdem congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava junii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 11. julii 1808 anno IX.

DL.

Allocutio

Habita in consistorio secreto die 11. julii 1808.

Venerabiles fratres

Nova vulnera, venerabiles fratres, semperque graviora, quae apostolicae auctoritati, quae Ecclesiae juribus, quae sanctitati religionis, quae Nobis ipsis et inflicta sunt, et quotidie infliguntur, commemorare apud vos maestissimo animo, et condolere compellimur. Nam quae a postridie idus martii in posterum acciderunt, quo die collacrymantes ex hoc Nos postremum allocuti sumus, nullum reliquunt ambigendi locum, illos demum dies illuxisse miserrimos Nobis, luctuosos bonis, Romanae huic Sedi exitiosos! quos diuturnae imperatoris Galliarum minae pronunciaverant, atque impiissima sceleratorum vota tantopere praestolabantur. Multa ad eam diem passi eramus, venerabiles fratres, calamitates, quibus obruebamur protulimus, Nostrorumque consiliorum vos participes effecimus. Ast multo graviora, et acerbiora post illud tempus videre debuimus, quae palam perpetrata in oculos omnium incurrerunt; injeceruntque opinionem omnibus auctoritatem Nostram, et ipsius sacrosanctae Ecclesiae Dei plene contemni.

Quinque tunc dumtaxat e Neapolitano regno cardinales a Nostro sinu abstractos condolebamus, decem nunc alios e sacrosancto senatu numeramus, atque inter eos binos suburbicarios antistites, et Nostrum in hac urbe vicarium in spiritualibus generalem, pro-camerarium S. R. E. et lateri Nostro adhaerentem negotiorum omnium administrum, iussu imperatoris militari vi ab urbe ejectos, quin eorum dignitas, munera, ac peculiares cujusque rationes eos potuerint ab imposita lege liberare. Horruere profecto boni omnes conspicentes hoc pacto in viros agi gravitate morum, gradu, dignitate, genere conspicuos, qui plurimis ab hinc annis Romam secesserant, suam in sanctae Sedis servitium praeclaram operam navaturi. Ab hac urbe, quae per sacram b. Petri cathedram religionis Sedes, caput, et mater est, (1) Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales coguntur exulare. Illi e pontificio Nostro latere per vim a militibus circumsepti divelluntur, qui vel ab ipsis Ecclesiae primordiis uti seniores populi a Moyse adsciti, coadiutores collaterales, consiliarii, administri papae adsistere, ut eorum adjumento uteretur, exercendo a Christo sibi traditam potestatem, *pascendo, regendo, gubernando universalem Ecclesiam*, quos idcirco partes sui corporis pontifices praedecessores Nostri appellare consueverunt (2).

Quid ab illis peccatum est? quae causa esse potuit, cur in eos tam acerbe, et graviter ageretur? Nulla sane prolata est, neque proferri potuit. Nullum crimen, nulla illis culpa tributa est, ne ulla quidem criminis, aut culpae suspicionis audita est querela. Illud igitur restat, ut in hoc inaudito facinore non solum vos, venerabiles fratres, ordinis vestri contemptum, et contumeliam aegerrime feratis, se si quisquam alius convertat oculos, penitusque introspiciat, quis fuerit scopus, quae mens in separando sacro cardinalium collegio, et membris a capite disgregandis, probe intelliget, contra Romanam Ecclesiam intendi arcum ejus libertatem oppugnari, injici vincula pro electione Romani pontificis, ac demum Nobis ipsis bellum indici, atque Nostri apostolici officii exercitium miserrime impediri. Noverant quippe filii hujus saeculi, qui prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt praeclaram, quam apostolicae Sedi, quam Nobis cardinales praestant operam, noverant labores, curas, sollicitudines, quibus quidquid vel auctoritate valent, vel industria, vel viribus, id omne in hujus apostolicae Sedis praesidium in universalis Ecclesiae militantem, in religionis, ac fidei propagationem impendunt. Si a navi remiges, si ab exercitu primipili dimittantur, et

(1) *S. Leo serm. de ss. apost. Petr. et Paul. num.* 3.

(2) *Eugenius* IV. *constit. Non mediocri* §. 4. 5. *et* 6. *concil. Florent. in definit. fidei.*

gravissimis navim conflictari fluctibus necesse est, et innumeris exercitum obnoxium esse periculis. Nos, quibus licet immeritis, Petri navim Dominus gubernandam commisit, et Ecclesiae castra, quasi ordinatam aciem, tuenda, ac defendenda imperavit, in immensum demergimur malorum cumulum, luctuosissima hac fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ejectione, in quorum opera, labore, ac doctrina plurimum confidebamus. Quamvis enim nec navicula Petri, irruentibus undique procellis submergi, nec adversus Ecclesiae castra portae inferi praevalere unquam possint, illius tamen regimen, quod adjuvantibus S. R. E. cardinalibus, impigre tenebamus, impiorum nunc conatibus lacessitur, qui ubique conclamant: dirumpamus vincula eorum (1), ea videlicet vincula, quae nexu sanctae religionis interposito, patrem cum filiis, membra cum capite, primarium sacerdotum coetum cum supremo universalis Ecclesiae pontifice consociant.

Quae autem causa eos a Nobis divellendi praetexitur? Nempe eorumdem originaria subditorum conditio; quae causa, quis est, qui non videt, quot quantisque nominibus omni prorsus careat fundamento? Nam praeter eam, quam omnia jura cuique permittunt, libertatem vivendi ubicumque libuerit gentium, praeter novam illam subditi rationem, quam omnes leges (ne ulla quidem excepta ejus codicis, quo tantopere delectatur imperator, de quo codice tam justas, et graves conquerendi, et moerendi causas habemus) praeter eam igitur subditi rationem, quam omnes leges agnoscunt, probant, confitentur acquiri domicilio certi annorum temporis in aliena regione atque ditione, illud exploratum est, planeque certum, originariam subditi conditionem praevalere, nec sacris obligationibus posse, quibus cardinales erga Ecclesiam Dei sese onerant, atque obstringunt, nec sacramentis, quae dicunt, quum purpura donantur (quae sacramenta minime certe ignota sunt illis principibus, quorum ob officia, et commendationes nonnulli cardinales creantur), nec oneri consiliariorum summi pontificis in spiritualibus negotiis perpendendis, nec denique muneri, dignitatique electorum ipsius, quandocumque de successore eligendo conveniendum est. Haec usque adeo certa, et explorata sunt, ut maxime propter ista illud potissimum sacri vestri ordinis proprium, et peculiare sit, ut statim atque unius sanctae Sedis servitio juramenti religione interjecta mancipati, et in sacrum collegium cooptati sitis, quo Romae vitam agere debeatis, neque urbe discedere sine venia pontificis possitis, quemadmodum praedecessorum Nostrorum constitutionibus, ac praesertim Innocentii X. cautum est (2). Quae nisi immota, planeque firma essent, actum esset de vestri collegii libertate, quae tota a laica potestate penderet, ex quo innumera, eaque acerbissima incommoda in totius ecclesiastici regiminis perniciem, praesertim ad exitum illius omni ope tuendae ac conservandae libertatis Romani pontificis eligendi, consequerentur: illud scilicet monstruosum sane, et indignum consequeretur, ut non solum Romanus pontifex consiliariis, et adiutoribus suis in ecclesiastico, et civili regimine destitueretur, verum etiam qua latius pateret unius principis dominatio, tanto etiam magis ex ejus arbitrio penderet cardinalium in urbe mansio, quod quidem quantum esset spirituali Ecclesiae regimini noxium, unusquisque facile intelligit; immo etiam ipsamet Romani pontificis electio, quae ex pervetusto Ecclesiae more, et instituto, constitutionibus apostolicis, et sanctionibus generalium conciliorum confirmata, solis cardinalibus est reservata, in voluntate unius principis posita est; prohibere enim posset cardinalibus subditis suis, ne ad eligendum supremum Ecclesiae caput, et magistrum ad exteras regiones se conferrent, atque idcirco quum in hac vicissitudine temporum multa maior cardinalium pars ab imperatoris Galliarum, et regis Italiae Napoleonis dominatione originem trahat, ipse post obitum Nostrum electionis novi pontificis dominator, et

(1) *Psal.* 11. 3.
Bull. Rom. Tom. XIII. F. 91.

(2) *Innocent* X. *constit Cum justa sacrorum*..

arbiter; quod quisque videt quantum abhorreat a divinis, et ecclesiasticis ordinationibus.

Ac Nos quidem ne in tanta re desides fuisse videremur, de ea datis ad dilectum filium Nostrum cardinalem in Galliis legatum literis graviter conquesti sumus; jura quae perfringebantur, protulimus, et collegarum vestrorum reditum vehementer efflagitavimus, vobisque, et principum oratoribus ea scripta mitti curavimus. Praeterea ubi primum miserrima ea res innotuit, Nostrarum partium esse duximus in memoriam revocare ipsis dilectis filiis Nostris cardinalibus, quibus profectio imperabatur, se et jurejurando, quod dixerant, Nostro dumtaxat, ac sanctae Sedis servitio addictos esse, neque ab urbe proficisci posse juxta pontificias constitutiones, licet a principibus viris in patriam evocarentur, ac proinde eos prohibuimus mandato obtemperare, nisi militari vi compellerentur. Ast militaris haec vis non defuit, ea enim est hujus Nostrae urbis captivitas, ac servitus, ut quidquid sponte facere nolumus, vi, et armis miserrime extorqueatur. Ereptos igitur Nobis, et Ecclesiae praeclarissimos viros, ministros sanctissimos, vestros collegas optimos deflemus; qua in re cum nihil Nobis ad dolorem acerbius accidere potuerit, summa tamen, qua pollent, probitas, religio singularis, invicta animi magnitudo, aliqua tristitiam Nostram leniunt consolatione, eosque non ambigimus, in multis, quas propter justitiam patiuntur, tribulationibus, loculentiora in dies virtutum exempla praebituros fore, quibus ne dum glorificetur Deus in ipsis, Ecclesia laetificetur, ac sacerdotale honorificetur ministerium, sed et totius collegii vestri praeclara quae late percrebuit, opinio cumulatissime augeatur.

Sed haec qualiscumque fuerit in hac orninatissimorum virorum constantia, consolatio Nostra parum duravit; nam novis vulneribus impositis, et priora recruduerunt, et dolori dolor superaccessit; audistis venerabiles fratres, quid de Picentium provincia, atque Urbinatium, et Camertium ducatibus actum sit: audistis praeclarissimas urbes, Anconam, Maceratam, Firmum, Senogalliam, Camerinum, aliasque plures, quae florenti commercio, agrorum faecuditate, solutione vectigalium vis erant, et robur totius, quae reliqua Nobis erat, ecclesiasticae ditionis, solemni decreto diei 2. praeteriti aprilis ab imperatore Napoleone obsignato, et ad diem undecimam mensis maji solemniter Anconae promulgato, irrevocabili, ac perpetua reunione (ita horrendum spolium vocitant) Italico regno adjectos esse. Piget quidem edicti tenorem percensere, quo veritas, fides, pontificia dignitas, ac sanctiora publici, civilis, et sacri juris monimenta perfringuntur. Causa tanti facinoris praeteritur, tum quod Brittannis bellum inferre decretaverimus, ac foedus inire ad Italiae tuitionem cum Italico et Neapolitano regno, tum quod summopere duo illa regna intersit, ita sibi cohaerere, ut nulla intercedat adversaria potestas, tum quod Caroli Magni donatio in rei christianae commodum facta sit, non vero in hostium religionis utilitatem cadere debeat, tum demum quod discendendi facultas Parisiis a Nostro legato quaesita sit.

Quid de offensivo, ac defensivo foedere sentiamus, quod minae Nobis propositum est, atque obnixe die 3. aprilis (postridie nimirum, quam imperatoris decretum obsignatum erat) suis ad legatum Nostrum literis imperatoris administer de Champagny omnino contendebat ineundum, jam probe nostis, venerabiles fratres, a responso, quod oratori gerendis Gallorum negotiis, qui Romae tunc temporis erat, dedimus, cujus responsi participes vos fecimus. Itaque non est cur longiori oratione ea iterum proferamus quibus et a religione, et a conscientia ab eo feriendo foedere detinebamur. Illius amantissimi servatoris vices gerimus, qui princeps pacis nuncupatus est, qui pacem venit mittere in terram, qui pacem Nos vult habere inter nos. Loco positi sumus patris omnium Dei, omnesque patrio debemus affectu complecti uti filiolos dilectos, quos Christus redemit sanguine suo; Nostrarum est partium oves, quae perierant, errantes quaerere, iisque etiam lumen evangelii praebere, qui in tenebris sedent, et in umbra mortis. Quae quidem sanctissima Nostri muneris officia haud est, qui non videt, nullo plane modo cum eo

foedere consociari posse, ex quo in principes quoslibet (etiam catholicos) pro Galliarum imperatoris arbitrio, prout nimirum cum Gallico, aut Italico imperio offensionis causa obtruderetur, bellum parare cogeremur. Quae si a Nobis fierent, et vi, ac lege perpetui foederis fieri omnino deberent, quonam modo sperare possemus, quod propter Dei gloriam, et animarum salutem a Nobis non solum optandum, sed etiam omni ope curandum est, ut quae gentes sunt extra catholicae Ecclesiae sinum, ad eam veniant, et Romanum pontificem ut illius caput et pontificem venerentur, quem cum ipsorum hostibus foederatum, ad caedes et ferrum, ad vastitatem ipsis adferendam paratum esse viderent? Sed et alia ratione Nostra ex hoc ipso loco, venerabiles fratres, causas prosecuti sumus, quibus vetaremur bellum Brittannis inferre, vobisque declaravimus rationes consiliorum Nostrorum, cum participes effecerimus ejus responsi, quod nomine Nostro nunciari a cardinali de Bayane ministris imperatoris jussimus. Illud responsum, quod a Nobis in summum rerum omnium Nostrarum discrimen adductis vis ipsa, et necessitas postulavit, quale fuerit, meministis. Deinde propositis, explicatisque compluribus rationibus, ostendimus, hoc toto imperatoris consilio, quo Nos nullis injuriis lacessitos ad bellum in Brittannos gerendum compellere nitebatur, nihil aliud quaesitum esse, nisi ut probaremus, et amplecteremur illius principia, et sententias, quibus statuere volebat, illud quod non habet, jus supremi in ditiones Nostras imperii, et quicumque demum gerendi a Nobis adversus Britannos belli color per eum induceretur, hanc semper rei summam esse, bellum illis inferri a Nobis oportere, quia hostes ipsius sunt. Quae quidem consiliorum imperatoris summa postremo specie offensivi, et defensivi foederis quaesita est, a quo foedere hac ratione proposito, et iis principiis innixo, quae diximus, abstinere Nos debuisse minus perspicuum est.

At illud in decreto obtenditur, satis consultum non esse Italicis, et Neapolitanis exercitibus, si intercipiantur aliena inimici alicujus imperatoris dominationes. Multi imperabant olim in Italia reges, ac principes, saepe etiam inter se bella gerebant, sed nemo unus ausus est intermedios principes cogere, ut arma sumerent, et pro uno, aut pro altero dimicarent. Superioribus annis exarsit bellum inter Austriacum imperatorem, et Anglos ex una, et reges Hispaniae, et Naepolis ex altera: totum bellum in Italia gestum est: exercitus utriusque partis undique Romanam ditionem peragrabant, et modo Mediolanensem provinciam, modo Neapolitanum regnum aggrediebantur. Benedictus XIV. immortalis memoriae pontifex praedecessor Noster eamdem tenuit, quam Nos sequimur, agendi rationem, et nullius principis foederatus, aut hostis, utriusque sibi conciliavit benevolentiam, neque ab alterutro ad arma sumenda contra aemulum compulsus est. Sed in alia Nos incidimus tempora: creatur Nobis invidia, quod sectemur potius vexillum pacis, quam militari cingulo induamur, et acerbissimo animi Nostri dolore tamquam Galliae imperatoris, et Italiae regis hostes traducimur, sicut imperiali illo edicto innui videtur: sed ad tantam propulsandam calumniam in Nos maxima consolatio sustentat, quod nullum a Nobis amoris, nullum studii, nullum benevolentiae officium defuit, testes ipsius milites, testes legionum duces compellamus, quibus paratissimae ubique in ditione Nostra sanctiones patuere, atque uberrimi commeatus tributi sunt, licet inops fisci aerarium, et exhaustum, hisce tot, tantisque non esset oneribus ferendis, quae proinde dilectissimis subditis Nostris imponere compulsi sumus. Testem etiam appellamus ipsum Napoleonem, qui semper in iis, quae potuimus, faciles Nos, atque indulgentiores nactus est, qui in charitate, in patientia, et in longanimitate sustinuimus utriusque potestatis nostrae spiritualis, et temporalis jura ab illo fuisse violata; qui statim declaravit imperii insignibus decorari, et sacro chrismate per Nos inungi se maxime optare, haud excusatione provectae aetatis, aut parum firmae valetudinis, aut rigidissimi hyemalis temporis usi sumus, sed omnibus posthabitis ejus desiderio obsecundavimus. At quosnam fructus ex hac

profectione Nostra reportaveramus reportavimus, vel et melius reportaverimus, vos scitis, venerabiles fratres, et totus terrarum orbis intuetur. Quae quidem Nostra in ipsum merita haud a Nobis commemorata idcirco fuisse quis putet, ut Nobis gratiam referri velimus. Cum etenim eo Nos animo comparatos esse gloriemur in Domino, ut nec eorum, quae gessimus, Nos poeniteat, in quibus praesentem Deum ipsum, et Ecclesiae utilitatem prae oculis habuimus, nec injurias injuriis ulcisci velimus, id unum contendimus, ut acerbissimam, atque falsissimam, quae Nobis inuritur, hostis notam removeamus.

Quae vero in eodem edicto de Caroli Magni donatione dicuntur, refutatione non egent. Magnae certe omnibus admirationi est, illo edicto facta Caroli Magni commemorari, ac tanti imperatoris in Ecclesiam merita, et voluntatem ita obscurari, atque converti, ut quae illum gessisse constant pro suo eximio in religionem studio, pro sua singulari in apostolorum principem pietate, pro sua in apostolicam Sedem observantia, ea nunc in contraria omnia, et in ejusdem Sedis perniciem, atque ruinam traducantur.

Res loquimur, venerabiles fratres notissimas, omniumque historicorum consentione firmatas, nec non vetustissimis, et coaevis etiam monumentis testas. Quum siquidem octavo saeculo grassaretur ex Leonis Isaurici perfidia Iconomachorum haeresis, quum Longobardicis armis squallerent omnia, quin miserrimis Italiae rebus ullum ab imperatoribus praesidium expectari posset, mirum profecto est, quo studio, qua cura, qua sollicitudine Romani pontifices populorum incolumitati consulerent. Id tum Gregorius II. tum Gregorius III. tum Zacharias viri sanctissimi feliciter praestitere, ponentes se in murum aeneum pro populo suo. Monuerunt primum orientis imperatores, ut a saeva contra catholicos persecutione pro dilatanda Iconoclastorum haeresi desisterent. Rogarunt praeterea, ut Italiae populis sua sarta esset religio, ut exarchorum saevitia cohiberetur, ut temporalibus subsidiis, ac felici gubernatione a barbarorum ac praesertim Longobardorum regnum excursibus liberaretur. Istiusmodi aequissimae pontificum quaerimoniae ad orientis imperatores delatae nihil impetrarunt. Nam in catholicos durius saevitum est, et miserrimi Italiae populi culpabili indolentia Longobardorum tyrannidi derelicti. Hinc sedulam operam navarunt Romani pontifices pro Italiae tranquillitate ex quo factum est, ut potior esset Romae et apud Italiae populos pontificis auctoritas, quam orientalium imperatorum, qui sedem imperii, et provincias hostibus diripiendas dimiserant. Itaque primum Romani, tum plures Italiae civitates spontanea deditione Romanae Ecclesiae potestati se subiecerunt, cujus praeterea auctoritas mirum in modum amplificata est ex suavi, et leni summorum pontificum imperio, qui sui officii partes esse putabant, pacis foedera sancire, bella avertere, urbes tueri, amissas recuperare, hostes propulsare, atque ita nedum nomine, sed re ipsa principatus juribus fruebantur, et sapientis Dei providentia, qui suam sponsam suo sanguine redemit, suo spiritu dotavit, donis caelestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis (1). Ast graviora semper a principibus Longobardorum pontificiae dominationi maxime infestis Italiae impendebant mala, quibus avertendis Stephanus III. adiit Pipinum Caroli Magni patrem, ut Aistulphi insolentiam totam pene Italiam depopulantis compesceret, eumque ad reddendas eas urbes, ac provincias adstringeret (2), quas uti ad Romanum jam pontificem spectantes pontifex repetebat: verba sunt Thomassini (3) qui patrem illis se et patronum spiritualem, temporalemque exhibebat jamdiu, qui jamdiu regebat, et tuebatur, qui earum saluti thesauros suos toties impenderat, vitam impendere toties praesto fuerat, qui Longobardorum tyrannicae dominationi toties eas subduxerat, qui unus gubernacula tractaverat, ex quo imperatores his se Italicae curis penitus exuissent. Pipinus, qui

---

(1) *Bernardus episc.* 244.

(2) *Anast. biblioth. de vit. pont. sect.* 235. *n.* 43.

(3) *Thomassin*, 3. *part. de benef. tib.* 1. *cap.* 29. *n.* 8.

fidei, religioni, ac Romanae Ecclesiae juribus vindicandis se devoverat, id unum contendens, ut suam princeps apostolorum susciperet justitiam (1), Italiam ingressus ab Aistulpho occupatas provincias recuperavit, recuperatas restituit b. Petro, amplissimaque donatione auxit, confirmavit, et numquam ablaturum promisit. Atque ita effectum est, ut Ravennam cum exarchatu, Ariminum, Pisaurum, Senogalliam, Auximum, Anconam, Fanum, Aesium, Montem Feretri, Urbinum, Callium, Eugubium, aliasque continentes urbes, et loca, quorum nonnulla ea aetate sub (2) Pentapolis nomine comprehendebantur, libero, absoluto, atque indipendenti dominatu Ecclesia Romana assecuta est. Quumque orientis imperator illustri ad Pipinum legatione missa eas urbes, ac provincias uti ad Romanum imperium spectantes reposceret, ita respondit: Nulla penitus ratione easdem civitates a potestate beati Petri, et jure Ecclesiae Romanae, vel pontificiae apostolicae Sedis quoquo modo alienari pati (3) adfirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini saepius dedisset nisi pro amore b. Petri, et venia delictorum, adserens et hoc, quod nulla ei thesauri copia suadere valeret, quod semel b. Petro obtulit, auferre (4). Pipini patris pietatem Carolus filius imitatus est, ejusque donationem confirmavit, ac suis ipse manibus super corpus b. Petri eam ponens sub terribili sacramento promisit, se omnia conservaturum, quae a Longobardorum gente vindicarat; et eidem apostolo tribuerat, cujus et jure esse dignoscebantur, uti Hadrianus papa scribit in epist. ad Constantinum imperatorem, quae in septima oecumenica synodo recitata est (1). Multa quoque alia proferri possent monumenta quae liberalitatem Pipini regis, et Caroli Magni imperatoris utroque titulo restitutionis, et donationis appellarunt (2), et jure optimo: quaedam enim loca restituere, quaedam donare professi sunt. Sed longiori oratione opus non est in re apud auctores etiam etherodoxos comperta et comprobata: praeteriri tamen silentio nequit, tanta Carolum Magnum Romanam Ecclesiam pietate, et devotione prosecutum esse, ut in ea carta, seu testamento, quod pro divisione regni sui inter suos filios in villa Theodonis condidit, nihil de imperio, aut de regionibus b. Petro donatis statuerit, eo quod et imperatorem eligi juris erat solius Romani pontificis, et regiones b. Petro oblatas eidem auferre immane scelus putaverit. Quapropter in eodem instrumento sic filios est alloquutus » « Super omnia autem jubemus, ut ipsi « tres fratres curam, et defensionem « s. Petri simul suscipiant, sicut quon- « dam ab avo nostro Carolo, et beatae « memoriae genitore Pipino rege, et a « nobis postea suscepta est, ut eum « cum omni adjutorio ab hostibus de- « fendere nitantur, et justitiam suam « quantum ad ipsos pertinet, habere « faciant (3). Suo et Lodovicus Pius diplomate donationem hujusmodi ratam habuit, nullamque in iis locis sibi, ac successoribus partem, aut potestatem disponendi, aut judicandi, subtrahendique, aut minorandi reservavit. Curam dumtaxat, et defensionem s. Petri, iis plane verbis, quibus suo testamento Carolus Magnus usus fuerat, suis filiis et ipse commendavit.

Inficiari nemo potest, quin pro tantis a Carolingiae stirpis principibus Ecclesiae Romanae collatis beneficiis, maximae iis habendae sint gratiae, eorum enim ope et restituta, et aucta, et perenni donatione Romanorum pontificum temporalis est confirmata potestas, et principatus

(1) *Ita Hincamarus Rhemensis opusc.* 91. *ad Hadrianum papam.*

(2) *Nomina Pentapoleos sunt Italicae urbes Ariminum, Pisaurum, Fanum, Auximum et Ancona.*

(3) *Anast. de vit. pont. sect.* 231. *Pagius ad an.* 755. *n.* 2.

(4) *Tomass.* 3. *part. de benef. lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 6. *et* 7. *p. Daniel. Hist. Gall.*

(1) *Anast, biblioth. loc. cit.*

(2) *Vid. Cennius praefat ad Hocton n.* 21. *et seq.*

(3) *Baron. ad ann.* 806. *n.* xxiv.

jura, quae obtinent. Sed nec unquam hi nullo defuere officio erga illos, imo etiam maximis favoribus cumularunt. Pipinus primus Francorum rex appellatus fuit a Zaccharia pontifice, et titulo christianissimi (1) decoratus, ejus filius Carolus Magnus primus imperatorum occidentis a Leone III. solemni ritu inauguratus est, et ejus exemplo Ludovicus Pius a Stephano IV. Lotharius a Paschali I. Ludovicus II. a Leone IV. et alii multi, itaut non diffiterentur Francorum reges eos dumtaxat appellari, et dici posse imperatores, quos Romanus pontifex oleo sancto linisset. Ita scripsit Ludovicus II. Basilio Macedoni orientis imperatori (2).

Sed illud, quod maximi ponderis est, ad tuendum Romanae Ecclesiae in suis ditionibus principatum a longaeva decem et ultra saeculorum pacifica possessione repetere praesertim oportet, quam neque unus ex regibus, aliisque potentatibus saeculi proferre potest. Imo si quis cujuscumque familiam tam longevae possessionis jure munitam a privato fundo exturbare auderet, neque a judice audiretur, et nonnisi per vim et calumniam id fieri posse unusquisque censeret. Quanto magis Ecclesiae, et praesertim Romanae cui tanta privilegia concessa sunt, et contra quam nec longissimi temporis valet praesumptio, sua temporalis possessio salva, et integra servanda est, qua nullum sanctius manere, nulla potior causa, ac detentio haberi potest, sicuti etiam apud ipsos parum Nobis faventes scriptores mirifice in confesso est (3).

Haec tamen, quae, sanctissima apud omnes gentes, et populos longissimae possessionis haberetur ratio, novissime despecta est, et quod uberem lacrymarum fontem elicit, *filii matris meae pugnaverunt contra me. Si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem utique* (3). Sed haec perpeti debere a potentissimo principe, qui se Caroli Magni esse successorem putat, et quem multis, justisque de causis ab ipso Nobis oblatis sperabamus in tuenda Ecclesia Dei, si non superiorem, ut certe parem Carolo Magno futurum, tantam habet profecto doloris magnitudinem, et acerbitatem, quandam nemo non intelligere poterit, qui quidem videat nunc Caroli Magni religiosissimi principis praeclara pietatis documenta radicitus everti, beneficia retractari, donationem, et a donatione profecta jura sanctissima, et antiquissima perfringi, et conculcari, bellum intentari, atque adeo indici, Ecclesiam denique Romanam, quam ille tam vehementer amaverat, coluerat, defenderat, auxerat, luctuosissimis vexationibus quotidie affligi, totamque compilari! Quae si omnibus acerbissima essent, illisque etiam, qui justo bello superati hostes aliquando fuissent, et in victoris venissent potestatem, quid de Ecclesia matre, ac Nobis ipsis existimandum est, qui parentis loco a Deo constituti, non hostis odium, sed amantissimi patris benevolentiam, charitatem, indulgentiam Gallorum imperatori, atque Italiae regi omni semper tempore verbis, factisque patefecimus?

Sed quasi parum fuisset tot provinciarum Nostrarum ereptione, aliisque factis lacessisse additum etiam maledictum, et contumelia: in eodem edicto diei 2. aprilis, de quo agimus, insimulare Nos videtur, quod donatione Caroli Magni abutamur; quae cum in sanctae Nostrae catholicae religionis utilitatem facta fuerit, per Nos in ipsius hostium compendium convertatur. *Loquimini justitiam qui judicatis terram.* Eumdem Napoleonem compellamus, et ut supra affligimus; ipse fateatur, utrumne tota fere Nostra temporalis ditio suis militibus obruatur, utrumne apertum aerarium Nostrum parandis sumptibus, et commeatu, utrumne ulli

(1) *Gregorius* III. *Carolum Martellum Christianissimum appellavit Baron. ad an.* 740. §. 20. *et Labbeus Jo.* 6. *Coral. pag.* 1472 (1) (1) *Gregorius* III. *electus* xv. *kal. april. an.* 713. *papa post. s. Petrum* 92. *Zaccharias kal. decem: ann.* 741. *inauguratus papa post s. Petrum* 93.

(2) *Refertur epis. a Baronio ad an.* 871. §. 59.

(3) *Muratori.*

(3) *Cant. Cantic.* 1. *psal.* liv. 13.

parcitum sit expensae cum tanta subditorum Nostrorum vexatione, ut nihil fere deesset suis copiis non tantum ad sustentationem, sed etiam ad delectationem. Hostibus haec sunt impensa beneficia ? Ita potius dicendum videretur, quoniam pro beneficiis injurias, probra, et contumelias recepimus, ac bellum demum indictum est, et quasi ab hostibus urbs haec Nostra est in captivitatem redacta, provinciae ereptae, et tota Nostra temporalis potestas sub jugo posita, et lacerata. Sed illatarum Nobis injuriarum ex intimo cordis sensu obliviscimur libentissime, non conquerimur pro amaritudine animae nostrae, qua operti, oppressique sumus: nostris haec debentur culpis, quarum Deus judex est vehementer dolemus, et gravius angimur contumelias istiusmodi ipsam b. Petri Sedem afficere. Non enim Nobis a Gallorum imperatore sunt ereptae provinciae, et urbes Picentium, Urbinatium, et Camertium, sed Ecclesiae Romanae, cujus sunt patrimonium, et dos ex ipsius etiam Caroli Magni confessione, atque sententia. Nos earumdem sumus administratores, et depositarii: si aliqua adfuisset culpa, in Nos, et non in Ecclesiam refundenda esset: at contra innocens Romana Ecclesia mulctatur, atque in perpetuum absque ulla spe restitutionis suo patrimonio spoliatur, quod ut palam omnibus innotescat, et quibuscumque Romanis pontificibus successoribus Nostris omnis spes recuperandi ablatas provincias adimatur, expressis verbis irrevocabiliter, et in perpetuum regno Italico eae provinciae adjiciuntur. Quod igitur de providentia, et piorum principum liberalitate factum fuerat, quod decem saeculorum et amplius spatio erat confirmatum, quod consentione omnium principum, ut sacrum et inviolatum habebatur, ut nimirum Romana Ecclesia temporalis etiam dominationis praerogativa fulgeret, nunc unius voluntate disjectum, disruptum, ac dissolutum est cum maximo Christianae reipublicae detrimento. Etenim nemo ignorat, quot, et quam ingentia in universam Ecclesiam dimanaverint bona ex conjuncta temporali cum spirituali Romani pontificis potestate id quod alias Nostra oratione complexi sumus, et supervacaneum existimamus illa repetere, quae adversarii Nostri quoque vi veritatis impellente fateri coacti sunt. Haec si quispiam aequa lance pensabit, videbit profecto importatae calumniae acerbitatem quod Nos pia Caroli Magni liberalitate in perniciem sanctae religionis abutamur. Quod quidem injuriosum, et calumniosum commentum hoc acerbius est, quo magis sine causa excogitatum, et objectum est ab eo, qui magnam partem provinciarum ditionis Nostrae sibi usurpat, non certe cum aliquo religionis emolumento, aut incremento. Saepe enim dolere debuimus ab eo in quibusque sui dominatus regionibus haereticos cum catholicis tolerari, eaque tolerantia, quae utrosque et cultu, quem sequi malint, libere uti permittat, et paribus complectatur privilegiis: quod nunc quoque in provincias induci Nobis ereptas dolendum erit. Augebuntque dolorem Nostrum et organicae leges Parisiis conditae, et concordatum Nobiscum initum, sed jam pridem eversum, et aliae quoque pactiones pro reipublicae tunc Cisalpinae provinciis tantum ad alias quascumque Italiae provincias bello deinde acquisitas contra jus fasque omne ampliatae, et prorogatae, quae omnia nunc cum magna religionis pernicie in provincias etiam Ecclesiae Romanae direptas inferri videre debuimus. Ad haec et regulares ordines in iis etiam extingui, et eorum bona fisco applicari, et religiosos utriusque sexus dispergi, cogique emendicata pensione miserabilem vitam ducere, tum episcoporum auctoritatem civili potestati subjici, immunitates Ecclesiae tolli, planeque deleri, postremo codicem promulgari, urgerique, in quo ut multa, sed leges praesertim, quae de impedimentis matrimonii, divortiisque disponunt, divinis et ecclesiasticis institutis contrarias complorare cogimur. Has leges fere toti Italiae impositas et hanc late vagantem perniciem, ut ab ea et ab Ecclesia Dei amoveremus, nihil non egimus, quam nunc ne a Nostris quidem provinciis arcere poterimus quibus a Nobis ereptis imperator uti se melius ait in religionis Nostrae decus, et commodum, dum in eas haec tam lamentabilia, et religioni exitiosa inducit.

Tantis Ecclesiae calamitatibus, quantum per Nos licuit, remedium afferre non praetermisimus, preces, supplicationes, aequas etiam, ac honestas conditiones imperatori obtulimus, ut ab incoeptis abstineret, patientia, longanimitate, charitate eum flecti posse sperabamus, itineris Nostri in Galliam fructum, et multarum rerum emendationem, Nobis ab ipso imperatore promissam expectabamus, sustinuimus adhuc, et per patientiam, et consolationem scripturarum bonum esse existimavimus *praestolari cum silentio salutare Dei* (1). Verumtamen recogitantes quoque sapientis consilium *tempus tacendi*, *tempus loquendi* (2), satis silentio indultum esse Nobis visum est, et clades jurium Ecclesiae, quae non animis tantum, sed prope omnium oculis adversantur, ne dum conscientiae stimulus pro exequendo Nostri pastoralis officii debito Nos admovent, ut vobiscum de tantis injuriis iterum hac Nostra oratione conquereremur. Prioribus pejora accesserunt, plagae plagis impositae, Roma apostolorum principis Sedes, religionis centrum, orbis magistra, in servitutem posita, Nosque ipsi Petri successores captivi, patrimonium Ecclesiae direptum, quae quidem utpote temporalia detrimenta tollerabiliora viderentur iis ausibus, quibus spiritualem Nostram auctoritatem, et Ecclesiae et religionis jura imperator aggressus est. At cum nuperrima ista satis declarent, velle illum et spiritualem et temporalem Ecclesiae potestatem delere, utrique consulimus damnando eos ausus, quos ad perniciem utriusque patravit. Quid enim? urbe capta, Nostro pascendi, atque docendi Dominicum gregem muneri impedimenta obiecta sunt. Typographis sub capitali poena imperatum est, ne quidquam in vulgus ederetur, nisi venia impetrata a militari duce: multi sacerdotes vi ex urbe expulsi: literarum commercium violatum: pontificiae Nostrae domus despecta sanctitas: nobilissima excubiarum Nostrarum cohors dissoluta; et quia Nobis obligatam fidem frangere noluerunt, nulla alia sane culpa conquisiti, capti, et in arcem detrusi, urbis portae, carceres, viae, fora, stationes, deductis Nostris militibus contra fidem sacramenti ad imperatoris stipendia Gallis redundant, et Nos spreta omni apostolicae dignitatis majestate, absque duce, absque ullo militari praesidio derelicti, nec Nostrae, nec subditorum Nostrorum saluti, et incolumitati consulere possemus; ne quid deesset contumeliae in tanto dignitatis Nostrae contemptu, et nequissimi homines majori intumescerent audacia, die 17. martii proxime praeteriti publicatum fuit, ac typis editum in hac urbe, ac imperatoris nomine programma, in quo milites Nostri perduellionis rei plurimum laudati sunt, quoniam sicut dedecet milites mulierum imperio subjacere, eodem modo ridiculum esset subjacere sacerdotibus. Quid plura? Optimus et integerrimae probitatis vir, et hujus Sanctae Ecclesiae praelatus Franciscus Cavalchinus hujus urbis gubernator, brevi horarum spatio interjecto, expulsus ab urbe est, in arctam custodiam detrudendus.

Haec labente eodem mense martio in urbe patrata sunt. Edito autem, ac promulgato saepe memorato edicto die 2. aprilis, alia innumera id genus facinora ad augendum dolorem Nostrum in usurpatis provinciis commissa sunt, quae omnia persequi nimis longum foret: sat proinde sit referre, quod in primis imperatum est, ut leges omnes, quae in praefato codice Napoleonis continentur, vim habeant, prout in quibuscumque aliis Gallici imperii, et Italici regni provinciis cautum est. *conculcantur*, ut s. Bernardi verbis utamur (1) *conculcantur ubique sancta, et Ecclesiae turpiter ancillatur.* Iterum praeterea gravissimum illatum Nobis vulnus recruduit, de quo supra meminimus, cum cardinales ab urbe avulsos deflevimus, alii quatuor ex ordine vestro compelluntur ab urbe discedere, quibus quamvis natis in iis provinciis, quae nuper Nobis ereptae sunt, optio datur vel redeundi intra Italicum regnum (quasi Nostrae illae provinciae pars un-

(1) *Jerem. lament.* 3. *n.* 6.
(2) *Eccl.* III. 7.

(1) *Epis.* 224.

quam fuissent ipsius regni, aut jure aliquo sub regis Italiae imperio transire potuissent) vel amittendi bona, quae possident, fisco addicenda. Haec autem jussio non pro solis cardinalibus data est, sed ad quoscumque alios Romae degentes indicta, qui servitio Nostro alicujus muneris perfunctione mancipati sunt. Quid tam contrarium legibus, juribusque cujuscumque expolitae nationis, quid tam injuriosum Nobis, et Romanae Ecclesiae fingi poterat, quam si non vi, et armis, sed poena publicationis bonorum avertere ab illius servitio viros optimos, qui longa experientia, probata fide suam operam in spirituali orbis universi procuratione praebebant, vel siqui alii Nobis, aut huic urbi suos labores, ac curas impendebant, quasi alicujus criminis reos, aut compellere ab urbe discedere, vel gravi poena mulctare? Neque talia mandantes *excusent excusationes suas in peccatis*, dictantque, non haec juberi ministris Ecclesiae, sed solum iis, qui in Romani pontificis, tamquam temporalis principis obsequio sunt mancipati. Quae est ista defensio? *Defecerunt scrutantes scrutationes consilia mala.* Nimirum studiose effectarunt in illo edicto uti verbis, quibus temporalem Romani pontificis dominatum a sua spirituali potestate distinguant, ut hoc modo allatas utrique injurias ad solum principem, non ad pontificem referri debere contendant. Oh infelix astutia! Numne dicet unquam principem quemquam pacificum, moderatum, et justum, bonis spoliare, ministros timore poenae ab officio deserendo tentare, injuriis, maledictis lacessere? Quod si idem princeps sublimi alia dignitate refulgeat, ac praesertim pontificali, nonne duplicis criminis fit reus, qui et principem et pontificem tam graviter offendit? Neque enim laedi princeps potest, quin laedatur pontifex, cum una sit Romani tum pontificis, tum principis persona, eo plane modo, quo nemo injuriam facere regi Italiae posset, quin eamdem Gallorum imperatori faceret, quum unus vir nunc sit et rex et imperator. Videte, venerabiles fratres, quam verum sit, quod supra memoravimus, intendi arcum, non minus in temporalia Ecclesiae Romanae bona, sed, ipsam in Ecclesiam, in sanctam religionem ipsam, sed celari venenata tela, *ut sagittent in obscuro rectos corde*, et inimicorum consilia adjuvent, qui percusso in utroque temporali, et spirituali suo munere supremo Ecclesiae pastore, gregem universum dispergi posse sibi suadent. Miseri! non reminiscentes adesse pastorum principem Jesum Christum Dominum Nostrum, qui suo nutu restaurat universa.

Multa alia essent commemoranda, venerabiles fratres, in tanta horum temporum calamitate, quae quia longiora viderentur, si dicerentur ex hoc loco, satius est illa praeterire, et plus lacrymis prosequi, quam fusiori sermone. Nullo tamen modo praetermittendum est, non videri Nobis, istis, quibus affligimur, tribulationibus finem aliquem cito adfuturum. Convertimus oculos ad Galliae imperium, et leges organicas, quas improbavimus, nec improbare umquam cessabimus, supra leges Ecclesiae dominari conspicimus. Deplorare etiam quotidie debemus episcoporum auctoritatem eo plus imminui, quanto magis administro laico cujuscumque cultus praefecto subjicitur. Universitatem nuper Parisiis erectam a qua caeterae in Galliarum imperio regulam sumere debent pro instruendis adolescentibus, quamvis in seminariis enutritis, et ecclesiasticae militiae adscribendis, neglecta episcoporum vigilantia, et inspectione omnem sibi pro delectu studiorum, in sacris etiam disciplinis vindicasse auctoritatem: caetera omnia in perniciem jurium Ecclesiae jamdiu sancita, non modo non revocari, sed validius in dies confirmari: in Hetruria cernimus transferri, et executioni mandari leges, quae pro Italico regno constitutae sunt: in provinciis Picentium, Urbinatium, et Camertium vos ipsi pernoscitis, venerabiles fratres, quid statutum sit, quid timendum.

Quid plura? In hac ipsa urbe Nostra, captivis Nobis audientibus, et vi, ne tanto malo mederi possimus, oppressis, celebrantur omni pudore deposito, conventicula, et aggregationes hominum tenebrosissimorum, qui *liberi muratores* nominari volunt, quas societates, et aggregationes duo summi pontifices praedecessores Nostri fel. record. Cle-

mens XII. et Benedictus XIV. binis editis constitutionibus gravissime, ac severissime prohibuerunt (1). Eas Nos constitutiones etsi nullius egeant confirmationis tamen in omnibus confirmamus, et approbamus, earumque robur et obligandi vim, ipsasque in illis constitutas, et sancitas poenas ex hoc loco, quantum maxime possumus, in memoriam omnium revocamus.

Aliud etiam facinus, venerabiles fratres, commemorandum, et complorandum est, omninoque illud, cujus memoriam nulla unquam delebit oblivio, quod quicumque audierit, tinnient ambae aures ejus (2) quod nemo credet cum narrabitur (3). Quinto decimo kalendas julii, tribus circiter a meridie horis, in has ipsas Quirinalis aedes, quas incolimus, in ipsa penetralia dilecti filii Nostri Julii cardinalis Gabrielli, qui ministri Nostri munere ad omnia publica tam civilia Nostra, quam spiritualia totius orbis negotia fungebatur, venire iussi sunt taxiarchi milites duo, qui cardinalem convenientes sigilla ipsius scrinio apposuerunt, posito ibi gregali milite, qui sigilla tueretur, et cardinalem bidui spatio Roma discedere, et Senogalliam ad episcopatum suum proficisci jusserunt.

In hoc uno facinore, ven. fratres, tam multa insunt, ut omnia enumerare difficile sit. Opprimitur, et urbe ejicitur ab illis, qui nullum hujusmodi jus habent, vir Romae summo loco natus, et innocentissimus, idemque episcopus, et cardinalis, et primarius administer Noster et opprimitur in ipsa aede Nostra, et prope Nos ipsos: in eum autem saevitur hoc modo nullam aliam ob causam, nisi quia Nobis parere debuerit, qui ei praeceperimus, ut quaedam mandata Nostra ad dirigendas conscientias hominum illis, quorum intereerat, nota faceret. Violantur omnia jura, et illa ipsa, quorum sanctitas aeque apud omnes gentes; feras etiam, et barbaras, omni semper tempore agnita et custodita est. Sanctum est apud omnes exterorum ministrorum domicilium, sancta eorumdem scrinia. Hoc saeculo tantum, atque his moribus violari sine pudore videre debemus non privatum alicujus ministri exteri domicilium, non ejusdem scrinia, sed publicum pacifici principis palatium, et summi Catholicae Ecclesiae pontificis aedem, in qua primus ipse et principis, et pontificis administer, quem omnia jura et mores tuerentur, si in alio quocumque terrarum loco esset, tutus esse ac sibi habere scripta muneris sui non potest! Eum milites conveniunt, ipsius scripta perquirunt, expellitur, ejicitur, exulare per vim jubetur!

Quantam habeant haec facta, venerabiles fratres, in Nos ipsos injuriae, violentiae, et contumeliae molem probe videtis. Et tamen dum haec contra Nos, nostrorumque primatum fiunt, fucus apud incautos, et consilii inopes praeclaris verbis ostenditur, quibus amplissimae significationes honoris, et reverentiae erga primatum, et spiritualem potestatem Nostram exagerantur. Quas non sinceras esse vel ipsis caecis haec tam luculenta, et in oculis omnium gentium tot, et tanta, et toties repetita facinora contra omnia divina humanaque jura demonstrant. Contra haec facinora, contra hos ausus, quorum nihil simile invenire est, ex quo gentes esse coeperunt, coram Deo protestati sumus, et nunc coram omnibus hominibus protestamur. Gaudio quidem afficimur, quum videmus dilectos filios Nostros insigni fide, patientia, constantia tollerare calamitates, in quas violentae aliorum manus ipsos sine ulla justa causa conjiciunt, et parem ab omnibus virtutem atque constantiam Nobis pollicemur, quibus sors similis parata sit. Non enim, ut apparet, violentus hic calamitatum, et miseriarum torrens tam cito defervescet, nec malorum finis nunc futurus esse videtur. Verum non concidamus animo, venerabiles fratres, caelis etiam, et terra transeuntibus, divina promissionis verba non transibunt. Christus supra petram aedificavit Ecclesiam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

(1) *Clemens.* XII. *In eminenti edita anno* 1738. *Benedictus* III. *Providus Romanorum* 1751.

(2) 1. *Reg.* III. 2.

(3) *Hab.* I. 3.

Nos interim, qui ex commissi Nobis pastoralis muneris debito religionis vindices, et Ecclesiae adsertores positi sumus in terris, ne in tanta bonorum omnium afflictione, in jurium sacrorum contemptu, in immani temporalis Nostrae ditionis direptione, uno verbo, in summa totius Ecclesiae tantis jam agitatae procellis perturbatione ex turpi desidia siluisse videamur, ac desertae causae Dei ex diuturno silentio rei efficiamur, praeter literas ad curatorem negotiis Italici regni administrandis datas, earumdemque exemplaria oratoribus principum tradita, quod unum, sublata Nobis typographiae libertate, ad Nostra consilia proferenda habemus commodum, atque perfugium, vos etiam alloqui voluimus, ut amplissimum voluntatis Nostrae testimonium exhibeatis.

Nostro itaque cum primis successorum Nostrorum, et Sanctae Romanae Ecclesiae nomine, solemniori quo possumus modo, vim conquerimur, quam patimur, et quam in futurum passuros fortasse Nos ipsi veremur. Sarta tecta, atque integra jura esse conclamamus Ecclesiae, atque illaesa successoribus Nos relinquere protestamur: quin ex injustissima eorum oppugnatione, et pro iis, quae huc usque gesta sunt, et pro caeteris, quae forsitan gerentur in posterum, nulla ratio, jus ullum iis gignantur, per quos haec mala venerunt super Nos: Nullam vero, ne remotissimam quidem, causam, occasionem Nos praebuisse asserimus (testis est Nobis Deus, testes angeli, et homines) cur tot, tamque acerba Ecclesiae vulnera infligerentur, imo nihil omnino a Nobis praetermissum, ut tantam a sancta Sede perniciem depelleremus, paratis vel animam ponere pro populo Nostro, quem in osculo sancto amplectimur. Omnia probe calletis, ven: fratres, quorum studio, opera, consiliis tantum Nobis in summo rerum discrimine praesidium, ac solatium collatum est. Ii vero, qui ad res Ecclesiae ejusque jura convellenda, et ad ecclesiasticas personas divexandas mandata, manum, opera, consilia, favoremque praebuere, aut alia quavis ratione in tanta malorum colluvie partem habuere, consultant conscentiae suae, et illius iram revereantur, qui testatus est, in eos se insurrecturum, qui polluerunt templum sanctum suum.

Ipsum autem Napoleonem imperatorem obsecramus in Domino, ut auferat demum malum de domo Israel, sua Ecclesiae jura, debitumque splendorem restituat, neque iis se abduci patiatur malorum hominum consiliis, qui amplificandae regalis majestatis specie aeternam illis perniciem, atque gravissima religioni detrimenta parare conantur. Laeta Nobis proinde, laeta Ecclesiae, laeta bonis omnibus, sibique ipsi decora, et salutaria consilia complectatur. Deum vero omnipotentem, qui rex regum est, et Dominus dominantium, Deum Sabaoth, qui aufert spiritum principum, Nostrae, seu potius suae causae vindicem invocamus, ut assertorem respiciat, quaesumus, de caelo, perficiat, et custodiat vineam, quam plantavit. Adsit praesenti auxilio Nobis, adsit Ecclesiae, adsit causae suae. Id assidua prece venerabiles fratres, quod unum habemus refugium, id in jejunio, et lacrymis a patre totius consolationis efflagitemus. Levemus oculos Nostros in montem excelsum, unde veniet auxilium Nobis, atque a pastorum principe imploremus, ut imperet ventis, et fiat tranquillitas magna in mari. *Dominus in circuitu est populi sui ex hoc nunc, et usque in saeculum* (1).

Pius PP. VII.

(1) *Psal.* CXXXV. 2.

Dat. die 29. julii 1808 anno IX.

DLI.

Concessio nonnullarum indulgentiarum pro congregationibus, et confraternitatibus utriusque sexus vel aggregatis, seu in posterum aggregandis cuicumque ecclesiae hospitali, et oratorio sancti Joannis Dei, in quibus habetur devotio nuncupata Bonae Mortis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Pias Christifidelium confraternitates ad pietatis, et charitatis opera exercenda provide institutas spiritualibus favoribus, et gratiis, libenter prosequimur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus. Cum itaque, sicut accepimus, in nonnullis ecclesiis, seu cappellis, aut oratoriis hospitalium fratrum ordinis sancti Joannis Dei pia ac devota utriusque sexus Christifidelium confraternitas, seu congregatio de Bona Morte nuncupata, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice, ut asseritur, erecta, seu erigenda sit, cujus confratres, et consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt, seu intendunt.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ut confraternitates, seu congregationes in ecclesiis, vel capitulis, aut oratoriis hujusmodi ubicumque existentibus tam ad praesens canonice, ut praefertur, erectae, ac in posterum etiam canonice erigendae majora in dies suscipiant incrementa, supplicationibus quoque dilecti filii moderni superioris generalis ejusdem ordinis sancti Joannis Dei Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex dictis confraternitatibus, seu congregationibus in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dictis confraternitatibus, seu congregationibus confratribus, et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo si vere pariter poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam.

Designatio dierum in quibus indulgentiam consequi possunt.

§. 3. Nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictarum confraternitatum, seu congregationum confratribus, et consororibus etiam vere poenitentibus, et confessis, qui semel quolibet mense in una ex feriis sextis, seu in una ex dominicis per eos ad sui libitum eligenda prout expositio sanctissimi Eucharistiae sacramenti in singulis anni feriis sextis, vel Dominicis fiet, nec non in nativitatis, resurrectionis, et ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, sanctissimae Trinitatis, ac solemnitatis sanctissimi Corporis Christi, et in purificationis, annunciationis, assumptionis, nativitatis, et conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae, nec non nativitatis sancti Joannis Baptistae, et sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, ac Judae, et Mathiae, nec non sancti Josephi, et celebritatis omnium sanctorum festis diebus supradictas respective ecclesias, vel capellas, aut oratoria devote visitaverint, ibique sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, haereticorum, et infidelium conversione, Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, ac Nostra, et Romani pontificis pro tempore existentis prosperitate pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quoties vero expositioni ejusdem sanctissimi Eucharistiae sacramenti in reliquis feriis sextis, seu dominicis ut supra faciendae interfuerint, ac praemissa peregerint, aut corpus suum flagellaverint, toties septem annos, et totidem quadragenas. Praeterea si corpora defunctorum tam confratrum, et consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint,

Peculiares concessiones pro fratribus, et sororibus aegrotantibus, vel alio impedimento detentes.

§. 4. Infirmi autem, vel alio legitimo impedimento detenti, audito campanae signo, genuflexi si potuerint, orationem Dominicam, et salutationem angelicam pro animae defunctorum requie, vel corporis infirmi salute recitaverint, quique congregationibus tam publicis, quam privatis, ac divinis officiis, spiritualibusque colloquiis, exhortationibus, et aliis piis operibus, ac diebus feriatis missae sacrificio interfuerint, aut vespere antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint, seu pauperes infirmos tam confratres, et consorores, quam alios in privatis domibus, vel publicis hospitalibus, nec non in carceribus detentos visitaverint, quoties id egerint, annum unum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Insuper confratribus, et consororibus praedictis etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui singulis quadragesimae, et aliis anni diebus in missali Romano descriptis propriam ecclesiam, vel cappellam, aut oratorium ut supra visitaverint, et ibi septies orationem Dominicam, et salutationem angelicam recitaverint, quoties id egerint, ut eas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si iisdem diebus ecclesias almae urbis Nostrae pro consequendis indulgentiis stationum designatas personaliter, et devote visitarent apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Idem pro absentibus.

§. 5. Denique ne confratres, et consorores praefati, si aliquando eos distare, ac alibi morari contingat, spiritualium gratiarum donis hujusmodi priventur, ut parochialem, seu majorem ecclesiam loci, in quo ipsi pro tempore moram trahunt, visitando, aliaque praemissa adimplendo, ut eas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequi possint, et valeant, auctoritate, et tenore paribus, tribuimus, et elargimur. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus, et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata sit, prout per praesentes apostolica auctoritate revocamus, utque si dictae confraternitates, seu congregationes alicui archiconfraternitati aggregatae jam sint, vel in posterum aggregentur, aut quavis alia ratione uniantur, vel etiam quomodolibet instituantur, priores, et quaevis aliae literae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Ac ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesimanona julii millesimo octigentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLII.

Dat. die 29. julii 1808. anno IX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo beatae Catharinae a Raconixio visitaverint ecclesias ordinis Praedicatorum.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis Salutem et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti filii Pii Josephi Gaddi magistri generalis ordinis Praedicatorum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum, quam monialium ordinis hujusmodi, nec non aliis ecclesiis, quibus extensum est privilegium celebrandi festum, et officium beatae Catharinae a Raconixio ubicumque existentibus, die, in qua ab unaquaque ex praefatis ecclesiis festum ejusdem b. Catharinae a Raconixio pro prima vice celebrabitur a primis vesperis, usque ac occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice tantum valituris.

Conditiones adnexae et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima nona julii millesimo octigentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLIII.

Dat. die 2 decembris 1808 anno IX.

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis basilicae de Foggia dioecesis Trojanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ecclesiasticis viris, qui caelestis Sionis aemuli divinas choraliter laudes in sacris templis quotidie concinunt, peculiaria indumenta deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere studeant in domo Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii ecclesiae s. Mariae de Icono-vetere a Nobis per Nostras in simili forma brevis in basilicam minorem erectae oppidi civitatis nuncupati de Foggia Trojanae dioecesis, divinus cultus, populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ipsi novis insignibus per Nos, et hanc s. Sedem decorentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae ec-

clesiae s. Mariae canonicis, ut ipsi mantelletam, et vestem oblongam violaceas cum ocellis, et globulis coloris similis tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, firmis remanentibus ceteris privilegiis, et praerogativis, quibus aliae basilicae minores hujusmodi utuntur, gaudent, vel uti et gaudere solent, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLIV.

Dat. die 20 decembris 1808 anno IX.

Facultas aggregandi, et conferendi indulgentias, et gratias aliis confraternitatibus ejusdem instituti pro officialibus, et confratribus piae unionis sacri Cordis b. M. virginis erectae in ecclesia parochiali sancti Eustachii urbis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et confratres confraternitatis, seu piae unionis sub titulo sac. Cordis Mariae in ecclesia collegiata, et parochiali sancti Eustachii hujus almae urbis Nostrae prima sub hujus titulo canonice, ut asseritur, erectae, quod etiamsi confraternitas praedicta in archiconfraternitatem erecta non reperiatur, alias tamen confraternitates erectas, vel erigendas sibi adgregari posse plurimum desiderant.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ipsius confraternitatis officialibus, et congregatis praesentibus et futuris, ut ipsi ad majorem Dei, et beatae virginis Mariae gloriam, et spiritualem Christifidelium utilitatem alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erectas eidem suae confraternitati, servata tamen forma recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri edita adgregare, illisque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi confraternitati concessas communicare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri,

et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, supradictae confraternitatis, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLV.

Dat. die 20 decembris 1808 anno IX.

Derogatio literarum apostolicarum a Clemente XI. super facultate creandi census cum privatis personis pro fratribus ordinis b. M. v. de monte Carmelo.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Ex parte dilecti filii moderni prioris provincialis provinciae Romanae fratrum ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum expositum Nobis nuper fuit, quod dudum unus ex ejus praedecessoribus, atque ipsius provinciae definitores a felicis recordationis Clemente pp. XI. praedecessore Nostro per suas in simili forma brevis die xxvi. septembris anno MDCCX. expeditas literas confirmationem obtinuerunt cujusdam decreti in comitiis provincialibus jam antea editi, cujus decreti vigore statutum fuerat, ne deinceps quid quid ad ipsius provinciae conventus in numerata pecunia quomodolibet deveniret, privatis familiis foenori dari non amplius liceret, sed census cum locis piis, et terrarum communitatibus dumtaxat instituere, aut montium loca emere, ac alias, prout ex memoratis Clementis praedecessoris literis, et decreto hujusmodi, quorum tenores praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius continetur. Quoniam vero, sicut in eadem expositione additum erat, ob notissimas horum temporum circumstantias, quod tunc pro majore rei familiaris securitate sancitum fuerat, nunc majus periculum creat, Nobis propterea dictus provincialis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur, comperta narratorum veritate, auditisque desuper relationibus ministri generalis dicti ordinis, et provinciae, ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque eccle-

siasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tam memoratum comitiorum provincialium decretum, quam supradictas Clementis praedecessoris confirmatorias literas auctoritate apostolica, tenore praesentium abrogamus, abolemus, et revocamus, eisdemque congregationis, et ordinis hujusmodi fratribus, ut etiam cum privatis personis census activos (servatis alias servandis) creare, ac alios similes foeneratitios contractus, caeteroquin licitos, quomodolibet nuncupatos ad praescriptum tempus, aut in perpetuum inire libere, licite, et valide possint facultatem, et licentiam, ut supra, ablatam auctoritate, et tenore praedictis restituimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans. §. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis fratribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus memoratis Clementis praedecessoris literis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLVI.

Dat. die 23 decembris 1808 anno IX.

Unio, et incorporatio nonnullarum commendarum hospitalis s. Joannis Hierosolymitani ad tempus decretae, ac ad nutum sanctae Sedis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Nobis expositum est nomine dilectorum filiorum fratrum militum hospitalis s. Johannis Hierosolymitani, qui assembleam prioratus de urbe ejusdem hospitalis componunt, se in novissimis publicarum rerum perturbationibus, queis obnoxiae fuere Piceni, aliaeque ei adnexae provinciae jacturam fecisse commendarum non modo majorum, sed etiam meliorum, quas ibi ipsi obtinebant, immo et amisisse nonnulla praedia ibidem sane existentia, sed ad binas spectantia commendas in territorio Perusino fundatas. Verum quia prioratus Pisarum ipsius hospitalis, qui ob easdem perturbationes iisdem subjecit commendarum in universa Hetruria manentium detrimentis, quatuor intra limites prioratus urbis habet commendas, quarum primam nominant s. Johannis de Cornueto, alteram s. Johannis de Urbe Veteri, tertiam s. Mariae Gratiarum de Castro Araldo, et quartam s. Petri de Marta; ideo exponentes ut aliquam tot de jacturis nanciscantur compensationem, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut Nos sibi in praemissis

providere opportune, ac uti infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac ipsorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, supradictas quatuor commendas, seu praeceptorias de memorato prioratu Pisarum ad urbis prioratum per tempus Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito tantum duraturum, auctoritate apostolica tenore praesentium transferimus, eique accensemus, ac incorporamus; quumque easdem commendas, seu praeceptorias per obitum illorum fratrum militum dicti hospitalis, qui eas nunc legittime possident, quosque in pacifica earum possessione omnino intendimus quoad vixerint permanere, subinde vacare contigerit, tunc ut singulae ex quatuor praeceptoriis, seu commendis hujusmodi in praedicta assemblea prioratus urbis, favore fratrum militum antianorum, seu fratrum cappellanorum conventualium, seu aliorum quibus de jure vel consuetudine ad hanc assembleam, et prioratum hunc pertinentium, ac enarrata praesertim damna passorum per eum seu eos, ad quem seu quos jure spectabit pro tempore, servatisque alias servandis, conferri libere et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, atque disponimus; declarantes tamen expresse, ut si, et quando praedictum prioratum Pisarum ad primaevum suum redire statum eveniat, recensitae quatuor commendae eidem Pisarum prioratui cum omnibus et singulis juribus suis, ac pertinentiis debeant prorsus reverti, sed post earum vacationem dumtaxat, idest postquam fratres milites de assemblea et prioratu urbis, qui sic, ut praefertur, eas assequentur, supremum diem obierint.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLVII.

Dat. die 21 februarii 1808. anno IX.

Indultum benedicendi rosaria cum concessione indulgentiarum favore rectoris ecclesiae sancti Jacobi oppidi Perpiniani dioecesis Carcassonensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Memoria saepe Nos repetentes innumera beneficia in catholicam Ecclesiam indesinenter collata a b. v. Maria, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo, devotionem erga tantam, tamque beneficam, et amantissimam omnium fidelium patronam confirmari, atque in dies augeri vehementer optamus, et studemus.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam vero, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus rector ecclesiae sancti Jacobi oppidi Perpiniani Carcassonensis dioecesis, eversis illic templis, et conventibus fratrum ordinis Praedicatorum, qui devotionem sanctissimi Deiparae Rosarii ex eorum instituto promovebant; altare ejusdem Rosarii in dictam s. Jacobi ecclesiam translatum reperitur, eoque utriusque sexus Christifedeles confluunt cum ad rosarium devote recitandum, tum ad alia pia exercitia explenda, quae antea in dictorum fratrum ecclesiis peragi consueverant, idem rector pro spirituali Christifidelium eo confluentium emolumento coronas precatorias vulgo rosaria, ac etiam sacra numismata cum

appellatione indulgentiarum benedicere posse plurimum desiderat.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem moderno, et pro tempore in perpetuum existenti memoratae ecclesiae s. Jacobi rectori, dummodo sit in sacro presbyteratus ordine constitutus, facultatem benedicendi pro dicti oppidi incolis dumtaxat coronas precatorias, quemadmodum a fratribus ordinis Praedicatorum antea fieri solebat, itemque tot sacra numismata, quot satis erunt ad distribuendum oppidi hujusmodi pro tempore existentibus utriusque sexus incolis cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, et indulgentiarum s. Birgittae nuncupatarum ab unoquoque eorum, quibus corona, vel numisma hujusmodi fuerint per dictum rectorem distributa, lucrandarum in forma consueta, et ab hac s. Sede praescripta auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima prima februarij millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno nono.

DLVIII.

Dat. die 7 martii 1808. anno IX.

Consulitur erectioni, et perfectioni orphanotrophii puellarum periclitantium in civitate Nucerina.

Venerabili fratri
Francisco Aloisio episcopo
Nucerino

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam
benedictionem.

Indigitantur providentiae ad rem captae a defuncto episcopo Nucerino, qui opus perficere non potuit.

§. 1. Fraternitatis tuae nomine expositum Nobis nuper fuit, quod dudum felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster, bonae memoriae Francisco-Laurentio tunc episcopo Nucerino quam plures gratias, et facultates concessit, quibus idem episcopus suffultus orphanotrophium puellarum periclitantium erigeret cum peculiaribus quibusdam conditionibus, prout ex ejusdem Pii praedecessoris, in simili forma brevis die xxx. martii MDCCLXXXVII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem (sicut in eadem expositione additum erat) orphanotrophii hujusmodi aedificium a defuncto episcopo a fundamentis susceptum muris adhuc parum erectis remanet, neque juxta peritorum sententiam, confici poterit, nisi immodica scutatorum quadraginta millium adhibita summa, quae ne per longum quidem tempus colligi posse speratur ex pertenui haereditate ab ipso episcopo pro tanto aedificio explendo relicta; idcirco, ut tandem aliquando ad pii operis institutionem deveniatur, nonnulla ex iis, quae a memorato Pio praedecessore desuper fuerant constituta pro rerum opportunitate, et immutatione per Nos, et hanc s. Sedem immutari vehementer desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur pastorali tuo, quo ferves, zelo opem, quantum cum Domino possumus, afferre volentes;

teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut solum antea ad istam episcopalem mensam spectans, ubi nunc novae orphanotrophii aedes aliquantulum erectae reperiuntur, eidem mensae adtribuas in perpetuum cum iisdem aedibus, aliisque adnexis, ut sunt: itemque ut aliquam dictae haereditatis defuncti episcopi partem arbitrio tuo praefigendam in emptionem et coedificationem cujusdam domus sitae prope istam cathedralem ecclesiam impendas, eoque residentiam, seu domicilium episcopale transferas; reliquam vero ejusdem haereditatis partem emendis bonis stabilibus fructiferis, aut censibus pro loco pio hujusmodi instituendis insumas: nec non episcopales aedes, in quibus nunc degis, quippe quae sumptu haud magno ad sufficientem orphanotrophii localitatem redigi, et aptari possunt, pio huic operi in perpetuum similiter auctoritate Nostra apostolica addicas, exceptis tamen iis promptuariorum, et horreorum membris, quae eidem orphanotrophio minime necessaria esse duxeris, ac demum quoniam in hisce omnibus conficiendis, praeter curam, et laborem, nummos quoque te pro tua charitate privatim impensurum esse facile arbitramur, annuam taxam, seu pensionem biscentorum viginti quinque scutatorum monetae Romanae super fructibus, et redditibus istius mensae episcopalis ab eodem Pio praedecessore, favore ipsius orphanotrophii perpetuo impositam auctoritate apostolica, tenore praesentium ad decennium proximum tantum suspendimus, teque interim ab hujusmodi solutione facienda liberamus, servata in reliquis omnibus ipsius Pii praedecessoris, literarum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae idem praedecessor in memoratis literis non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima martii millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno nono.

DLIX

Dat. die 7 martii 1808 anno IX

Concessio roccheti, loco cottae sub mozzeta deferendi a canonicis ecclesiae collegiatae civitatis sancti Erasmi dioecesis Barensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticos viros, qui coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes in templis quotidie concinunt, peculiaria indumenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies elucere studeant in aula Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii moderni capitulares parochialis ecclesiae oppidi civitatis nuncupati s. Erasmi Barensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa (in qua praeter archipresbyterum, duo simplices, primicieratus, et contoratus, scilicet, dignitates, atque octo supera viginti presbyteri participantes nuncupati choro quotidie interesentes divina officia explent, dictus autem unus archipresbyter privilegio gestandi rocchetum per Nos decoratus reperiatur) sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, populique frequentia, ac devotione valde floreat, multum splendoris ad ipsam accederet, divinusque cultus majora ibi incrementa susciperet si reliqui memorati capitulares eodem privilegio per Nos, et hanc sanctam Sedem ornarentur, quo dictus archipresbyter ornatus est; cumque ad id accesserint commendationes venerabilis fratris Baldaxaris archiepiscopi Barensis, qui per suas literas eorumdem capitularium docilitatem, et obe-

dientiam apud Nos commendavit; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et participantibus ecclesiae praedictae, ut loco cottae, quam adhuc sub mozzeta violacea deferre consueverunt, rocchetum ad instar ipsius archipresbyteri ejusdem ecclesiae tam in eadem ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus publicis quibuscumque gestare, illoque uti libere, et licite possint, et valeant, prohibitis tamen, et revocatis interim remanentibus aliis praelatitiis insignibus, si qua inibi, praeter mozzetam, et rocchetum hujusmodi quomodolibet concessa reperiantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque capitulares, et participantes desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae parochialis, et capituli etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima martii millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno nono.

PIUS VII.

ANNO DECIMO

DLX.

Dat. die 28 martii 1809. anno X.

Civitati Cornetanae fidelissimae nuncupatae in provincia Patrimonii conceditur gubernium apostolicorum brevium sub immediata dependentia congregationis Consultationis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium. §. 1. Apostolatus officio, meritis licet imparibus, fungentes, illud quoque curandum Nobis esse ducimus, ut Nostris, et S. R. E. civitatibus consulamus, quemadmodum earum vota, et merita postulare videntur.

Ratio concessionis. §. 2. Jam vero civitas Nostra Cornetana, sicut accepimus, antiquitatis laude, virtutum splendore, civium numero, ac etiam opum amplitudine ita floruit, et floret, ut optimo quidem jure inter primas illius provinciae Patrimonii habeatur; tantam autem in hanc s. Sedem praese tulit devotionem, et fidem, ut vel a remotis temporibus «Fidelissima» fuerit nuncupata. Huc accedit, quod duo beati, quatuor S. R. E. cardinales, sex episcopi, aliique virtute, et scientia praestantes viri ex illius gremio prodierunt, ac etiam dilectum filium magistrum Joannem Franciscum Falzacappa congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. cardinalium Bono Regimini civitatum, et universitatum status Nostri pontificii praepositae secretarium ipsa protulit. Cum igitur dictae civitatis communitas, et homines Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut ipsius civitatis gubernium in gubernium apostolicorum brevium erigeretur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos eamdem communitatem, et homines specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de peculiaris congregationis nonnullorum ejusdem S. R. E. cardinalium, et praelatorum super hujusmodi guberniis deputatae consilio, ac referente memorato magistro Joanne Francisco, ipsius civitatis Cornetanae gubernium, quod adhuc per simplices patentales literas provideri consuevit, in gubernium apostolicorum brevium sub immediata dependentia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, constituimus, et declaramus, cum expressa tamen conditione, et onere eidem communitati supplendi quibuscumque novis, et extraordinariis expensis, quae pro hac erectione, itemque pro justitia administranda faciendae erunt: ideoque ejusdem civitatis pro tempore existenti gubernatori sic, ut praefertur, per literas apostolicas electo, et deputato, seu eligendo, ac deputando, ut ipse omnibus, et singulis auctoritate, juribus, privilegiis, honoribus, et oneribus, quibus alii gubernatores hujusmodi de jure, usu, et consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, vel

gaudere poterunt in futurum, pari modo, ac sine ullo prorsus discrimine uti, frui, et gaudere libere, et licite possit, et debeat, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non stylo, usibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis gubernatori, seu pro gubernatori Centumcellarum, aliisque personis, et judicibus sub quavis forma concessis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava martii millesimo octigentesimo nono, pontificatus Nostri anno decimo.

DLXI.

Dat. die 30 maii 1809 anno X.

Erectio piae domus, seu conservatorii Conceptionis b. M. v. civitatis Montis Regalis in monasterium sub immediata jurisdictione episcopi, et sub instituto, et habitu sancti Cajetani.

Dilecto filio moderno vicario capitulari ecclesiae Montis Regalis Siciliae, ejus archiepiscopali sede vacante legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectarum in Christo filiarum praepositae, atque sororum piae domus, seu conservatorii Conceptionis beatae Mariae virginis erecti in civitate Montis Regalis Siciliae, quod a fundationis anno, qui fuit 1687, ad haec usque tempora quotquot in istud conservatorium admissae sunt virgines, vitam ibi degerunt semper religioso sub habitu s. Cajetani, pioque sub instituto ven. servae Dei Ursulae Benincasa, ac spirituali sub directione clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum, nulla quidem unquam interveniente approbatione apostolica, sed simplicis tantum vigore rescripti olim initio ab ordinario loci interpositi. At novissime factum est, ut clerici regulares praenominati magna sensim laborantes sacerdotum inopia in cunctis suis Siciliae domibus, ac praesertim Panormi, unde spirituales isthuc directores transmittebantur, facto tandem ac etiam scripto directioni conservatorii penitus valedixerint, atque renuntiaverint. Quamobrem exponentes de spiritualibus animarum subsidiis, haud parva in parte aliquo ab hinc tempore jam sibi ex directorum defectu imminutis, magnopere sollicitae iniere consilium committendi sese immediatae jurisdictioni, ac plenariae subjectioni ordinarii, regularemque amplectendi monialium statum, retentis dumtaxat titulo, habituque s. Cajetani, quem gestant, ac instituto praedicto eo vel magis nihil quod

omnino videtur in praesentiarum obesse, quominus in verum monasterium erigi possit ipsarum conservatorium jam satis redditibus, officinis, rebusque omnibus ad claustralis vitae rationem requisitis instructum, multoque etiam magis instruendum prope diem, ac decorandum, quum ad finem perducta fuerit fabrica juxta mentem bonae memoriae Antoniae Landolinae locupletis ac nobilis viduae, quae certis sub legibus memoratum conservatorium de bonis suis universis testamento fecit haeredem. Hinc Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque particulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito hac in re venerabili fratre J. archiepiscopo Thebarum, congregationis episcoporum et regularium secretario, attentisque simul tam relatione tua, quam voto ven. fratris Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Matthei ponentis, tibi ex eo quod nunc vacat archiepiscopalis sedes praedictae ecclesiae, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, ac postquam tibi constiterit praedictum conservatorium cum ecclesia, campanili, sacristia, choro, refectorio, hortis, spatiis, numerisque omnibus esse absolutum, et suppellectili tam sacra quam profana sufficienter instructum, ad formalem illius erectionem in monasterium perfectae clausurae juxta petita auctoritate Nostra apostolica specialiter ad id delegata pro tuo arbitrio et conscientia procedas, exindeque numerum monialium juxta vires reddituum praescribas, dotem pro monacandis in posterum intra numerum persolvendam designes, virgines in conservatorio existentes, peracto probationis anno, ad professionem servatis servandis admittas, ac in reliquis omnia pro novorum creationibus monasteriorum praescripta religiose servari decernas et facias: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima maij millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno decimo.

MONITUM

Post ultimam, quam supra dedimus *Constitutionem*, cujusvis generis aliae per QUINQUENNIUM desiderantur omnino. Interea siquidem temporis SUMMUS PONTIFEX, iniqua exterarum copiarum divexatus oppressione, ac e sancta Sede nefarie dejectus, in longinguas regiones durissima coercitus custodia, nullam vel *temporalem*, vel *spiritualem* exercere potuit jurisdictionem.

PIUS VII.

ANNO DECIMO QUINTO

Dat. die 4 maii 1814 anno XV.

DLXII.

Gratiarum actio Deo omnipotenti facta pro felici reditu ad sanctam Sedem post immeritam, indignamque diu perpassam captivitatem, et creatio commissionis status temporarie praepositae regimini status Ecclesiastici.

Pius PP. VII.

A'suoi amatissimi sudditi

Gratiarum actio.

§. 1. Il trionfo della misericordia divina è omai compiuto sopra di Noi. Strappati con violenza inaudita dalla Nostra sede pacifica, dal seno de' Nostri amatissimi sudditi, e stracinati di una in altra contrada, siamo stati condannati a gemere tra le forze, quasi cinque anni. Noi abbiamo versato nella Nostra prigionia lacrime di dolore primieramente per la Chiesa alla Nostra cura commessa, perchè ne conoscevamo i bisogni, senza poterle apprestare un soccorso, poi per i popoli a Noi soggetti, perchè il grido delle loro tribolazioni giungeva perfino a Noi, senza che fosse in Nostro potere di arrecargli un conforto. Temperava però l' affanno acerbissimo del Nostro cuore la viva fiducia, che placato finalmente il pietosissimo Iddio giustamente irritato dai Nostri peccati alzerebbe l'onnipotente sua destra per infrangere l' arco nemico, e spezzar le catene, che cingevano il vicario suo sulla terra. La Nostra fiducia non è stata delusa. L' umana alterigia, che stoltamente pretese di uguagliarsi all'Altissimo, è stata umiliata, e la Nostra liberazione, cui anche miravano gli sforzi generosi dell' augusta alleanza, è per prodigio inaspettatamente seguita. Debitori a quella mano onnipotente, che stringe le sorti dell' uomo, non ci stancheremo giammai di benedirla, e di cantar le sue glorie.

Creatio commissionis.

§. 2. Noi non abbiamo lasciato di consacrar le primizie della Nostra libertà al bene della Chiesa, la quale, costando al suo divin fondatore il prezzo di tutto il suo sangue, deve esser l'oggetto primario delle Nostre apostoliche sollecitudini. Avremmo a tal oggetto desiderato di accelerare il Nostro ritorno alla capitale, e come Sede del Romano pontefice, per ivi occuparci dei molti, e gravi interessi della cattolica religione, e come residenza della Nostra sovranità per ivi sodisfare più presto all' ardente brama, che abbiamo di migliorare il destino dei buoni sudditi Nostri; ma plausibili ragioni ce lo hanno fin' ora impedito. Ci disponiamo peraltro di già ad eseguirlo anziosi di stringerli al seno, come un tenero padre stringe con trasporto i suoi figli amorosi dopo un lungo, ed amaro pellegrinaggio. Intanto facciamo precedere un Nostro delegato, il quale in virtù di Nostro speciale chirografo riprenderà per Noi, e respettivamente per la s. Sede apostolica tanto in Roma, quanto nelle provincie, col mezzo di altri subalterni delegati da Noi già prescelti, l'esercizio della Nostra sovranità temporale legata con vincoli tanto essenziali colla Nostra spirituale indipendente supremazia. Egli procederà di concerto con una commissione di stato da Noi nominata alla formazione di un governo interino, e darà tutte quelle disposizioni, le quali potranno condurre, per quanto le circostanze il permettono, alla felicità de' Nostri fedelissimi sudditi.

Protestatio pro provinciis nondum recuperatis.

§. 3. Che se per un risultato de' militari concerti non possiamo tornar nel momento all' esercizio della sovranità anche in tutte le altre antichissime possidenze della Chiesa, non dubitiamo di tornarvi al più presto, affidati non meno alla inviolabilità de' Nostri sacri diritti (alli quali non intendiamo di recar con questo atto il minimo pregiudizio) che alla luminosa giustizia degl' invitti monarchi alleati, per parte dei quali abbiamo eziandio ricevuto particolari consolanti assicurazioni.

Praeceptum de servanda tranquillitate.

§. 4. Per debito del Nostro ministero di pace esortiamo tutti i sudditi Nostri a conservar gelosamente la tranquillità, la quale è d' altronde puranche il voto prezioso del Nostro cuore. Se taluno ardisse turbarla sotto qualunque pretesto sarà irremissibilmente punito con tutto il rigore delle leggi. Noi dichiariamo a' Nostri popoli, che, se vi sarà fra loro chi siasi reso colpevole di qualche traviamento, alla sola Nostra sovrana autorità si appartiene l' esaminar, se sussiste il reato, giudicare della qualità del medesimo, e proporzionargli la pena. Siano essi dunque, come esser debbano, i figli ubbidienti, niuno de' quali osa arrogarsi sull' altro la patria potestà, ma sono tutti subordinati alle leggi, e al volere del comun genitore. Nella fiducia, che li buoni sudditi Nostri saranno per uniformarsi esattamente a queste sovrane paterne intenzioni, diamo loro con con tutto l' affetto l' apostolica benedizione. Dato in Cesena questo dì 4. maggio 1814., del Nostro pontificato l' anno quindicesimo

PIUS PAPA VII.

DLXIII.

Dat. die 8. julii 1814 anno XV.

Subjectio capituli parochialis ecclesiae collegiatae s. Mariae Vinearum Januensis jurisdictioni parochi ipsius collegiatae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici parochialis, et insignis (ut asseritur) collegiatae ecclesiae s. Mariae Vinearum Januensis, quod, cum ipsi inter se unum corpus efficiant, uni quoque spirituali pastori, parocho, immediate subiici cupiunt.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur (attentis desuper relationibus venerabilis fratris archiepiscopi Januensis asserentis, collegiatam praedictam reliquis etiam collegiatis ecclesiis Januensibus, quae hoc privilegio gaudent, antiquiorem esse) ipsos exponentes, caeterosque eidem collegiatae inservientes viros specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati praevia infrascriptorum exemptione a quacumque respectiva parochorum suorum naturalium jurisdictione, eosdem canonicos, beneficiatos, et reliquos cum ecclesiasticos, tum laicos viros nunc, et pro tempore in perpetuum eidem ecclesiae collegiatae s. Mariae Vinearum actu inservientes, atque in aliarum paroeciarum districtibus habitantes ad parochialem jurisdictionem parochi ipsius collegiatae nunc, et pro tempore existentis cum honoribus, et oneribus auctoritate apostolica, tenore praesentium transferimus, et subijcimus, eidemque parocho, ut ipsos canonicos, et reliquos praedictos actu inservientes in suam jurisdictionem recipere, vivos tueri, ac mortuos sepelire libere, et licite possit, et valeat, perinde ac si in districtu suae paraeciae degerent, auctoritate, et tenore praedictis

concedimus, et indulgemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, aliisque spiritualibus arbitrio Nostro infligendis poenis omnibus, et singulis dictis filiis respectivis dictorum inservientium parochis, caeterisque, ad quos spectat, vel spectabit quomodolibet in futurum, ut dictos canonicos, et singulos praedictos inservientes collegiatae de praesentis gratiae commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec eos desuper a quoquam molestari, aut turbari permittant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis collegiatae inservientibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum parochialium ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolutis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 5. Caeterum declaramus, consanguineos simul cum dictis inservientibus cohabitantes, hoc privilegio minime frui posse. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava julii millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXIV.

Dat. die 3 augusti 1814 anno XV.

Applicatio bonorum beneficii sanctae Venerandae, et alterius sancti Georgii, pro monialibus oblatis sancti Francisci Salesii terrae sancti Elpidii dioecesis Firmanae.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae sorores oblatae sub regula sancti Francisci Salesii terrae s. Elpidii istius Firmanae dioecesis, quod ipsae, numero novem in totum, multis carent ad vitam necessariis, nec satis manuum labore suis indigentiis possunt supplere, quippe quae in puellis oppidi tum ad pietatem formandis, tum ad faemineas artes instruendis ulla sine intermissione versantur. Hinc quum usum fructum cujusdem ecclesiastici beneficii simplicis, licet nonplus quam scutata duodecim monetae Romanae, detractis oneribus eidem beneficio impositis, in annuum fructum afferentis, quod in terra praedicta, ubi sub invocatione s. Venerandae, fundatum extabat, certo modo vacare contigerat, nec non canonem scutatorum quinquaginta monetae hujusmodi a communi dictae terrae solvendum, jam a Nobis alias obtinuerint, alterius nunc similis beneficii sub invocatione sancti Georgij eadem in terra erecti, actuque per obitum episcopi Ripani vacantis, fructus ad suae sustentationis augumentum sibi ipsius per Nos itidem tribui, et applicari, nec non missarum onera secundo huic beneficio adnexa in ea-

rum ecclesiam transferri, ibique pro majori sua devotione adimpleri posse vehementer desiderant, enixisque precibus humiliter flagitant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, easque, ac singulares earum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus quoque earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de praenarrata exponentium inopia, et quatenus id magis in Domino expedire censueris, memorati beneficii, dummodo illud tamen de laicale patronatu non fuerit, provisione suspensa manente, omnes, et singulos illius fructus, redditus, et proventus in subsidium substentationis earumdem exponentium assignare, seu etiam ejusdem beneficii onera ad ipsarum ecclesiam transferre, ita ut missae, quas ibi ipsae juxta debitum celebrari fecerint, perinde valeant, ac si in ecclesia fundationis beneficij celebratae fuissent auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia possis, et valeas facultates omnes necessarias, et opportunas eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus, necnon fundatione dicti beneficii, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia quomodolibet roborata: quibus omnibus, et singulis illorum tenores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXV.

Dat. die 4 augusti 1814 anno XV.

Concessio juris privativi colligendi scruta in universa pontificia ditione favore Francisci Lazzarini

Rmo cardinal Bartolomeo Pacca camerlengo di Sancta Chiesa

Ratio concessionis.

§. 1. Essendoci stato da voi rappresentato nella udienza del giorno 26 luglio prossimo passato, che il defonto Luigi Lazzarini eletto sopraintendente generale delle cartiere, e della raccolta privativa dei stracci in tutto lo stato pontificio in conformità de' chirografi della sa. me. Pio VI. Nostro predecessore del dì 13 dicembre 1791, e 21 novembre 1795 implorasse da Noi fin dal mese di maggio 1808, che tale sopraintendenza coi medesimi requisiti si rendesse progressiva al di lui figlio maggiore per nome Francesco, e che essendosi da Noi aderito alla supplica, e firmato rescritto di Nostro proprio pugno ne' seguenti termini «*Al cardinale pro-camerlengo pro gratia, et pro estentione chirographi* « fu in seguito sospesa l' estenzione del chirografo medesimo per le vicende accadute ne' passati anni nei Nostri pontifici dominj, quantunque fin dall' epoca del suddetto Nostro rescritto il detto Francesco ne entrasse in possesso; quindi ci avete rappresentato che ripristinato il Nostro governo ricorse supplichevole Francesco Lazzarini, in cui favore era stata dal di lui genitore Luigi, in mezzo alle suddette vicende passato all' altra vita, implorata la progressività della suddetta sopraintendenza, perchè ci degnassimo confermare la grazia in di lui favore già fatta, ed ordinare la disposizione del chirografo in di lui persona, quale di lui supplica essendosi stata da voi riferita nella udienza dei 26 luglio prossimo passato, ne fu quindi da voi segnato rescritto così concepito « *Ex audientia Sanctissimi diei* 26 *julii* 1814. « *Sanctissimus confirmavit gratiam superiori rescripto jam concessam, et rursus mandavit expediri chirographum ad mentem» Bartholomaeus cardinalis Pacca camerarius*.

Tenor concessionis.

§. 2. Quindi in adempimento del Nostro sovrano rescritto essendovi voi fatto un dovere di far stendere il

nuovo presente chirografo, Noi avendo qui per inserti, ed estesi li due chirografi della sa: me: di Pio pp. VI. Nostro predecessore, l'uno dei 10 dicembre 1791, l'altro dei 21 novembre 1795, quali in tutte le parti, che non si oppongono alle presenti Nostre concessioni, dichiarazioni, o provvidenze pienamente confermiamo, il rescritto Nostro sovrano del mese di maggio 1808, e l'altro da voi esteso in seguito della relazione fattacene nella udienza del 26 luglio prossimo passato, non solo approviamo, ma pienamente ed espressamente rattifichiamo, e confermiamo: perciò analogamente, ed in conformità in tutto e per tutto dei sopradetti chirografi, con li stessi pesi, obblighi, jussi, e privilegi, quali s' intendano come parola per parola ripetuti, e replicati, conoscendo l' esimia integrità, e le qualità, e doti che concorrono in Francesco Lazzarini, ed in vista, e riguardo della buona condotta tenuta in tal sopraintendenza tanto da esso che dal defonto Luigi Lazzarini di lui genitore, lo destiniamo, e confermiamo vita sua naturale durante sopraintendente generale delle cartiere di tutto il Nostro stato, volendo, che a detto Francesco Lazzarini esclusivamente sia permesso di far estrarre dal Nostro stato quella quantità di stracci, che sopravanzasse, proviste le cartiere di Roma, e dello stato Ecclesiastico, e segnatamente quella di Bracciano, e quelle di Fuligno, e volendo che al medesimo come sopraintendente siano annesse tutte le facoltà, che sono menzionate nelli due accennati chirografi, e conforme si esercitava tale sopraintendenza dal defonto Luigi Lazzarini.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Vogliamo però, che per un anno da oggi prossimo, il sopraintendente non possa estrarre, o far estrarre, straccio di niuna qualità senza il vostro permesso, quale accordarete se vi sembrerà giusto; dopo di che nè sarà il sopraintendente in facoltà di fare l' estrazione senza alcun permesso, dopo però provvedute le cartiere come si è detto di sopra, e ritenendo nei magazzini una giusta quantità per provvederne alli bisogni futuri. Volendo inoltre che il detto sopraintendente sia responsabile sotto pena di multa a vostro arbitrio della qualità dello straccio bianco da consumarsi nelle cartiere, qualora non sia della qualità assortita, e mercantile; quali due condizioni sono la spiegazione della Nostra mente di cui vi facemmo far menzione nel vostro rescritto dietro la relazione fattacene li 26 luglio prossimo passato. Tale essendo il Nostro comando, e la Nostra volontà espressa.

Derogatio contrariorum. §. 4. Volendo, e decretando che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in camera, e ne' suoi libri a tenore della bolla di Pio IV. « *de registrandis* « e nella Nostra costituzione *Post diuturnas* vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice Nostra sottoscrizione, benchè non sia stato inteso, e citato monsignor commissario della Nostra camera, e qualunque altra persona, che vi avesse, o pretendesse avervi alcun interesse, e per comprenderle facesse bisogno di speciale, ed individua menzione, supplendo Noi con la pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, e difetto qualunque sostanziale, e formale che vi potesse intervenire per questa sola volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro chirografo amplamente ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 4. agosto 1814.

PIUS PP. VII.

Dat. die 4 augusti 1814. anno XV.

DLXVI.

Reintegratio facultatis eligendi per secreta suffragia capitaneum portus in quolibet anno pro communitate Pisauri.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Praeclara fidei, pietatis, ac devotionis in Nos, sanctamque apostolicam Sedem, publicaeque etiam laetitiae argumenta, quibus isthaec civitas Nostra Pisaurensis Nos, Fratresque Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac reliquum comitatum Nostrum Venetiis Romam proficiscentes primum excepit, ac alia quoque de Galliis nuper revertentes communi omnium ordinum aemulatione quadam obtulit signa, Nos grata adhuc memoria retinemus, ac perlibenter propterea inducimur, ut aliquo grati animi Nostri, ac peculiaris Nostrae benevolentiae monumento eamdem civitatem rependamus.

Expositio precum

§. 2. Quum itaque, sicut per dilectos filios gonfalonerium, priores, et consiliarios Pisaurenses expositum Nobis est, jus, et consuetudo ab antiquitus fuerit, ut per singulos annos de consilii gremio aliquis eligeretur in capitaneum portus Pisauri, qui integro anni cursu ejusdem portus regimen sumeret, ac jurisdictionem tum civilem, tum criminalem ac mixtam ad formam statutorum per eum annum, inibi exerceret, sed progressu temporis capitaneus hujusmodi electus in munere suo tota ejus durante vita aliquando perstiterit, quod quidem multarum dissentionum fons, et causa fuit, idcirco, ne quid simile fiat in posterum, sed quod statuario ordine incepit, diuque in morem invaluit, semper retineatur, observetur, et absque publicae detrimento quietis semper permaneat (in quam rem explorata Nobis est etiam voluntas praedecessoris Nostri Pii felicis recordationis pp. VI. licet ejus executioni temporum calamitatibus locus factus non sit.)

Tenor concessionis.

§. 3. Nos memoratos Pisurensis civitatis repraesentantes specialibus gratiis,et favoribus prosequi volentes, eosque, et singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut de caetero perpetuis futuris temporibus capitaneus portus civitatis praedictae ad annum dumtaxat duraturus eligi, ac electio capitanei hujusmodi quotannis per consiliaria comitia, ac secreta suffragia, et omnino libere celebrari, nec non capitaneus sic, ut praefertur, electus cunctis, et singulis juribus, privilegiis, praerogativis, honoribus, et oneribus tali suo muneri adnexis, ac per alios capitaneos juxta usus, atque consuetudines ad formam statutorum, legumque municipalium legitime inductas, adhucque vigentes haberi, et gauderi solitis, et consuetis, pariformiter uti, frui, et gaudere libere, et licite possit, ac debeat auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, atque mandamus, et si quid in contrarium peractum hactenus fuerit, vel in posterum peragi quomodocumque contigerit penitus abrogamus, et nullius roboris, et valoris censeri debere declaramus, atque statuimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas Nostras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, praedictisque repraesentatibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios,et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Declarationes speciales.

§. 5. Volumus tamen, ac loco, et vigore legis adamussim observandae praecipimus, ut capitaneus dicti portus modo, et forma superius designata eligendus, si doctorali laurea publicae alicujus universitatis insignitus non fuerit, ipse doctorem idoneum sibi in assessorem adsciscere, et per eum sui muneris jurisdictionales actus gerere, et exercere teneatur, et debeat.

Derogatio contrariorum.

§. 6. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 7 augusti 1814. anno XV.

DLXVII.

Reintegratio Societatis Jesu in pristinum statum in universo orbe catholico.

Pius episcopus

Servus servorum Dei
Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Sollicitudo omnium ecclesiarum humilitati Nostrae, meritis licet et viribus impari, Deo sic disponente concredita, Nos cogit omnia illa subsidia adhibere, quae in Nostra sunt potestate, quaeque a divina providentia Nobis misericorditer subministrantur, ut spiritualibus christiani orbis necessitatibus, quantum quidem diversae, multiplicesque temporum, locorumque vicissitudines ferunt, nullo populorum nationum habito discrimine, opportune subveniamus.

Memoratur reintegratio facta societatis in regno Russiaco ad preces imperatoris Pauli primi.

§. 2. Hujus Nostri pastoralis officii oneri satisfacere cupientes statim ac tunc in vivis agens Franciscus Kareu, et alii saeculares presbyteri a pluribus annis in amplissimo Russiaco imperio existentes, et olim addicti Societati Jesu a felicis recordationis Clemente XIV. praedecessore Nostro suppressae, preces Nobis obtulerunt, quibus facultatem sibi fieri supplicabant, ut auctoritate Nostra in unum corpus coalescerent, quo facilius juventuti fidei rudimentis erudiendae, et bonis moribus imbuendae ex proprii instituti ratione operam darent, munus praedicationis obirent, confessionibus excipiendis incumberent, et alia sacramenta administrarent: eorum precibus eo libentius annuendum Nobis esse duximus, quod imperator Paulus primus tunc temporis regnans eosdem presbyteros impense Nobis commendavisset humanissimis literis suis die undecima augusti anni Domini millesimi octingentesimi ad Nos datis, quibus singularem suam erga ipsos benevolentiam significans gratum sibi fore declarabat, si catholicorum imperii sui bono Societas Jesu auctoritate Nostra ibidem constitueretur.

Laudes ecclesiasticorum virorum, unde continuo societas floruit, magna cum utilitate populorum.

§. 3. Quapropter Nos attento animo perpendentes quam ingentes utilitates in amplissimas illas regiones, evangelicis operariis propemodum destitutas, essent proventurae, quantumque incrementum ejusmodi ecclesiastici viri, quorum probati mores tantis laudum praeconiis commendabantur, assiduo labore, intenso salutis animarum procurandae studio, et indefessa verbi divini praedicatione catholicae religioni essent allaturi: tanti, tamque benefici principis votis obsecundare rationi consentaneum existimavimus. Nostris itaque in forma brevis literis datis die septima martii anni Domini millesimi octingentesimi primi praedicto Francisco Kareu, aliisque ejus sodalibus in Russiaco imperio degentibus, aut qui aliunde illuc se conferre possent, facultatem concessimus, ut in unum corpus, seu congregationem Societatis Jesu conjugi, unirique liberum ipsis esset, in una vel pluribus domibus arbitrio superioris, intra fines dumtaxat imperii Russiaci designandis; atque ejus congregationis praepositum generalem eumdem presbyterum Franciscum Kareu ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum deputavimus cum facultatibus necessariis et opportunis, in sancti Ignatii de Loyola regulam a felicis recordationis Paulo tertio praedecessore Nostro apostolicis suis constitutionibus approbatam, et confirmatam retinerent et sequerentur; atque ut hoc pacto socii in uno religioso coetu congregati juventuti religioni, ac bonis artibus imbuendae operam dare, seminaria et collegia regere; et probantibus ac consentientibus locorum ordinariis confessiones excipere, verbum Dei annunciare, et sacramenta administrare libere possent; et congregationem Societatis Jesu sub Nostra et apostolicae Sedis immediata tutela et subjectione recepimus, et quae ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, quae forte irrepsissent,

repurgandam visum fuisset in Domino expedire, Nobis ac successoribus Nostris praescribenda et sancienda reservavimus : atque ad hunc effectum constitutionibus apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, et indultis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et confirmatis, praesertim literis apostolicis memorati Clementis XIV. praedecessoris Nostri incipientibus « *Dominus ac redemptor Noster* « expresse derogavimus in iis tantum quae contraria essent dictis Nostris in forma brevis literis, quarum initium « *Catholicae* « et dumtaxat pro Russiaco imperio elargitis.

Memoratur aeque reintegratio ejusdem Societatis facta in regno Siciliarum ad preces Ferdinandi regis.

§. 4. Consilia, quae pro imperio Russiaco capienda decrevimus, ad utriusque Siciliae regnum non ita multo post extendenda censuimus, ad preces charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi regis, qui a Nobis postulavit, ut Societas Jesu eo modo quo in praefato imperio stabilita a Nobis fuerat, in sua quoque ditione, ac statibus stabiliretur; quoniam luctuosissimis illis temporibus ad juvenes christiana pietate ac timore Domini, qui est initium sapientiae informandos, doctrinaque, et scientiis instituendos praecipue in collegiis, scholisque publicis clericorum regularium Societatis Jesu opera uti in primis opportunum sibi arbitrabatur. Nos ex muneris Nostri pastoralis debito piis tam illustris principis desideriis, quae ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem unice spectabant, morem gerere exoptantes Nostras literas pro Russiaco imperio datas ad utriusque Siciliae regnum extendimus novis in simili forma brevis literis incipientibus « *Per alias* « expeditis die trigesima julii anni Domini millesimi octingentesimi quarti.

Preces quaquaversus porrectae pro instauratione ejusdem Societatis

§. 5. Pro ejusdem Societatis Jesu restitutione unanimi fere totius christiani orbis consensu instantes, urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, atque ab omnium insignium personarum ordine et coetu quotidie ad Nos deferuntur ; praesertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum, quos haec Societas in memoratis regionibus protulerat ; quaeque prolis in dies crescentis faecunda, Dominicum agrum latissime ornatura et dilatatura putabatur,

Ratio decernenda reintegrationis.

§. 6. Dispersio ipsa lapidum sanctuarii ob recentes calamitates et vicissitudines, quas deflere potius juvat, quam in memoriam revocare ; fatiscens disciplina regularium ordinum (religionis et Ecclesiae Catholicae splendor et columen) quibus nunc reparandis cogitationes, curaeque Nostrae diriguntur, efflagitant, ut tam aequis et communibus votis assensum Nostrum praebeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos Nos esse crederemus, si in tantis reipublicae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quae singulari providentia Deus Nobis suppeditat, et si Nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata, et concussa collocati expertes et validos, qui sese Nobis offerunt, regimes ad frangendos pelagi naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis fluctus respueremus.

Tenor dictae reintegrationis.

§. 7. Tot, ac tantis rationum momentis, tamque gravibus causis animum Nostrum moventibus id exequi tandem statuimus, quod in ipso pontificatus Nostri exordio vehementer optabamus. Postquam igitur divinum auxilium ferventibus precibus imploravimus, suffragiis et consiliis plurium venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium auditis, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine ordinare et statuere decrevimus, uti revera hac Nostra perpetuo valitura constitutione ordinamus et statuimus, ut omnes concessiones et facultates a Nobis pro Russiaco imperio, et utriusque Siciliae regno unice datae, nunc extensae intelligantur, et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus, ad totum Nostrum statum ecclesiasticum, aeque ac ad omnes alios status et ditiones.

Licentia superioribus concessa admittendi, et cooptandi omnes qui regularem ordinem in Societate exercere cupiunt.

§. 8. Quare concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddaeo Borzozowski moderno praeposito generali Societatis Jesu, aliisque ab eo legittime deputatis omnes necessarias et opportunas facultates ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum, ut in cunctis praefatis statibus, et ditionibus omnes illos, qui in regularem ordinem Societatis Jesu admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant, qui in una vel pluribus do-

mibus, in uno, vel pluribus collegiis, in una vel pluribus provinciis sub praepositi generalis pro tempore existentis obedientia conjuncti, et, prout res feret, distributi, ad praescriptum regulae sancti Ignatii de Loyola apostolicis Pauli III. constitutionibus approbatae et confirmatae suam accomodent videndi rationem: concedimus etiam, et declaramus, quod pariter juventuti catholicae religionis rudimentis erudiendae, ac probis moribus instituendae operam dare, nec non seminaria et collegia regere, et consentientibus atque adprobantibus ordinariis locorum in quibus eos degere contigerit, confessiones audire, verbum Dei praedicare et sacramenta administrare libere et licite valeant: omnia vero collegia, domus, provincias, sociosque sic conjunctos, et quos in posterum conjugi et aggregari contigerit, jam nunc sub immediata Nostra, et hujus apostolicae Sedis tutela, praesidio, et obedientia recipimus; Nobis et Romanis pontificibus successoribus Nostri reservantes ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constabiliendam et communiendam, et ab abusibus, si forte (quod Deus avertat) irrepserint, repurgandam, statuere ac praescribere visum fuerit expedire.

Monitum ad superiores, socios, et alumnos.

§. 9. Omnes vero et singulos superiores, praepositos, rectores, socios, et alumnos qualescumque hujus restitutae Societatis quantum in Domino possumus commonefacimus, et exhortamur, ut in omni loco ac tempore sese fideles asseclas et imitatores tanti sui parentis, et institutoris exhibeant, regulam ab ipso conditam et praescriptam accurate observent, et utilia monita ac consilia quae filiis suis tradidit summo studio exequi conentur.

Simile ad principes, ordinarios, aliosque in dignitatibus constitutos.

§. 10. Denique dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris, principibus, ac dominis temporalibus, nec non venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque in quavis dignitate constitutis saepedictam Societatem Jesu, et singulos illius socios plurimum in Domino commendamus, eosque exhortamur, ac rogamus non solum ne eos inquietari a quocumque permittant, ac patiantur, sed ut benigne illos, ut decet, et cum charitate suscipiant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 11. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper ac perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter per quoscumque judices quavis potestate fungentes judicari et definiri pariter debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praesertim supramemoratis literis in forma brevis felicis recordationis Clementis decimiquarti incipientibus « *Dominus ac Redemptor Noster* » sub annulo piscatoris expeditis die vicesimaprima julii anni Domini millesimi septingentesimi septuagesimi tertii, quibus ad praemissorum effectum expresse ac speciatim intendimus derogare: coeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 13. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae ordinationis, statuti, extensionis, concessionis, indulti, declarationis, facultatis, receptionis, reservationis, moniti, exhortationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octigentesimo quartodecimo, septimo idus augusti, pontificatus Nostri anno quintodecimo.

Dat. die 9 augusti 1814. anno XV.

DLXVIII.

Applicatio bonorum beneficii simplicis sub titulo sanctae Marthae de Petra Minuta favore capituli ecclesiae metropolitanae Januensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes interdum ecclesiasticorum beneficiorum redditus ad alias ecclesias, et personas, prout melius in Domino expedire videtur, transferimus, et adsignamus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici parochialis, et metropolitanae ecclesiae Januensis, quod, cum beneficium simplex, praepositura nuncupatum sub titulo s. Marthae de Petra Minuta Januensis dioecesis erectum jam ab anno MDCCCVIII. vacaverit, et adhuc vacet, cumque post biennium a sequuta vacatione beneficii hujusmodi administratio dictis capitulo, et canonicis interinaliter ex apostolica Nostra delegata facultate tributa fuerit, iidem canonici, quorum redditus ob notissimas temporum vicissitudines enormiter sunt imminuti, mensae eorum capitulari beneficium hujusmodi, in perpetuum uniatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur attentis desuper relationibus venerabilis fratris archiepiscopi Januensis, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, beneficium praedictum s. Marthae cum omnibus, et singulis suis redditibus, juribus, et pertinentiis universis mensae capitulari dictae metropolitanae ecclesiae Januensis auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum tribuimus, et incorporamus; ita tamen, ut onera quaecumque, si eidem beneficio ex lege fundationis adnexa fuerint, per ipsum capitulum in perpetuum pariter expleri debeant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona augusti millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 7 septembris 1814 anno XV

DLXIX.

Damnatio pseduo electionis archiepiscopi Ultrajectensis factae a Gisberto de Jong Daventriensi in personam Willibrordi Van Os.

Dilectis filiis universis catholicis in Belgio Batavo commorantibus.

Pius PP. VII.

Dilecti filii
Salutem et apostolicam benedictionem

Exponitur facinus narratum ab ipso pseudo electo.

§. 1. Inter maximas, quae undique ad Nos mittuntur pro felici, faustoque Nostro ad Sedem apostolicam reditu gratulationes : dum solemnes ubique gratiae Deo O. M. aguntur, quod saevissimam illam, quae non Ecclesiam modo, sed totam prorsus Europam obrutura videbatur, tempestatem sedaverit : in mediis catholicorum episcoporum officiis, quibus obsequium, et obedientiam Nobis suam certatim testantur : ecce ingratissimae Willibrordi Van Os literae Nobis redduntur, quibus se in archiepiscopum Ultrajectensem electum die 10 februarii hujus anni, et, quod longe gravius est, die 24. aprilis a Gisberto de Jong Daventriensi inter suos nuncupato episcopo consecratum fuisse, Nobis impudentissime significare ausus est. Luctuosus hujusmodi nuncius acerbissimam Ultrajectini schismatis memoriam refricavit, et infelicem tot laborum exitum, quibus illud extinguere summi pontifices decessores Nostri, Nosque ipsi una vice conati sumus, in mentem intimo ea re dolore perculsam reduxit. Quod autem Willibrordi facinus nullo pacto per se ferendum vehementissime anget, est callidus ille, fucatusque scribendi modus, quo veteratorum sui similium consuetas artes imitatus, aut fallere Nos, aut saltem demulcere aggressus est. Suum enim erga sanctam hanc Sedem obsequium, suamque in Nos venerationem officiosis, conceptisque verbis profitetur, ad Nostros denique pedes provolutus apostolicam a Nobis benedictionem efflagitat. Inter has autem inanium verborum blanditias apostolicae Sedis jura factis conculcat, sacrarum legum sanctiones aperte violat, venerandam Ecclesiae disciplinam nefarie corrumpit, et irrogatas toties sui similibus eamdem ob causam poenas procacissime aspernatur.

Declaratur illicita, nulla, et irrita electio, quae damnatur eum omnimoda suspensione a quavis jurisdictione sub poena excommunicationis

§. 2. Quae cum ita sint, apostolico, quo immerentes fungimur, muneri nimis deesse merito videremur, si Willibrordi scelus, illorum, qui suppetias in eo patrando illi tulerunt, sceleribus cumulatum sileremus, inultum abire pateremur. Ex hac igitur apostolicae Sedis specula vocem juxta illud *Clama ne cesses* attollimus, vobisque, dilecti filii, in quorum conspectu haec tam indigne facta, non sine vestra procul dubio execratione contigerunt, universaeque simul Ecclesiae, auctoritate divinitus Nobis demandata declaramus, atque decernimus tam electionem ejusdem Willibrordi Van Os in archiepiscopum Ultrajectensem, illicitam, irritam, ac nullam, quam ejus consecrationem esse illegitimam ac sacrilegam, contraque sacrarum legum sanctionem factam : memoratumque Gisbertum de Jong consecratorem, et ipsum Willibrordum Van Os electum, consecratumque, omnesque eos, qui partem in nefaria electione habuerunt; quique tam electioni, quam consecrationi opem, operam, consensum, consiliumque quomodolibet praestiterunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, et prorsus schismaticos habendos, et vitandos esse pronunciamus, constituimus, et mandamus : praeterea dictum Van Os declaramus ab omni exercitio eorum, quae jurisdictionis sunt, et quae ordinis esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub poena excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incurrendae, ne ullo pacto chrisma conficere, sacramentum confirmationis conferre, clericos ordinare, aut alia quaecumque sunt episcopalis ordinis, exercere valeat, decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque roboris prorsus, ac momenti omnes, et singulos alios actus, quos attentare praesumpserit. Qui vero ab ipso ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos esse, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuerint.

Vota ad Deum, ut refractariorum hominum mentes illustret, atque ad poenitentiam adducat.

§. 5. Inviolabilis Ecclesiae Catholicae unitas, indubitata Sedis apostolicae jurisdictio, sacrarum legum, disciplinaeque ecclesiasticae a novatorum ausibus vindicandae studium ad hanc in Willibrordum Van Os, ejusque socios animadversionem Nos adegerunt. Quanto libentius eos si facti sui poenitentes inconsutilem Christi vestem lacerare desinerent, apostolicis gratiis cumularemus! Quod esset Nostrum gaudium si devias ab ovili oves reducere, et exitiosos, quibus misere laborant morbos sanare Nobis contingeret! Hoc a coelesti pastorum principe assidue petimus, hoc ipsum, dilecti filii, ab eodem petitote, ut scilicet refractariorum hominum mentes illustret, obstinatam voluntatem flectat, induratum cor molliat, atque ad catholicam veritatem denique amplectendam inclinet. Interim, dilecti filii, eos diligenter cavete, ipsorumque societatem respuite. Id vos pro vestra erga Nos, et sanctam hanc Sedem fide, ac reverentia sedulo facturos rati, apostolicam vobis ipsis benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXX.

Dat. die 7 septembris 1814 anno XV.

Facultas regi catholico concessa disponendi extra capitulum de officiis ordinis, seu societatis aurei velleris.

Carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis expositum nuper majestatis tuae nomine fuit, pro dispositione locorum, seu officiorum ordinis seu societatis aurei velleris, vulgo nuncupati del Toisone, capitulum ipsius ordinis, seu societatis, pro ut illius statuta seu stabilimenta disponunt, convocari oporteret. Tu vero de locis, seu officiis hujusmodi extra praedictum capitulum partim jam disposueris, sub spe scilicet non defuturam tibi apostolicam ad id necessariam facultatem, ac de reliquis etiam in futurum posse disponere, quemadmodum per alios plures Hispaniarum reges apostolica auctoritate suffultos dispositum fuit, plurimum cupias.

Tenor concessionis

§. 2. Nos majestatis tuae votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare, teque amplioribus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus Nobis humiliter super hoc pro te porrectis inclinati, eidem majestati tuae, de omnibus locis atque officiis dicti ordinis seu societatis tam ad praesens vacantibus, quam in posterum vacaturis, ad tuum beneplacitum, etiam extra capitulum generale praedictum auctoritate Nostra apostolica libere, ac licite disponendi, et providendi plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur, et quoad loca seu officia jam per te, ut praefertur, provisa, atque disposita eorumdem provisionem, atque dispositionem ratam, validamque habemus, ac declaramus, omnemque, et quemcumque defectum plenarie sanamus atque supplemus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis, seu societatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, etiam si in illis caveatur expresse, quod illa loca, seu officia extra dictum capitulum generale conferri nequeant, ac aliter factae illorum collationes, et provisiones nullae sint; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia septembris millesimo octigentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 25 septembris 1814 anno XV.

DLXXI.

Allocutio habita in consistorio secreto diei 26 septembris 1814.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres

De reditu ad urbem, et praeteritae captivitatis memoria

§. 1. Optatissimus tandem aliquando dies illuxit in quo conspectu, frequentiaque vestra iterum frui datum Nobis est. Sacram hanc, in quam invitatu Nostro convenistis aulam, ut primum intravimus, tam acri paterni amoris, laetitiaeque sensu correpti sumus, ut vix lacrymas continere potuerimus. Acerbissima ergo Nostrarum calamitatum tempora praeterierunt: Nos post gravissima rerum discrimina ad Sedem apostolicam reduces, Ecclesiae gubernacula cum securitate, ac dignitate tractanda denuo suscepimus: vos hac illac jactati, et dura omnia passi, lateri tandem Nostro rursus adhaeretis, opera Nos, consilioque vestro reparandis Ecclesiae ruinis intentos libere, et impavide juvaturi. Omnis igitur malorum, quibus obnoxii fuimus memoria deleatur: quamquam gravissimarum Ecclesiae, in quam tenebrarum princeps omnem suam per hosce annos evomuisse rabiem visus est, calamitatum recordatio, fieri non potest, ut nostris unquam ex animis elabatur. Quae ex inferis emissa longe lateque dominabatur impietas, omnia christianarum virtutum germina extirpare contendebat: irritos tamen fuisse nefarios ejusdem conatus, testes Nos ipsi locupletissimi extitimus. Tanta enim, ac talia solidae pietatis exempla propriis oculis vidimus, tam effusa impensi amoris, devotissimi obsequii, largissimaeque liberalitatis, dum per varias Italiae, Galliaeque provincias traheremur, officia experti sumus, ut de illis antiquissima etiam Ecclesiae tempora gloriari merito potuisse videantur. Vellemus quidem singulis non solum urbibus, atque oppidis, sed unicuique hominum nominatim debitam pro suis erga Nos meritis laudem impertiri, si id orationis hujus Nostrae brevitas aliquo modo pateretur. Silentio tamen praeterire non possumus Genuenses, Mediolanenses, Taurinenses, qui palam, cum facultas dabatur, clam, cum negaretur, Savonam accurrebant, ut Nos inviserent, et omni pietatis, amoris, liberalitatis genere venerabundi prosequerentur. Savonensium vero erga Nos studium tanto est commendabilius, quanto diuturniorem, gravioremque apud ipsos captivitatem sustinuimus. Aeque a Nobis celebranda Gallia est, quae se praestantissimo regi suo denique restitutam tantopere Nobiscum laetatur, et in qua religiosos adeo sensus ubique deprehendimus, totque amantissimi obsequii, ac splendidissimae munificentiae testimoniis a nobilissimis praesertim matronis honestati sumus, ut captivitatis Nostrae quodammodo obliti, gratias Deo saepe ageremus, quod tantarum virtutum spectatores, ac testes Nos esse voluisset. Scilicet ea est sanctissimi, quod profitemur, instituti indoles, et quo magis impugnatur, vires suas intentius exerat,

quo validius deprimitur, altius attollatur.

Omnia ad religionis sanctitatem demonstrandam conferre declarat

§. 2. Haec ipsa christianae religionis proprietas ipsam de caelo in terras delapsam luculentissime ostendit. Neque enim naturae humanae infirmitas acerbissimis calamitatibus pro justitia sustinendis, mortique ipsi fortiter, alacriterque oppetendae satis esse posset, nisi divina plane virtute confirmaretur. Unde illam animi tranquillitatem, imo et jucunditatem, qua furente in Nos persecutione, in mediis inopiae, exilii, carcerumque angustiis perfundebamur, profectam existimatis, nisi a caelesti misericordiarum patre, qui erigebat, et consolabatur Nos in omni tribulatione nostra? Quis generosos Hispanorum animos excitavit, ut captis inopinato armis, hostem eorum urbes atque arces jam occupantem intrepide aggrederentur, et cruentissimis praeliis fractum ab Hispaniae finibus propulsarent? Quis initum a potentissimis principibus foedus; quis optatos atrocissimorum bellorum exitus; extremam postremo elatissimi hominis ruinam, nisi Deus exercituum fovit, adduxit, acceleravit? Quoniam igitur conversis Deo sic jubente rebus, e teterrimo illo, in quo postremis hisce annis misere jacebamus statu feliciter emersimus, quid superest, venerabiles fratres, nisi ut assiduas, et immortales Deo gratias agamus, maximique beneficii, quo in Sedem apostolicam inter festivos, et incredibiles omnium populorum, urbis praesertim Nostrae, plausus reducti sumus, nunquam obliviscamur?

Gratiarum actio ad Deiparam virginem, apostolos Petrum et Paulum, martyresque Silverium, et Martinum.

§. 3. Te nunc Deipara virgo, cujus efficacissimo patrocinio salutem Nostram acceptam referimus, vosque o rutilantia Ecclesiae lumina Petre, et Paule, quorum opera, et sanguine christiana religio Romae sata, irrigataque est, quique praesentissima Nobis ope adfuistis precamur, ut quas toto vobis animo grates persolvimus, benignis auribus excipere, urbemque hanc tutelae vestrae commissam a perditorum hominum insidiis, incursibusque perpetuo tueri velitis. Vobis etiam, fortissimi martyres Silveri, et Martine gratos animi Nostri sensus expromimus, qui Nos aerumnarum vestrarum participes, et in apostolico munere successores, exemplo, praesidioque vestro ad subeunda quaeque pro sanctissimis legibus discrimina excitavistis.

Similis ad principes quorum consiliis, armis, ac opibus orbi universo pax reddita est.

§. 4. Nostris autem erga Deum, augustissimam ipsius matrem, caelitesque hujus urbis patronos officiis perfuncti, ad vos convertimur gloriosissimi principes, quorum consiliis, opibus, armis pax afflictae Ecclesiae, orbique universo reddita est. Res praeclarissime, ac saluberrime a vobis gestas nulla unquam aetas reticebit. Nos quidem egregia vestrae in Nos voluntatis argumenta memori semper, gratoque animo recolemus, illique, per quem reges regnant, toto animi fervore supplicabimus, ut vos diutissime incolumes servet, et vera, solida, perennique felicitate florentes. Nec vos pontificio meritarum laudum praeconio fraudabimus, eximii quotquot estis viri, lectissimaeque mulieres, a quibus in Italia, ejusque insulis, atque in Gallia universa praestantior episcoporum, clerique Romani pars suis e sedibus ejecta, bonis omnibus multata, crudelissime uno verbo habita, quod suae erga Nos, et apostolicam Sedem fidei deesse noluisset, benignissimo hospitio excepta est, et omni studiosae, amplissimaeque liberalitatis genere sublevata. O vos beatos, qui thesauros vestros caelo intulistis, ubi nec aerugo ipsos corrumpit, nec tinea demolitur. Nomen vestrum Romanae Ecclesiae annalibus inscriptum pietatem, largitatemque vestram ad remotissimos usque posteros propagabit.

Memorantur quae disposita fuerunt ad subveniendum ecclesiae res in integrum restituendas.

§. 5. Quoniam vero qua ratione crescunt dona; crescunt etiam rationes donorum: tanto ad serviendum Deo, atque ad obeunda munera cuique Nostrum demandata promptiores Nos esse oportet, quanto uberioribus ab eo beneficiis affecti sumus. Nostra igitur in Deum pietas ferventior; odor Nostrarum virtutum fragrantior; Nostrae pro Dominico grege custodiendo excubiae nunquam interruptae, et quam antea perspicaciores esse debent. Nos profecto simul ac, contrito impiae captivitatis, qua detinebamur, laqueo, ad propria reversi sumus, assiduam, uti vobis notum est, cognoscendis, curandisque Ecclesiae malis operam navare non intermisimus. Occultos impiorum ho-

minum coetus religioni aeque, ac solio principum infestissimos in pontificia ditione disjecimus. Societatem Jesu promovendo Dei cultui, aeternaeque animarum saluti procurandae aptissimam suis e cineribus excitavimus: religiosorum virorum, in quos persecutoris furor singularem in modum exarserat coenobia iterum aperuimus: sacras virgines e mediis saeculi periculis ereptas in sua monasteria, unde maximo piaculo exturbatae fuerant, denuo congregandas curavimus.

Obsecratio ad eminentissimos viros.

§. 6. His tamen, aliisque pluribus, quae hucusque fecimus, majora profecto sunt quae facienda supersunt. Vos igitur, venerabiles fratres, qua majore possumus animi contentione obtestamur, ut Nos in vinea Domini, quam singularis ferus depastus est, restauranda occupatos ardentiori zelo, studiisque in dies acrioribus adjuvetis. Dies interim, noctesque caelestem pastorum principem obsecremus, ut eas Nobis vires, eam apud omnes principes gratiam, et auctoritatem, eum denique laboribus Nostris fructum concedat, ut Ecclesiae suae bona promovere, ipsamque ad pristinam dignitatem, et amplitudinem revocare feliciter valeamus.

Dat. die 30 septembris 1814 anno XV.

DLXXII.

Assignatio fructuum ex multiplico colligendorum in subsidium cappellae sub titulo Praesepis erectae in basilica sanctae Mariae Majoris de urbe sub jurepatronatu excellentissimae familiae ducis Sforza Cesarini.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Nobis expositum nuper est nomine dilecti filii Francisci nobilis viri Romani, ac ducis Sforza Cesarini nuncupati, quod insignis cappella sub titulo Praesepis Dominici in basilica s. Mariae Majoris Nostrae almae urbis erecta, quum binis abbatiis ei in dotem a felicis recordationis Sixto papa V. praedecessore Nostro assignatis infeliciter expoliata fuisset, recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor itidem Noster ad preces ipsius Francisci ducis, se ejusdem cappellae asserente patrono, et de ejus decora conservatione pie sollicito, per apostolicas suas die nona junii millesimo septingentesimo nonagesimo quinto sub plumbo expeditas literas prioratus s. Pauli Albanensis monasterii, qui tunc per obitum ultimi illius possessoris commendatarii vacabat, quique pariter ad ipsiusmet Francisci ducis patronatum spectare affirmabatur, novam denominationem, provisionem, aliamque quamcumque dispositionem ad annos triginta suspendit, et de illius fructibus, redditibus, atque proventibus valoris circiter 700. ducatorum auri de camera ita disposuit, ut quotannis ab administratore specialiter, et quibusdam sub conditionibus ad id deputato ponerentur in auctionem, seu ut vulgo dicitur a multiplico scutata 500, erogarentur vero in praedictae cappellae, ejusque ministrorum beneficium scutata 400, ac demum, quod, detractis expensis omnibus, superfuisset, daretur in subsidium Francisci ducis Bovadille ipsius ducis Cesarini patruelis, eo ob suarum rerum vicissitudines tempore indigentis, et alias prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso et inserto haberi volumus amplius contineri perhibetur. Quumque post haec illud simul contigerit, ut sacra aedes, quae scalarum sanctarum fert nomen, redditibus suis partim primum imminuta, ac in totum subinde in nuperis reipublicae perturbationibus orbata fuerit, ipse Franciscus dux Cesarinus, qui de hujus sacrae aedis patronatu gloriatur, et de ea sarta, tecta tuenda nihil se habere antiquius profitetur, subsidiorum portionem Francisco duci Bovadille, ex praedicti prioratus fructibus ob indicatas indigentiae causas assignatam, nunc iis prorsus cessatis, in subventionem sacrae aedis praedictae per Nos transferri atque constitui, nec non firma remanente praelaudati Pii praedecessoris Nostri dispositione quoad supradictam auctionem, seu multiplicum scutatorum 500, et quoad erogationem quoque scutatorum 400. singulis annis a deputato administratore juxta praemissa perficiendas, fructus

tamen pecuniae ad lucrum locatae, eos nempe, qui ex rinvestimentis, ut ajunt, tam factis, quam faciendis proveniunt, per eumdem administratorem applicari, tribuique posse pro rata collegio cappellae dicti Praesepis, idest praeposito, cappellanis, et clericis, qui illius sunt addicti servitio, vehementer desiderat, enixisque humiliter precibus a Nobis expostulat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, quibus pro pastorali munere Nostro maxime est cordi locis, atque personis Deo dicatis, quantum cum Domino possumus, opportune prodesse, exponentem Franciscum ducem, modernum memorati prioratus administratorem, ac moderna tum cappellae, tum sacrae aedis praedictorum collegia, eorumque singulares personas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus memorati ducis Cesarini Nobis humiliter porrectis inclinati, supradicti prioratus vacantis administratori pro tempore legitime deputato licentiam, et facultatem, cujus vigore illud omne, quod antea, juxta literas Pii praedecessoris, duci Bovadille erogabatur ex fructibus praememoratis, ipse deinceps favore sacrae aedis scalarum sanctarum impendere, fructusque praeterea ex narratis investimentis tam praeteritis, quam futuris collectos, et colligendos praeposito, cappellanis, clericisque cappellae dicti Praesepis elargiri pro rata, ac distribuere libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur; relicto tamen eidem administratori onere reddendi de his quoque, sicut de reliquis, debitas rationes juxta formam, atque dispositionem literarum Pii praedecessoris, quas in suo semper vigore manere volumus, ac praesentes literas Nostras non ultra annos ab eodem Pio praedecessore Nostro ut supra praefixos valituras declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXXIII.

Dat. die 30 septembris 1814 anno XV.

Suppressio praepositurae in terra Altidonae Firmanae dioecesis cum applicatione bonorum ad pias causas.

Dilecto filio Nostro Caesari S. R. E. presbytero cardinali Brancadoro nuncupato metropolitanae ecclesiae Firmanae ex concessione, et dispensatione apostolica praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum porrectarum pro consequenda suppressione praepositurae, et applicatione bonorum ad illam pertinentium

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, quod bonae memoriae Andreas, quum archiepiscopalem Firmanae ecclesiae sedem teneret, ut domum congregationis missionis Firmi aedificatam propeque a scelestis hominibus tempore reipublicae eversam reparare, aliisque piis dioecesis suae necessitatibus posset occurrere, capta occasione vacationis praepositurae, quae sub invocatione s. Michaelis Arcangeli in castro Altidonae istius dioecesis extabat fundata, quamque bonae memoriae presbyter cognomine Alexandrinus ultimo loco, dum viveret, obtinebat, ipse petiit, obtinuitque a Nobis suspensionem novae provisionis ejus praepositurae ad decennium, et forsan etiam ad quindennium duraturam ita quidem, ut interim praepositurae populus cujus vix centum numerabantur animae curarentur a parocho plebaniae s. Mariae, et s. Cyriaci eodem in castro existentis, fructusque, redditus, et proventus praepositurae ad praedictae domus reparationem, praedictarumque necessitatum emolumentum erogarentur, et alias prout in apostolicis literis Nostris sub certo modo, et forma tunc expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso haberi volumus fusius perhibetur contineri. Verum dum haec feliciter incoepta felicius quoque

ad optatum finem proveherentur impio superveniente usurpationis Demanio, omnia luctuosa facta sunt, statim pejora prioribus. Demanium enim bona praepositurae a manu administratoris erepta occupavit instauratam missionis domum nova eversione projecit, et plebaniae ecclesiam in promptuaria, cellasque conversam sagrilego ausu profanavit, atque pessum dedit. Recogitanti itaque tibi, quo tandem remedio tot, tantisque malis possit nunc in restituta ecclesiae ac reipublicae pace obviam iri, nihil visum est aptius, atque commodius, quam ad vacantis adhuc praepositurae praedictae suppressionem perpetuam procedi, ejus tamen ecclesiam satis amplam, et firmam, ac ab ipso plebano pro parochialibus muniis per apposite adhibitam, dum a propria exularet ecclesia, quae jam pridem alias fatiscens, modo ob graviora ei illata a Demanio damna nimios, ac fere impossibiles pro debita refectione sumptus exigeret in parochialem Altidonae, praevia utriusque populi tum plebaniae, tum praepositurae unione, et incorporatione destinari, atque constitui. Cuncta vero, et singula praepositurae bona seminario dioecesano jam in deterius collabenti propter censum oneribus substinendis imparem applicari, atque attribui.

Tenor pactorum exhibitorum in correspectivitatem bonorum assignandorum

§. 2. Primo, de vicario curato in auxilium parochi plebani pro tempore cum stipendio scutatorum octuaginta monetae Romanae nunquam minori assignando providere, qui vicarius praevio semper examine, ab ordinario eligendus, praeterquam quod in omnibus ad animarum curam pertinentibus auxiliari parocho debeat. Teneatur quoque in cunctis diebus, festis non exceptis diebus, explanare populo verba evangelii in missa, sive eam celebret antea, sive postquam parochus celebraverit, a quo etc. in missa sua erit explicandum evangelium adeo ut binas semper in quolibet festo evangelij explicationes audire populus valeat; alteram pro praepositura, alteram pro plebaniae parochia. Secundo: Onus itidem ferendum a seminario sit suppeditare quotannis parocho in subsidium pauperum praesertim praepositurae duo rubra frumenti unum ex tritico, et unum ex eo quod vulgus nuncupatur granturco - Tertio: Teneatur seminarium recipere, gratisque alere duos adolescentes de Altidona praesentandos a parocho cum approbatione vicarii foranei de quinquennio in quinquennium per quaternam, ex qua archiepiscopus duos magis sibi bene visos eliget, atque etiam rejiciet, si rejiciendi causam inveniet, aliosque substituat. Praefigatur autem tempus quinquennium, ut locus detur aliis de eodem castro successive educandis. Quod si in quinquennio absoluto deficiant omnino Altidonae juvenevoli denuo praesentandi eorum loco, qui praefixum educationis exegere curriculum, tunc facultas sit archiepiscopo longioris educationis spatium juvenibus in seminario manentibus pro suo lubitu indulgendi ac prorogandi. Quanto: In casu autem si forte contingat nullum quandoque adesse juvenem Altidonae in seminario educandum, toto tunc eo durante tempore solvet seminarium unam vel duas dotes in anno scutatorum viginti quinque pro qualibet dote tribuendam, seu tribuendas uni, vel duabus puellis virginibus Altidonae ortis, ac incolis, quas parochus orphanas semper praeferendo non orphanis seliget pro sui prudentia et conscientia, et cum attestatione vicarii foranei super earum paupertate, ac honestate in numero quatuor, vel sex proponat archiepiscopo, ut earum nomina maturiori ipsius probata, vel improbata judicio mittantur in urnam publice inde per sortem extraenda. Quinto demum: Postquam seminarium omnium et singulorum bonorum, redditum, atque proventuum cujusvis qualitatis atque naturae ad praeposituram spectantium formalem ceperit possessionem curam simul, obligationemque suscipiat sumptibus suis parochialem domum, ecclesiamque praepositurae perficiendi juxta quod per ordinarium pro tempore censeatur expediens, ac ordinetur. Quae cum sint Nobis humiliter supplicari fecisti, ut Nos in supra enarratis tibi opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor decretae suppressionis

§. 3. Nos igitur, qui pastorum curam, et studium in suarum ecclesiarum promovendis bonis, quantum cum Domino possumus adjuvare maximopere cupimus, te amplioribus fa-

voribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuis Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi plenam, et amplam facultatem cujus vigore, evocatis prius de jure ad id evocandis recensitam praepositurам perpetuo supprimere, eamque cum plebania praedicta absque ullius tamen praejudicio una simul unire, ac sacra aede s. Mariae ac s. Cyriaci ubi fundata est plebania, ob ejus vetustatem, et cladem ei nuper illatam prorsus relicta parochialem Altidonae in ecclesia s. Michaelis Arcangeli instituere, eique plebanum s. Mariae et Cyriaci in utriusque praepositurae, et plebaniae, populi parochum una cum juribus, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis praeficere; bona vero, jura, redditus, et proventus quosque praepositurae seminario istius dioecesis sub cunctis, et singulis, tum quoad vicarium curatum parocho assignandum, tum quoad educationem adolescentum, dotationem puellarum, et subministrationem frumenti pro pauperibus, tum denique quoad necessarias refectiones, assiduamque manutentionem parochialis ecclesiae praedictae, conditionibus, modo et forma superius expressis applicare in perpetuum, applicataque decernere libere, ac licite auctoritate Nostra apostolica possis, et valeas, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, ac impertimur. Volumus autem quod ecclesiam parochialem, et vicarium curatum sic, ut praemittitur, Altidonae instituendum, si et quando mensibus apostolicae Sedi reservatis eas quomodolibet vacare contigerit, tunc jura ejusdem Sedis pro nova illarum provisione omnino salva, et illaesa subsistat.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eo annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octigentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXIV.

Dat. die 4 octobris 1814, anno XV.

Facultas gestandi collare violaceum, et numisma cum flocculo serico ante pectus pendens pro canonicis ecclesiae cathedralis Collensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti non modo ad statum ecclesiarum omnium, quarum ab alto Nobis commissa est sollicitudo, animum intendimus, sed interdum externae etiam virorum ecclesiasticorum in illustrioribus templis Altissimo famulantium decorationi, atque honorificentiae consulimus, prout in Domino convenire arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni dignitates, et canonici ecclesiae cathedralis Collensis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsa ecclesia a felicis recordationis Clemente pp. VIII. praedecessore Nostro in cathedralem erecta, ac per alios Romanos pontifices aliis peculiaribus privilegiis ditata reperiatur, itemque antiquitatis laude, templi amplitudine, sacerdotum ibi Deo ministrantium probitate, et doctrina floreat, multum splendoris, et ornamenti ad ipsam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora incrementa susciperet, si ejusdem ecclesiae dignitates, et canonici novis decorationibus donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurre-

rint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis ecclesiae praedictae, ut ipsi collare violaceum, ac numisma cum flocculo serico ante pectus pendens, in cujus antica s. Michaelis Arcangeli protectoris ipsius capituli, et s. Martialis ejusdem ecclesiae titularis effigies sint insculptae, in postica vero effigies exprimatur unius summi pontificis ad eorum libitum capitulariter designati tam intra ecclesiam, quam extra eam palam gestare, illisque uti libere, et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et dignitates atque canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ejusdem ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum in Arce Gandulphi die quarta octobris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXXV.

Dat. die 2 novembris 1814. anno XV.

Concessio vexilli favore legionis Hungaricae, quae pontifici urbem reverso inservit in custodia corporis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Nihil unquam apostolica Sedes antiquius habuit, quam testimonia praebere, et monumenta relinquere gratiae, et beneficentiae in eos, qui Romanos pontifices peculiari devotione sunt venerati, ac sincerae pietatis officiis prosecuti, ut per haec argumenta, et eorum foveatur religio, et caeterorum fides perficiatur, atque Ecclesiae Dei amplitudo ex hinc ubique major accrescat.

Tenor concessionis

§. 2. Quum itaque ad Tarum, quo Nos vere proxime elapso Gallorum praefectus militum duxerat, fuissemus de manu ejus excepti a dilecto filio chiliarcho equite Adulpho barone de Prohaska, qui tunc praeerat legioni Hungaricae, cui nomen comitis Radetzky num. V., quumque idem Adulphus Parmam laeto, splendidoque apparatu comitatus Nos esset, et binae cohortes legionis hujusmodi ad Nostram usque almam urbem itineris, ac corporis Nostri fideles custodes fuissent, Nos idcirco, qui post etiam quam Romam pervenimus tales cohortes apud Nos remanserunt, sedulaque earum opera per aliquot menses usi sumus, ut tandem de praestantis, piaeque nationis Hungaricae, ac potissimum legionis praedictae religione in Deum, pietate in Ecclesiam, ac observantia, et reverentia in Nos, qui tot in eis virtutum signa oculis Nostris, nostrique animi vera cum satisfactione conspeximus, memoria perennis existat, ac in aetates posteras nunquam peritura pertranseat, vexillum quo in una icon b. M. v. Dominae Hungariae ad cujus pedes Nos ipsi suppliciter orantes, in altera vero facie carissimi in Christo filii Nostri Francisci imperatoris, ac regis apostolici stemma spectantur eidem legioni dono dari, atque has in forma brevis literas Nostras, quae de dono hujusmodi indubitanter testentur, post Nostram memorati vexilli benedictionem expediri mandavimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda novembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 11 novembris 1814 anno XV.

DLXXVI.

Ampliatio jurisdictionis episcopi Portuensis, et sanctae Rufinae.

Venerabili fratri Nostro Josepho episcopo Portuensi, et s. Rufinae S. R. E. cardinali ab Auria nuncupato.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Noster
Salutem et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ne jurisdictionis tibi competentis ratione ecclesiarum Portuensis, et s. Rufinae insimul unitarum, de quibus nuper tibi auctoritate apostolica provisum fuit, viribus dubitari unquam contingat super his, quae per te in urbe expedire contigerit, vel quae jam forsan expedita, reperiuntur providere, ac alias commoditatibus tuis consulere volentes motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis super hoc porrectae petitionis instantiam, sed ex certa scientia Nostra, ac de apostolicae, potestatis plenitudine, tibi ut in dicta urbe, et Romana curia omnimodam jurisdictionem, quam in Portuensi, et s. Rufinae ecclesiis, ac civitatibus, et dioecesibus de jure, usu, et consuetudine, aut alias ex indultis apostolicis habes, perinde ac si apud easdem ecclesias tuas, ac civitates, et dioeceses personaliter resideres, libere, et licite, ac in omnibus, et per omnia per te, vel alium, seu alios exercere possis, et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium nullo modo extensa, seu ampliata sit, seu esse quomodolibet censeatur, sed data facultas dumtaxat illam exercendi de uno ad alium locum, ut illa eisdem modo et forma exerceatur, ut in urbe praedicta exercetur, si in dictis civitatibus Portuensi, et s. Rufinae resideres, et non alias, ita quod non liceat tibi, seu a te deputatis, vel deputandis carcerari facere in eadem urbe aliquem tibi subditum Portuensis, et s. Rufinae dioecesum, ac multo minus alium tibi non subditum, neque aliquam executionem facere personalem, realem, vel mixtam extra praedictas civitates, et dioeceses Portuensem, et s. Rufinae, quodque nec tu, nec auditor, et judex, seu alius a te ad praemissa pro tempore deputandum jurisdictionem praedictam in urbe, et ejus districtu extra dioecesim Portuensem, et s. Rufinae earumdem vigore praesentium alias quam, ut praefertur, quoquomodo exercere possis, nec possint respective sub nullitatis actorum poena, et excommunicationis ipso facto per auditorem, ac judicem, aliosque praedictos incurrendae, ac etiam privationis officii quoad notarium, nisi eaedem praesentes Nostrae prius apud acta notarii registratae fuerint, ac insuper omnia, et singula per te, sive tuum auditorem, aliosque per te forsan deputatos, vel pro tempore deputandos, in his autem ad eamdem jurisdictionem ratione praedictarum ecclesiarum, civitatum, et dioecesum pertinent, quaeque tam voluntariae, quam contentiosae fuerint jurisdictionis, ac poenitentialis fori, jam forsan, juxta tamen earumdem praesentium tenorem, et non alias, acta, gesta, decreta, et mandata, ac quae deinceps similiter juxta earumdem praesentium tenorem, et non alias decerni, ac mandari contigerit, sententiasque tam interlocutorias, aut diffinitivas, seu definitivarum vim habentes in quibuscumque causis tam praesentibus, quam futuris, ferendas, ac etiam jam forsan latas, rata, et firma, validaque et efficacia esse, et fore, et nullo unquam tempore de jurisdictionis, et potestatis defectu, seu nullitatis vitio impugnari, invalidari posse volumus, decernimus, et declaramus. Nos enim tibi, ac tuis officialibus, quoscumque in curia, et extra eam etiam per aedictum publicum constito summarie, et extrajudicialiter de non tuto accessu citandi, illisque, et quibusvis judicibus quavis dignitate, et praeeminentia ecclesiastica, vel saeculari in ipsa curia praefulgeant, et erga subditos tuos Portuenses, et s. Rufinae; nec in causis quae ad tuam omnimodam jurisdictionem alias pertinent se intromittant, aut immisceant, ad illas ac illa ad tuam jurisdictionem omnino remittant, etiam per simile aedictum, et sub excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis etiam pecuniariis arbitrio tuo, et officialium tuorum imponendis, moderan-

dis, et applicandis, inhibendo, et contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, cogendo, et compellendo, ac irritum, et inane quidquid in contrarium per quoscumque factum, et attentatum est, vel fieri, seu attentari contigerit, decernendo, prout Nos sic per quoscumque judices, ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S.R.E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari debere decernimus, aliaque omnia juxta praemissorum formam, et tenorem necessaria, et quomodolibet opportuna faciendi, exercendi, et exequendi plenam, liberam, et omnimodam facultatem, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et impertimur, ac nihilominus ne etiam de viribus collationum, et provisionum per te in dicta urbe de quibusvis beneficiis Portuensis, et s. Rufinae ecclesiis, et civitatibus, et dioecesibus praedictis consistentium, et ad tuam collationem, provisionem, ac quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentium pro tempore factarum dubitari, ac haesitari contingat tibi, ut ipsas collationes, nec non etiam commendas de regularibus, si quae sint, et alias quasvis dispositiones hujusmodi in dicta urbe, et in praemissis hae solitae residentiae personalis aedibus data illarum apposita absque eo, quod propterea extra dictam urbem, seu aliquam ipsius portam te conferre tenearis, ac alias libere, et licite, valideque facere possis indulgemus, ipsasque collationes, provisiones, commendas, et alias dispositiones, sic per te faciendas, validas esse, et fore et illis quibus factae fuerint, etiam perinde ac si illas apud tuas ecclesias resideres, fecisses, et alias in omnibus, et per omnia suffragari debere similiter decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis, nec non stylo, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis, et judicibus sub quavis forma concessis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima novembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXVII.

Dat. die 18 novembris 1814 anno XV.

Facultas regi catholico concessa amicabiliter componendi lites, et contentiones omnes, quae inter capitula, episcopos, aliasque personas ecclesiasticas oriri possent, ac milites ordinum sancti Jacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, et B.V. de Montesa, ac de Conceptione ejusdem b. M. Virginis, ceu alias indulta fuerat Philippo secundo, et Philippo V., Carolo IV., aliisque regibus catholicis.

Carissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor literarum apostolicarum expeditarum a Gregorio XIII. favore cl. me: Philippi Secundi.

§. 1. Dudum a felicis recordationis Gregorio pp. XIII. praedecessore Nostro emanarunt literae in simili forma brevis clarae memoriae Philippo II. dum vixit, Hispaniarum regi catholico directae tenoris sequentis videlicet - A tergo - Carissimo in Christo filio Nostro Philippo Hispaniarum regi catholico - intus vero « Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem. Controversiis, et litibus olim in Romana curia, et extra eam coram diversis judicibus ordinariis, et delegatis inter archiepiscopos Toletanum et Hispalensem, ac episcopos Conchensem, Cordubensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem, et Oxomensem, eorumque capitula, et nonnullos alios ecclesiarum praelatos, et personas ecclesiasticas regnorum Hispaniae, ac priores milites, et alios fratres militiae sancti Jacobi de Spatha sub re-

gula sancti Augustini, eorumque conventus super jure decimandi, seu praestatione, et solutione quarumdam decimarum tam novalium, quam pecorum, et armentorum, rebusque aliis in actis causarum hujusmodi latius deductis, et illorum occasione pendentibus, aliis item, ut formidabatur, orituris, ut illae omnes amicabili concordia terminarentur felicis recordationis Clemens pp. VII. hortatu clarae memoriae Caroli V. Romanorum imperatoris Hispaniarum regis, et dictae militiae perpetui administratoris per Sedem apostolicam deputati genitoris tui per suas literas in forma brevis confectas eidem Carolo imperatori, regi, et administratori facultatem, et auctoritatem tribuit componendi, et concordandi lites, differentias, et controversias hujusmodi, seque inter partes praedictas interponendi, idipsumque postea piae memoriae Paulus pp. III. per alias suas similes literas illi commisit causas universas, et singulas praedictas ubicumque, quandocumque pendentes in eodem statu, quo pendebant ad suum beneplacitum, facta judicibus, et collitigantibus hujusmodi legitima intimatione, suspendendo, et ne durante hujusmodi beneplacito suo in causis praedictis quidquam innovaretur, inhibendo, decernens partes ipsas ad observandum quidquid per illum concordatum, aut amicabiliter compositum foret, omnino teneri, ac irritum, et inane quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, et subsequenter ad tollendum dubium, et sub illis verbis generalibus, et alios praelatos, et personas ecclesiasticas, caeteri archiepiscopi, et episcopi regnorum praedictorum comprehenderentur, ipse Paulus praedecessor per alias suas literas causas praedictas non solum inter Toletanum, et Hispalensem archiepiscopos, ac Cordubensem, Conchensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem, et Oxomensem episcopos, illorumque capitula hujusmodi in dictis literis, ut praefertur specialiter nominatos, sed etiam Granatensem, Compostellanum, et Valentinum archiepiscopos, nec non Pacensem, Burgensem, Carthaginensem, Giennensem, Malacitanum, Civitatensem, Salamantinum, Zamorensem, Seguntinum, Legionensem, Segobiensem, Albarizinensem, Calaguritanum et Pampilonensem episcopos, eorumque capitula, et quascumque personas ecclesiasticas in dictis regnis consistentes, ac ipsos priores, praeceptores, milites, et fratres, eorumque conventus, tam super decimis, et aliis rebus praedictis in ipsis literis expressis, quam etiam super jurisdictione, nec non jurepatronatus, seu praesentandi personas idoneas dictae militiae ad vicarias, praeceptorias, et alia beneficia ecclesiastica ejusdem militiae; illaque administrandi, regendi, gubernandi, et visitandi tam in dicta curia, quam extra eam coram quibuscumque judicibus ordinariis, et delegatis, etiam in causarum palatii apostolici auditoribus, ac S. R. E. cardinalibus in quavis instantia quomodolibet pendentes dicto suo beneplacito durante suspendit, illasque eidem Carolo imperatori per eum componendas, et concordandas, ita quod in illis in omnibus et per omnia juxta tenorem primo dictarum suarum literarum procedere libere, et licite valeret, perinde ac si in ipsis literis singulis, archiepiscopi, episcopi, capitula, et aliae personae praedictae specialiter nominatae fuissent de novo concessit, ac commisit; sed ipso Carolo imperatore, ac rege his vix caeptis, aut imperfectis relictis de medio sublato cum per similis memoriae Pium pp. IV. praedecessorem Nostrum accepto quod priores, milites, fratres, et clerici dictae militiae juxta privilegia eis a diversis Romanis pontificibus praedecessoribus suis concessa, nec non ipsius militiae consuetudines, usus, et stabilimenta ab immemorabili tempore ab eis observata integras decimas tam personales, et mixtas, quam etiam praediales intra terminos dictae militiae, extra vero personales, et mixtas, nec non praediales novalium praediorum suorum propriis manibus vel sumptibus cultorum exigere, et habere potuissent, et eatenus exegissent in quibuscumque, et quorumcumque praelatorum provinciis, et dioecesibus, seu districtibus, ubi eosdem milites, et fratres etiam laicos habitare, vel domicilia habere aut praedictos fructus, ex quibus eosdem solvere tenentur acquirere, colligere, nutrire

depasci, levare, et percipere contigeret; ipse Pius praedecessor animadvertens conducibile fore, ut hoc quoque negocium universum via compositionis, et concordiae hujusmodi terminaretur, et propterea volens non solum praedictas, sed etiam majores quae inter supradictos ortae, et suscitatae fuerant, et denuo nasci, oriri, et suscitari poterant lites, quaestiones, et differentias amputare, interim vero partes ipsas in possessionibus in quibus erant, manuteneri, et defendi; nihilque innovari debere; motu proprio, certaque scientia, et deliberatione suis omnes, et quascumque lites, causas, controversias, quaestiones, et differentias tam motas, quam quae moveri poterant in futurum ad se advocavit, et illas, decisionemque, et terminationem ipsarum suspendit, et tibi per recomponendas, et concordandas, ita quod in illis juxta praedictarum Pauli praedecessoris literarum continentiam, et tenorem, ac si illae tibi directae, et praesentatae fuissent in omnibus et per omnia ad suum, et Sedis apostolicae beneplacitum agere, et procedere libere, et licite valeres, commisit, et remisit, plenamque, et liberam licentiam et auctoritatem tibi concessit, prout in suis in eadem forma brevis confectis, et singulis aliis aliorum praedecessorum praedictorum literis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus negocio praedicto a te suscepto ita effectum sit, ut inter multos praedictorum pax, et tranquillitas, diligentia, et industria tuis sit subsequuta, cumque etiam similes, et aliae diversae lites, et quaestiones inter eosdem, et alios archiepiscopos, et episcopos, eorumque capitula, nec non praelatos, et personas ecclesiasticas tam saeculares, quam regulares ex una, et dilectos filios magistros, priores, praeceptores, milites, et alios fratres militiarum de Calatrava, et Alcantara Cisterciensis ordinis, eorumque conventus partibus ex altera super solutione decimarum tam novalium, quam pecorum, et armentorum, nec non jurepatronatus administratione, caeterisque juribus et jurisdictionibus supradictis, rebusque aliis in actis causae, et causarum hujusmodi latius deductis, et illarum occasione tam in dicta curia, quam extra eam motae jam sint, et in futurum oriri formidentur. Nos cupientes has quoque lites, quaestiones, et differentias eadem opera, et industria tuis componi, atque concordari earum status, et merita, ac judicum, et collitigantium nomina, et cognomina, caeteraque de necessitate exprimenda praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes omnes, et quascumque lites, causas, quaestiones, et differentias tam motas, quam quae moveri poterunt in futurum inter has posteriores partes ad Nos avocamus, et illas, illarumque decisionem, et terminationem ad Nostrum, et dictae Sedis beneplacitum, ita tamen quod interim partes ipsae in possessione, in qua existunt manuteneri, et defendi debeant, nihilque immutari queat, factaque judicibus, et collitigantibus hujusmodi legitima intimatione praesentium auctoritate suspendimus, easque universas, et singulas tibi per te concordandas, et componendas, ita quod Nostro, et Sedis hujusmodi beneplacito durante tu in illis pro hujusmodi concordia, et amicabili compositione te interponere, agere, procedere libere, et licite valeas, committimus, et remittimus, ac plenam, et liberam licentiam, et facultatem, ac auctoritatem concedimus, decernentes partes ipsas ad observandum ea omnia quae in praemissis per majestatem tuam concordata, ac amicabiliter composita, et terminata fuerint omnino teneri, et ad id efficaciter obligatos fore, nec ab illis ullo unquam tempore resiliri posse, nec non irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus quae in singulis literis praedictis concessum est non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi sub annulo piscatoris die vicesima octobris millesimo quingentesimo octuaginta quatuor, pontificatus Nostri anno decimo tertio «Caesar Glorierus «Loco ✠ annuli piscatoris.

Extensio facultatum ipsarum favore Caroli regis indulta ab Innocentio XII.

§. 2. Et subinde pro parte clarae memoriae itidem Caroli earumdem Hispaniarum regis catholici piae memoriae Innocentio pp. XII pariter praedecessori Nostro exposito, quod ipse facultatibus eidem Philippo regi, ut praefertur concessis ad effectum componendi lites, et controversias,

quae inter personas in praeinsertis literis persaepe oriri solebant pariformiter uti posse plurimum desiderabat. Idem Innocentius praedecessor eidem Carolo regi omnes, et singulas facultates memorato Philippo regi ab eodem Gregorio praedecessore concessas, sicut praemittitur, et attributas, ita ut idem Carolus rex ad effectum componendi lites, et controversias praedictas, tam tunc ortas, quam quae in posterum forsan oriri possent, uti libere, et licite valeret sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica concessit; et postmodum fel: rec: Clemens pp. XI praedecessor quoque Noster similes facultates supradicto Philippo regi, ut praefertur, concessas clarae pariter memoriae Philippo V. memoratarum Hispaniarum regi catholico impertitus fuit.

Concessio facta a Benedicto XIV. favore Ferdinandi regis.

§. 3. Demum piae memoriae Benedictus pp. XIV praedecessor itidem Noster easdem facultates clarae quoque memoriae Ferdinando dictarum Hispaniarum regi catholico concessit, et alias prout in eisdem Innocentii die xxix. martii MDCXCIII, et Clementis die xvii. julii MDCCXVI, ac Benedicti praedecessorum praedictorum in pari forma brevi die decima septembris MDCCXLVI expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectae a rege Ferdinando VII. pro simili facultate consequenda.

§. 4. Cum autem sicut majestatis tuae nomine Nobis expositum fuit, tu qui s. Jacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, et b. M. de Montesa, ac de Conceptione ejusdem b. M. militiarum respective administrator perpetuus dicta auctoritate deputatus existis, facultatem componendi extrajudicialiter quascumque lites, et controversias inter fratres milites militiarum hujusmodi ex una, et episcopos, capitula, aliasque ecclesiasticas personas ex altera partibus orta, et pendentes, ac in futurum exorituras juxta indultum primodicto Philippo regi a memorato Gregorio praedecessore, ut praefertur, concessum, tibi pariter a Nobis concedi plurimum desideres.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos majestatis tuae votis hac in re quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere cupientes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac litium, et controversiarum hujusmodi status et merita, nominaque, et cognomina, ac qualitates judicum, et collitigantium, et aliae quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et specificatis habentes eidem majestati tuae omnes, et singulas facultates memoratis Philippo II. Carolo, Philippo V. et Ferdinando regibus a praedictis Gregorio, Innocentio, Clemente, et Benedicto praedecessoribus, sic ut praemittitur, concessas, et attributas, ita ut tu illis ad effectum componendi easdem controversias et lites tum nunc ortas, et pendentes, quam in futurum orituras, pariformiter uti, servata tamen in omnibus, et per omnia memoratarum literarum forma, et dispositione, libere pariter, et licite possis et valeas ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus litium pendentiis, aliisque praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus, et singulis illis, quae tam in praeinsertis Gregorii, quam in aliis memoratorum Innocentii, Clementis, et Benedicti praedecessorum literis concessae sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava novembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 22. novembris 1814 anno XV

DLXXVIII.

Applicatio legati pii missarum in augumentum ecclesiae parochialis sanctae Luciae de Magnoli dioecesis Florentinae.

Dilecto filio Cajetano Niccolini vicario capitulari Florentino, archiepiscopali ejus sede vacante, auctoritate apostolica deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis fecit nuper dilectus filius Joseph Juvenis parochus ecclesiae curatae s. Luciae de Magnoli Florentinae civitatis, seu dioecesis, quod ipse, postquam possessionem curatae ecclesiae hujusmodi alias canonice suscepit, eamdem ecclesiam valde, ut asserit, congruae dotis defectu laborare adinvenit, quum nihil aliud extet, de quo certo, ac tuto disponi possit, nisi scutata sex istius monetae pro quolibet mense cum onere tamen impendendi de proprio quid quid opus est ad alendum cappellanum curatum, clericum sacristiae, famulumque ecclesiae, tum etiam ad provisionem utensilium, rerumque caeterarum, quas ecclesia ipsa pro decora ejus conservatione requirit. Quumque erecta existat in eadem ecclesia quaedam cappellania, seu pium legatum, cujus administratio a suo fundatore relicta fuit parocho pro tempore pro tot celebratione missarum, quot possunt in anno celebrari juxta redditum fundi ad id assignati, qui redditus tamen scutata viginti quatuor in annum minime excedit, ideo exponens redditum hujusmodi in augmentum congruae parochialis applicari per Nos plurimum cupit, redacto, praefixoque missarum numero in viginti tantum missas singulis annis celebrandas sine cantu, et unam cum cantu pro anniversario testatoris. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi constito apud te prius de narratis, et quatenus tu id magis in Domino expedire censueris, praevia reductione missarum praedictae cappellaniae, seu legati pii ad missas tantum viginti sine cantu, et unam cum cantu juxta mentem fundatoris modo a parocho exponente, ac in posterum a parochis ejus successoribus celebrandas quotannis, reliquum fructum, redditumque ex memoratae cappellaniae, seu legati fundo provenientem, auctoritate Nostra apostolica applicandi, applicatumque in perpetuum pro augmento dotis supradictae parochialis ecclesiae pro tui conscientia, et prudentia decernendi, ac declarandi facultates necessarias, et opportunas eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus, conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non memoratae fundationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, aut firmitate alia roborata, cui ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda novembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 22 novembris 1814. anno XV.

DLXXIX.

Assignatio bonorum, ex quorum reddi- tu suppleri debeat expensis necessariis ad explendam quolibet anno expositionem sacratissimi sacramenti Eucharistiae in ecclesia parochiali sancti Petri de Celeiros dioecesis Bracarensis.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Bracarensis, metropolitana ejus sede vacante, legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Tenor concessionis.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii Joseph Alves Pinto Villar, ac Eleonora Maria Leocadia conjuges paraeciae s. Petri de Celeiros in districtu Villae Regalis istius Bracarensis dioecesis, quod ipsi cultum, ac devotionem erga augustissimum Eucharistiae sacramentum pro viribus suis promovere cupientes, se, suaque bona omnia obligare intendunt pro institutione perpetua fundi, de cujus redditu eruantur expensae, quae opus sint, ut quolibet in anno prima dominica mensis idem Sacramentum possit publice exponi in supradicta parochiali ecclesia cum triginta tamen cereis tantum, licet communiter ista in dioecesi pro expositione hujusmodi quadraginta soleant ubique accendi, ac etiam cum facultate administrandi tam per se ipsos, quam per suos successores in infinitum ea bona, quae ad hujusmodi effectum erunt nunc ab ipsis constituenda. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi, ac successoribus Nos opportune providere, ac benigne ut infra indulgere dignaremur.

Conditiones concessioni adnexae.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratis, licentiam, et facultatem cujus vigore praedicti exponentes idoneum fundum de bonis suis pro memorata sanctissimi Sacramenti expositione in praedicta parochiali ecclesia facienda singulis primis dominicis cujuscumque mensis assignare, fundique ipsius administrationem penes se, suosque in infinitum successores specialiter servare libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium indulgeas, atque concedas.

Conditio concessioni adjecta.

§. 3. Ita tamen, ut eorum bona omnia, et singula pro securitate fundi ad id assignandi solemni instrumento in perpetuum maneant obligata, nec non in assignatione fundi praedicti habeatur etiam ratio pro ministris altaris, pro utensilibus ecclesiae, ac pro reliquis rebus, ac expensis ad hujusmodi expositiones requisitis, et consuetis, concesso tantum iisdem, ut loco quadraginta cereorum, possunt exhibere solum triginta, derogando usui communi istius dioecesis, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda novembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 6 decembris 1814 anno XV

DLXXX.

Temporanea concessio fructuum omnium beneficiorum ecclesiasticorum vacantium in regno Sardiniae, erogandorum a rege Victorio Emmanueli in subsidium ecclesiasticorum ejusdem regni.

Carissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Ex parte majestatis tuae expositum Nobis nuper fuit, te, divina favente gratia, ad tuos continentales status tandem aliquando reversum illud in primis cogitasse, et velle, ut lethalibus vulneribus, quae superiorum temporum injuria, rebus quoque familiaribus mensarum episcopalium, et capitulorum cum cathedralium, tum collegiatarum ecclesiarum, ac seminariorum itidem episcopalium, aliarumque religiosarum institutionum illata sunt, validum, ac stabile remedium quam citissime adhibeatur, atque pro eo, quo flagras, semperque flagrasti religionis zelo, perspecto Nobis quidem, et probato, omnia in pristinum redigantur statum. Hoc tam necessarium, et salutare consilium a te bene, sapienterque susceptum vehementer in Domino commendamus, atque ad illud plane exequendum omnem operam, studium, laborem, et auctoritatem Nostram libentissimo sane animo collaturi sumus. Quoniam autem (sicut in eadem expositione additum erat) rem tantam aggredi non censes, neque eam celerius confici posse putas, nisi prius urgentissimis multorum ecclesiasticorum de Nostra sancta religione, et humana societate optime meritorum, curamque animarum habentium, et extrema ferme inopia laborantium virorum necessitatibus occurratur; Nobis propterea ejusdem majestatis tuae nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur firmissima spe adducti, fore, ut res ecclesiasticae hujusmodi eversae in pristinum, quo citius fieri poterit, quemadmodum a primis praeclarisque verbis Nobis declarasti per te, et Nos simul reducantur ordinem, eidem majestati tuae annuere volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, majestati tuae, ut donec, et quoad temporales res ecclesiasticae praedictae rationibus, et modis inter Nos ambos, et hanc apostolicam Sedem mox conciliandis, et statuendis recomponantur dumtaxat, et in tuis continentalibus dominicis tantum mensarum episcopalium, abbatiarum, dignitatum canonicatuum, beneficiorum etiam residentiae vacantium, (illis tamen exceptis quae sunt de jurepatronatus) et quorumcumque aliorum bonorum ecclesiasticorum actuali possessore carentium ab ecclesiasticis quoque personis administratorum fructus etiam adhuc decursos, redditus, et proventus quoscumque ab ecclesiastico viro in dictis dominiis pro administratione bonorum hujusmodi vacantium facienda per Nos jam deputato percipere, et in subsidium personarum ecclesiasticarum indigentium, ac de religione benemeritarum, itemque in alios misericordiae, et charitatis usus dumtaxat pro tua prudentia, et conscentia erogare, atque impendere, expletis tamen omnibus, et singulis oneribus unicuique dictarum ecclesiasticarum institutionum respective adnexis, detractisque pecuniarum summis subministrandis novis episcopis rite eligendis tam pro impensis per ipsos in itinere ad hanc urbem Nostram, et aliis in eadem urbe de more faciendis, quam in suarum respective ecclesiarum possessione capienda, libere, et licite possis, et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium quamcumque opportunam, et necessariam facultatem tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, quorum interest, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictarum mensarum episcopalium, et ecclesiarum, et institutionum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolutis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Conditio concessioni adjecta.

§. 5. Caeterum ad arcendam suspicionem, quae in quorumdam praesertim animis facile suboriri posset, ne quis ex tuis ministris praedictos fructus in alios usus distrahat, volumus, et declaramus, ut uno saltem tibi bene viso episcopo, aut alio in ecclesiastica dignitate constituto viro morum integritate, abstinentia, et bona fama conspicuo in auxilium pro hujusmodi redditAuum distributione facienda utaris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXXXI.

Dat. die 6 decembris 1814 anno XV.

Concessio collaris violacei, et crucis parvae cum aurea catenula ante pectus gestandae pro canonicis ecclesiae cathedralis Pistoriensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio concessionis.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes decorationibus etiam externis interdum afficimus praeclaros illos ecclesiasticos viros, qui in templis magis conspicuis Altissimo famulantur, quique patientiae, firmitatis, et sincerae in Nos, et hanc apostolicam Sedem devotionis ne difficillimis quidem temporibus edere destiterunt.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii capitulum, dignitates, et canonici cathedralis ecclesiae Pistoriensis Nobis nuper exponi fecerunt, capitulum ipsum variis insigniis in sacris functionibus exercendis (ut asseritur) ornatum jam a felicis recordationis Clemente pp. XI. et Benedicto pp. XIV. praedecessoribus Nostris reperiatur, multum splendoris ad ipsum accederet, et divinus cultus, populique devotio majora incrementa susciperet, si nova aliqua decoratio etiam extra ecclesiam gestanda per Nos, et Sedem praedictam adderetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, attentis desuper relationibus venerabilis fratris Francisci episcopi Pistoriensis, et quo firmius, ac sine intermissione in imo cujusque pectore haereat » neminem esse posse Christi Domini discipulum, nisi crucem bajulaverit suam », ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et

canonicis dictae cathedralis ecclesiae, ut ipsi collare violaceum ubique parvam quoque crucem auream perexiguae catenulae simili adjunctam ante pectus appensam palam gestare libere et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXXXII.

dat. die 9 decembris 1814. anno XV.

Communicatio privilegiorum apostolicis missionariis, alias concessorum pro presbyteris de Oratorio congregationis sancti Philippi Nerii civitatis Limanae.

Dilecto filio Gregorio Antonio Tambino, et Lama presbytero congregationis de Oratorio nuncupatae s. Philippi Nerii Limanae civitatis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis Nos adducunt, ut te specialibus favoribus, et gratiis prosequamur liberales.

Expositio precum

§. 2. Quum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, presbyter congregationis de Oratorio s. Philippi Nerii alumnus, et missionum, quae per alumnos ejusdem congregationis tam Limae, ejusque suburbiis, quam aliis in locis exercentur, praefectus a tuis superioribus constitutus existis, in Domini idcirco vineam sacris missionibus, et praedicationibus excolendam praecipue incumbas, et ad christianos populos majori erga ministerium tuum hujusmodi reverentia excitandos, uberioresque e laboribus tuis fructus colligendos, titulo missionarii apostolici; tam pro te, quam pro consociis tuarum missionum condecorari cupias, humiliterque a Nobis deposcas.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos te in laudabili opere hujusmodi confovere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuis inclinati, tibi, ut tam teipsum, quam tuos missionum socios, ac tempore missionum tuarum una tecum insimul laborantium missionarios apostolicos nominari; et nomine, ac titulo missionariorum apostolicorum, nec non gratiis, et privilegiis hujusmodi titulo adnexis uti, frui, et gaudere libere, et licite possitis, et valeatis ita tamen, ut ordinariis locorum ubicumque missiones, concionesque sacras concomitantes habueritis in omnibus, et per omnia tam tu, quam socii tui subjaceatis, nec ultra eas, quas iidem ordinarii vobis pro utroque foro tribuerint facultates, tam in missionum exercitio quam extra, vos unquam extendatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona decembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 12 decembris 1014 anno XV.

DLXXXIII.

Revocatio facultatum visitatori apostolico concessarum in regno Hispaniarum pro explenda reformatione ordinum religiosorum.

Dilecto filio Nostro Aloisio S. R. E. presbytero cardinali de Bourbon nuncupato metropolitanae ecclesiae Toletanae ex concessione, et dispensatione apostolica praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem

Proemium.

§. 1. Usu identidem venit in Christiana republica, ut quae ad rectam hominum disciplinam constitutae sunt regulae sicut personarum, locorum, ac temporum conditioni valde initio viderentur congruere, ita postea aut pro novorum consideratione factorum, aut pro vi, et necessitate rerum, temperari, relaxari, ac aliter oporteret disponi.

Ratio, et tenor revocationis.

§. 2. Quum itaque sicut accepimus, efferati immanitas belli, ex quo nunc denique, miserante Deo, emersit Hispania, non modo isthic civiles, sed ecclesiasticos etiam ordines, ac potissimum regulares luctuose faedaverit; Nos dum miseram omnium paterne ingemiscimus sortem, ad regularia instituta, tum quia bene semper de Ecclesia merita, tum quia speciali apostolicae Sedis moderamini reservata sollicitiori studio intenti, illud primum perspicimus animo, quod claustrales Hispaniarum viri suis undique sedibus deturbati, post longi temporis vitam, quam fere exleges duxerunt, acrioribus nunc ad universa ipsorum instauranda corpora remediis egeant, quam quae pro iisdem adhuc viventibus in communi, praesulumque sub virga manentibus ad suarum observantiam legum redigendis, opus esse putavimus. Quamobrem antequam quidpiam aliud de nova, uti par est statuamus visitatione, quam certe quemadmodum fore opus periculosae aleae plenum, ac odiorum quoque pro nationali praesertim Hispano, si eam assumpserit, forte non vacuum praevidemus, ita Nos a tua specialiter Nobis accepta, et tot simul principis, metropolitani, primatis, ac S. R.E. cardinalis insignibus cumulata persona molestiam, invidiamque omnem distinere maxime praeoptamus; priori visitationi, quam per apostolicas Nostras quarto idus septembris anno millesimo octingentesimo tertio in simili forma brevis expeditas literas circumspectioni tuae commisimus, auctoritate apostolica tenore praesentium finem imponimus, illamque cessasse, ac finitam omnino esse, et fuisse decernimus, et declaramus. Demum facultates, quibus te ad perficiendam visitationem illam eisdem literis exornavimus, et communivimus, omnes et singulas praesentibus revocantes et revocatas censentes, te ab illius onere, ac labore levatum volumus, liberumque, ac penitus absolutum: haud dubie confisi de caetero hanc, quae tuam praecipue respicit et quietem, et decus, deliberationem Nostram tibi ipsi pergratam futuram, teque acta visitationis a te hactenus gestae propediem ad Nos transmissurum.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus praedictis literis Nostris, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 16 decembris 1814. anno XV.

DLXXXIV.

Reservatio fructuum perpetui beneficii ecclesiastici erecti in ecclesia collegiata sanctae Mariae de Castello villae de Torres-Vedras dioecesis Lisbonensis favore fratrum de Azevedo Torres, et successorum.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Lisbonensis, illius patriarchali sede vacante, legitime deputato.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Dignum esse arbitramur, ut eos specialibus gratiis prosequamur, quos virtutum meritis praeditos esse accepimus. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus prior ecclesiae matricis, et (ut asseritur) collegiatae ecclesiae s. Mariae de Castello villae de Torres Vedras istius Lisbonensis dioecesis, quod cum unum perpetuum ecclesiasticum beneficium personalem forsan residentiam requirens in dicta ecclesia de antiquo patronatus jure (ut etiam asseritur) regis fidelissimi erectum vacaverit, et vacet, ipse prior utpote donatarius hujusmodi regii jurispatronatus quemadmodum pariter adfirmatur, dilectum filium Josephum Joachimum Estevaens Salgado Vaz presbyterum Lisbonensis, seu alterius civitatis, vel dioecesis ad beneficium hujusmodi nominavit, seu nominare, et praesentare intendit,cum expressa tamen conditione consentiendi reservationi pensionis annuae praecipuae, et liberae ab omni onere, excepto tantum illo partis proportionalis decimae ecclesiae, ac anno « do morto » nuncupato super omnibus, et singulis dicti beneficii proventibus in summa scutatorum centum monetae Romanae favore dilecti filii Emmanuelis - Josephi Delegado de Azevedo Torres clerici, seu scholaris ejusdem Lisbonensis, seu alterius civitatis vel dioecesis, ut ipse Emmanuel Altissimo in ecclesiastico statu famuletur, et quatenus ipse vel decedat, aut regularem, vel saecularem statum amplectatur, aut beneficium, seu aliam pensionem annuam scutorum centum dictae monetae excedentem obtineat, tunc in quolibet eventu cessationis pensionis hujusmodi eadem pensio scutorum centum eo ipso devoluta censeatur favore dilecti itidem filii Joannis Josephi de Azevedo Torres sui germani fratris, dummodo huic nullum canonicum ad id obstet impedimentum, ac caeteroquin aptus, et idoneus reperiatur. Quoniam autem id fieri nequit, sine speciali Nostro, et hujus apostolicae Sedis indulto, Nobis propterea memoratus prior humiliter supplicari fecit, ut sibi, aliisque supradictis personis in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsum modernum priorem, dictosque Josephum, Emmanuelem, et Joannem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, discretioni tuae, attento quod sedes patriarchalis Lisbonensis nunc vacat, per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, beneficium praedictum cum omnibus juribus, et pertinentiis suis eidem Josepho Joachim auctoritate Nostra apostolica conferas, et adsignes, pensionemque praedictam super singulis ejusdem beneficii fructibus, et proventibus certis, et incertis per ipsum Josephum, ejusque in beneficio hujusmodi successores modo, et forma, et conditionibus supra expressis annuatim in terminis inter partes statutis, seu statuendis, datam tamen praesentium minime praecedentibus, nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit eo ipso, sub consuetis sententiis, censuris, et poenis constituas, et adsignes.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus,

et ordinationibus; nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque, aut si Josepho Joachimo, et successoribus praedictis, vel quibusvis aliis conjunctim, seu divisim ab hac s. Sede fuerit indultum, quod ad solutionem alicujus pensionis minime teneatur, et ad id compelli, atque interdici, suspendi, seu excommunicari non possint per Nostras apostolicas literas non facientes expressam mentionem, ac de verbo ad verbum hujusmodi indulti. Coeterum per praesentes non intendimus praedictum juspatronatus in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXXV.

Dat. die 23 decembris 1814 anno XV.

Magistratui civitatis Anagninae indulgetur, ut in publicis functionibus praecedi possit a duobus accensibus, vulgo Mazzieri, quorum unus clavam, alter umbellam deferat.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Paterna, quam de Nostris, et hujus apostolicae Sedis in temporali quoque dominio subditis fovemus, cura, et sollicitudo Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus eo libentius annuamus, quo firmior eorum in Nos, et Sedem camdem fides, ac devotio apparet.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque civitas Nostra Anagnina dilecto filio Nostro Romualdo S. R. E. diacono cardinali Braschio de Honestis apud Nos, dictamque Sedem protectore gaudeat, ac civitatis ipsa inter alias nobiliores civitates, ex quibus fratres milites hospitalis s. Joannis Hierosolymitani recipi possunt, adscripta reperiatur, quippe quae antiquitatis laude, territorii amplitudine, sacrarum aedium splendore, religiosorum conventuum, numero, ac civium probitate floret, atque a remotissimis temporibus ita floruit, ut ex ejus gremio non modo quatuor sanctae virgines, et martyres, et beatus nuncupatus Andreas de Comitibus, verum etiam quatuor summi pontifices praedecessores Nostri pastorali zelo, et doctrina praestantes prodierint, ac demum quoque serva Dei Claudia De-Angelis (cujus admirabilem vitam vix typis editam libentissime legimus) ortum duxerit. Cumque magistratus habeat morum integritate, et prudentia pollentes.

Tenor concessionis

§. 3. Nos civitatem eamdem, ejusque communitatem, et homines specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae civitatis Anagninae magistratibus, ut ipsi unum accensum vulgo « mazziere « cum clava, et alterum cum umbella publice secum gestare, illisque in publicis quibuscumque actibus, et functionibus uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ipsius civitatis, aliarumque civitatum status Nostri pontificii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia decembris, millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat die 16 januarii 1815 anno XV.

DLXXXVI.

Concessio coenobii nuncupati beatae Mariae virginis Gratiarum facta fratribus minoribus sancti Francisci de observantia, et applicatio bonorum praedicti coenobii favore seminarii episcopalis civitatis Manleani dioecesis Sabinensis.

Venerabili fratri Nostro Laurentio episcopo Sabinensi S. R. E. cardinali Litta nuncupato.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Noster
Salutem et apostolicam
benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecisti Nobis in civitate Manleanensi tuae istius Sabinensis dioecesis quoddam coenobium sub titulo beatae Mariae Virginis Gratiarum, quod transactis temporibus ad dilectos filios fratres ordinis ejusdem beatae Mariae Virginis de Mercede excalceatos nuncupatos spectabat, erectum extare, cujus in ecclesiam, ubi icon praelaudatae b. M. v. colitur, non solum cives, sed circumstantes etiam populi magno devotionis fervore compulsi, ac gratam miraculorum, et gratiarum memoriam recolentes certatim concurrunt. Ast dolentibus maxime publicis repraesentantibus memoratae civitatis, universisque illuc confluentibus, quod ob deficientiam praedictorum fratrum quorum ita exiguus est numerus, ut in dicto coenobio eos habitare impossibile sit; ecclesia pene deserta, populique spiritualibus auxiliis destituti adhuc remanent, tu pastorali tua sollicitudine solamen praebere cupiens, coenobium praedictum una cum ecclesia fratribus minoribus de observantia s. Francisci nuncupatis in perpetuum incolendum tradere, exigua vero bona ad memoratum coenobium spectantia, quae adhuc existunt, in utilitatem seminarii istius Sabinensis dioecesis, vel in supplementum congruae, quae alicui parocho praedictae tuae dioecesis deficiat, applicare aequum esse ducis. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur qui pastorum curam, et studium in suarum ecclesiarum promovendis bonis, quantum cum Domino possumus, adjuvare maximopere cupimus, te amplioribus gratiis, et favoribus prosequi volentes et singulares personas, quibus Nostrae praesentes literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, circumspectioni tuae plenam, et amplam facultatem recensitum coenobium cum ecclesia illi adnexa a fratribus praedictis relictum in dicta civitate Manleanensi existens dilectis filiis ministro generali, et fratribus minoribus de observantia s. Francisci nuncupatis libenter, ut asseritur acceptantibus una cum horto aut hortis adnexis, exceptis tamen aliis bonis stabilibus tum ecclesiae, tum coenobio praedictis spectantibus, in perpetuum auctoritate Nostra apostolica concedendi, et assignandi. Bona vero stabilia, jura, redditus, et proventus ad praesens existentes ejusdem coenobii seminario Sabinensi, vel alicui congruae parochiali tuae dioecesis ex parte vel in toto pro data tibi a Domino prudentia distribuendi, et applicandi in perpetuum, supportatis tamen oneribus iisdem bonis respective adnexis, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac etiam praedicti ordinis fratrum b. M. v. de Mercede redemptionis captivorum excalceatorum statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostoli-

cis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub anuulo piscatoris die decima sexta januarii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 16 januarii 1815 anno XV.

DLXXXXVII.

Repristinatio numeri magistratus Eugubini cum extensione durationis officii ad semestre.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Philippus Ondedei, Ubaldus Magni, Ubaldus Paulucci, et Hieronymus Muscinelli publici civitatis Nostrae Eugubinae repraesentantes, quod cum octonarius diversarum classium numerus magistratum per ejusdem civitatis statutarias disposit ones antiquitus statutus, et retentus, successive ob idoneorum virorum penuriam per generalia istius civitatis comitia anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto 1774 habita ad quaternarium fuerit redactus, hac penuria cessata per similia comitia anno millesimo octingentesimo quinto 1805 congregata deliberatum fuit esse Nobis supplicandum pro prioris numeri magistratus hujusmodi repristinatione, ac simul pro extensione eorum officij durationis ad semestre, quoniam trimestralis duratio adhuc observata minus apta videbatur ad res publicas tractandas, atque conficiendas. Quamquam autem sicut in eadem expositione additum erat jam ex eo tempore preces Nobis desuper oblatae fuerint; tamen ob retardatas informationes, et ob superventas longissimas temporum calamitates inconfecta res remansit; Nobis propterea dicti repraesentantes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur dictos repraesentantes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, magistratuum numerum dictae Eugubinae civitatis, ad octo, ut antea ex civibus diversarum classium componendum, auctoritate apostolica tenore praesentium restituimus, et repristinamus, atque uniuscujusque magistraturae hujusmodi tempus ad sex menses tantum durandum fore decernimus, constituimus, et mandamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque repraesentantibus plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus a quocumque quavis aucto-

ritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ipsius civitatis Eugubinae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ac expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta januarii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto decimo.

Dat. die 19 januarii 1815 anno XV.

DLXXXVIII.

Subrogatio judicis in causis ecclesiasticis definiendis a metropolitano Strigoniensi

Venerabili fratri
Stephano archiepiscopo Agriensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Quoniam ob longam vacationem ecclesiae metropolitanae Strigoniensis, et ob grandaevam aetatem venerabilis fratris Ladislai archiepiscopi Colocensis nomine carissimi in Christo filii Nostri Francisci imperatoris Austriae, ac Hungariae regis apostolici, et Bohemiae regis illustris Nobis fuit expositum, quod multae catholicorum in Hungariae regno degentium causae vel de jure, vel ex legitimo privilegio ab iisdem metropolitano Strigoniensi, et archiepiscopo Colocensi in gradu appellationis cognosci solitae cum maximo subditorum suorum detrimento haereant indecisae, Nos, qui te supradicto imperatori Francisco gratum, et acceptum agnovimus, quique de tua fide, sapientia, doctrina, integritate, deque aliis virtutibus tuis plurimum in Domino debemus confidere, te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, fraternitati tuae ad omnes, et singulas causas dumtaxat, quae in praesentiarum apud praefatarum Sedis metropolitanae Strigoniensis, et archiepiscopatus Colocensis ecclesiasticum respective forum legitimo quovis jure per Hungariam sint introductae in gradu appellationis tantum, servatis servandis cognoscendas, et definiendas auctoritate apostolica tenore praesentium plenam tribuimus facultatem, tibique in delegatione hujusmodi exercenda eamdem facultatem, et auctoritatem, quae ad pro tempore existentem archiepiscopum Strigonensiem, et ad praedictum Colocensem archiepiscopum legitime quomodolibet spectaret, ita ut tu quascumque jam introductas causas civiles, criminales, mixtas, et matrimoniales in dicto appellationis gradu cognoscere, audire, committere, fineque debito terminare, contra delinquentes prout juris fuerit procedere, eosque corrigere, mulctare, ac punire libere, ac licite possis, et valeas, prout quilibet ex antedictis archiepiscopis posset, et valeret, pro hâc vice concedimus, et impertimur. Mandantes propterea venerabilibus fratribus in Hungaria existentibus episcopis, et dilectis filiis dignitatibus, et canonicis, aliisque dicti regni Christifidelibus, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit, ut te in appellationis judicem a Nobis sic, ut praefertur, delegatum recipiant, et admittant, tibique in officio hujusmodi faveant, et obediant.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum Strigoniensis, et Colocensis, aliarumque praefati regni ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et con-

suetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona januarii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXXXIX.

Dat. die 19 januarii 1815 anno XV.

Concessio missae beatae Mariae Virginis nuncupatae « *del Miracolo* « pro ecclesia sancti Francisci civitatis Limanae,

Venerabili fratri archiepiscopo Limano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum

§. 1. Nomine dilectorum filiorum modernorum cappellani et sindaci cappellae sub titulo Nostrae Domine vulgo « del Miracolo « adoptatae, seu adgregatae conventui magno nuncupato s. Francisci Limanae civitatis, quod ad augendam erga Deiparam devotionem, et cultum valde conferret, si sabato sancto, in dicta cappella postquam divina officia in ecclesia metropolitana expleta fuerint, missa una votiva ejusdem beatae Virginis celebraretur cum cantu, quemadmodum pro multis aliis istarum regionum ecclesiis id concessum fuisse asseritur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, una missa votiva, expletis officiis ut supra de b. Virgine etiam cum cantu per sacerdotem a te singulis annis eligendum in dicta cappella, servata in reliquis rubricarum generalium dispositione, celebrari possit, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et prudentia concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona januarii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 26 januarii 1815 anno XV

DXC.

Concessio facultatum pro superiore missionum Hollandiae ad effectum corrigendi nonnullos abusus irreptos in ecclesia, et capitulo cathedralis Mechliniensis in Belgio, aliisque dioecesibus ejusdem regni.

Dilecto filio Aloisio Ciamberlani presbytero protonotario apostolico, ac cubiculario Nostro secreto, et missionum Hollandiae vice superiori.

Pius PP. VII.

Dilecte fili,
Salutem et apostolicam benedictionem.

Significat pontifex moleste accepisse inolescere abusus omnino eliminandos, illosque extirpare praecipit omnibus adhibitis remediis.

§. 1. Nihil sane molestius afferri potuit Nobis, quam quod nuper accepimus circa loca non solum in Mechliniensi, sed in aliis quoque Belgii dioecesibus existentia, ubi plures inolescere abusus fide dignis apud Nos testimoniis pro certo et comperto affirmatur. Ea itaque Nos, qua universum complectimur Domini gregem, pastorali sollicitudine isthuc quoque, ne radices zizania agat altiores, statim mentis Nostrae oculos intendentes, ac de te plurimum ob spectatam pietatem, doctrinam, prudentiam, aliasque eximias virtutes tuas apud Nos commendato, specialem in Domino fiduciam habentes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quasi forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, tibi facultates omnes necessarias, et opportunas etiam speciali mentione dignas, quorum vigore spiritualia negotia in illis locis pertractare, ac praesertim illas personas nimio fervore accensas, ac super opinionum varietate inter se discrepantes ad rectam uniusmodi cogitandi formam reducere, irreptos abusus reformare, collapsam disciplinam restituere, delinquentes coercere, contumaces poenis canonicis plectere.

Vetat archiepiscopo de Pradt Sedis possessionem concedere, et mandat subrogari alium vicarium in locum Forgeur, et Huleu jam electos:

§. 2. Insuper capitulo cathedralis Mechliniensis praedictae facere notum ex parte Nostra, atque vetare,

ne archiepiscopum de Pradt absque nova, et ulteriori Nostra, et hujus s. Sedis dispositione in possessionem illius archiepiscopalis Sedis immittat; demum duobus vicariis generalibus Forgeur, et Huleu novum vicarium auctoritate apostolica constitutum in persona dilecti filii Lantschete, aut alterius ex canonicis praedictae catedralis, si magis expedire censueris, substitueris, ac ea omnia, quae ad praedictorum locorum utilitatem, rectumque ordinem necessaria sunt statuere libere, ac licite possis, et valeas, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur; expresso tamen sub onere, ut Nos quamprimum de rebus a te perpetratis, deque remediis utilibus, et ad rerum praedictarum necessitates prudenter accomodatis, atque illico adhibitis fideliter facias certiores; ac tandem de iis omnibus, quae ad propositum, optatumque finem aptiora sint, ac in posterum peragenda, animum tuum Nobis libere aperias.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta januarii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 27 januarii 1815 anno XV.

DXCI.

Facultas subdelegandi presbyteros, qui benedicant sacras supellectiles in dioecesi Burgensi, concessa archiepiscopo praedictae dioecesis.

Venerabili fratri
Emmanueli archiepiscopo Burgensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod, ut sacra ecclesiarum tuae dioecesis supellectilia citius benedicantur, pro hujusmodi episcopalibus benedictionibus faciendis presbyteros

subdelegare posse plurimum desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut ad tui vitam vicarium generalem pro tempore existentem, et canonicos ecclesiae metropolitanae praepositos, archipresbyteros, parochos, ecclesiarum rectores, vicarios foraneos, aliosque tibi benevisos tuae dioecesis sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos pro benedictione sacrae supellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur, subdelegare libere, et licite possis, et valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et quamcumque tribuimus ad id opportunam, et necessariam facultatem.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima septima januarii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DXCII.

Dat. die 11 februarii 1815 anno XV.

Erectio clericorum regularium Societatis Jesu Ferentini in Hernicis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Ea fuit superioribus temporibus omnium ecclesiasticarum, divinarumque rerum perturbatio, ac prope eversio, ut novis malis nova prorsus sint adhibenda remedia, prout melius in Domino expedire cognoscimus, atque a saniore civitatum Nostrarum parte exoramur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, modernique magistratus civitatis Nostrae Ferentini, quod ob deficientiam praesertim idoneorum magistrorum, qui adolescentes in christiana disciplina, et humanis literis instituant, nonnulli errores ibi, et in aliis finitimis locis irrepere coeperunt; ideoque ad eos radicitus evellendos, itemque ad praecavendum, ne nova zizania in medio tritici suboriantur, nihil magis expedire putant, quam ut in dicta civitate collegium instituatur clericorum regularium renascentis Societatis Jesu.

Ratio concessionis.

§. 3. Quoniam vero, sicut in eadem expositione additum erat id fieri plane nequeat ex redditibus bonorum pro publicis gymnasiis sustinendis ibidem attributorum, qui redditus annuam scutatorum ducentorum monetae Romanae summam non excedunt, idcirco ad tam salutare opus perficiendum, ecclesiam, et aedificia adnexa, et bona non alienata, quorum annui redditus scutorum circiter mille ejusdem monetae esse dicuntur, conventus s. Francisci fratrum ordinis minorum ejusdem sancti Conventualium nuncupatorum in dicta civitate existentis pro collegio societatis praedictae ibidem instituendo per Nos, et hanc sanctam Sedem assignari, atque in perpetuum attribui plurimum cupiunt, cum superstites ipsius conventus fratres in aliis ejusdem ordinis conventibus se recipere possint ob imminutum eorumdem fratrum numerum. Nobis propterea supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra in-

dulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio congregationis cum assignatione bonorum.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregationis super reformatione deputatae, ad quos supplicem libellum hujusmodi remiseramus, consilio, ac de mandato ipsius congregationis, referente dilecto filio magistro Josepho Morozzo alterius congregationis venerabilium itidem fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium negociis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum secretario, ecclesiam, et conventum praedictum s. Francisci, eorumque aedes, ac omnia, et singula non alienata bona stabilia, et mobilia cum suis respectivis juribus, et pertinentiis universis, itemque cum adnexis oneribus missarum, et aliis, si quae fuerint, nec non alia stabilia bona quaecumque pro publicis scholis, et magistris in dicta civitate sustinendis adhuc fixata in dotationem, et pro dotatione collegii clericorum dictae Societatis Jesu ibidem instituendi, et quo citius fieri poterit aperiendi de apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in perpetuum tribuimus, adsignamus, et transferimus, ea tamen conditione, ut etiamsi dictae societatis alumni illico post praesentium emanationem in dictam civitatem se conferant, ibique ecclesiae, et conventus, eorumque bonorum praedictorum possessionem juxta earumdem praesentium tenorem capiant, nihilominus bonis scholasticis memoratis ex eo die frui incipiant, quo publicas ibidem scholas ipsi aperient: quoad dictos fratres autem ratio inposterum habeatur in aequitatis linea, ut aliqua compensatio ipsis detur in aliis status Nostri pontificii locis, in quibus eorum conventus inopia laborent.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas nullo unquam tempore infringi, aut ad terminos juris reduci, neque obreptionis, vel subreptionis vitio notari, etiam ex eo quod partes non fuerint auditae, seu citatae, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, dictisque clericis regularibus Societatis Jesu plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae, conventus, et ordinis praefatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaprima februarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

PIUS VII.

ANNO DECIMOSEXTO

Dat. die 17 martii 1815 anno XVI.

DXCIII.

Dignitatibus capituli ecclesiae metropolitanae Ravennatensis conceditur usus mantellettae, et vestis oblongae cum cauda, canonicis vero usus vestis oblongae cum fascia violacea, et facultas singulis gestandi crucem.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus constituti, ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum intendentes, illarum honorificentiae, et decori libenter consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Quum itaque, sicut Nobis dilecti filii capitulum, et canonici metropolitanae ecclesiae Ravennatensis exposuerunt quando Nos, miserante Deo, e Gallia revertentes ad hanc urbem, sanctamque Sedem Nostram, a qua ereptos, sincera fide, et magna animi laetitia quatriduo memorata illa civitas Ravennatensis grato excepit hospitio, metropolitana ecclesia jam alias a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris ita multis ditata privilegiis, multisque honoribus decorata fuerit, ut inter primas connumerari possit, non parum splendoris, et ornamenti ad eam accederet, si ejusdem dignitates, et canonici novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis metropolitanae praefatae, ut dignitates mantellettam, et vestem oblongam cum cauda elevata, uti mos est, violaceas cum asulis, et globulis ejusdem violacei coloris tam intra, quam extra dictam ecclesiam in functionibus, et actibus publicis quibuscumque; canonici autem vestem oblongam similiter violaceam cum fascia, et floccis violaceis intra ecclesiam praedictam; atque in processionibus, et singulis functionibus capitularibus dumtaxat gestare, praeterea tum dignitates tum canonici praedicti crucem auro elaboratam, quae magnitudine, et forma a cruce episcopali differat, et sit absque sacrarum reliquiarum custodia vulgo sepulchrino nuncupata, a recta ejus parte imaginem s. Apollinaris archiepiscopi Ravennatensis in numismate orbiculatae figurae ipsi cruci inhaerente cum epigraphe circumposita « Ecce vivit, ecce bonus pastor suo medius assistit in grege s. Apollinaris martyr Aemiliae apostolus » a parte vero inversa praedicti numismatis alicujus Romani pontificis respective imaginem praeseferentem, de collo ante pectus pendentem cum cordula nigri coloris tam intra, quam extra ecclesiam, et supra vestes chorales,

non tamen supra paramenta sacra deferre, illisque respective uti libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et dignitates, et canonicos memoratos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ejusdem metropolitanae ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima martij millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DXCIV.

Dat. die 17 martii 1815 anno XVI.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesias dioecesum regni Hungariae ab episcopis designandas.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis
Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; supplicationibus quoque dilecti filii nobilis viri Joannis Baptistae Dominici de Jacobis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis in dioecesibus Hungariae regni existentibus per ordinarios respective locorum designandam in nonnullos dies continuos ab iisdem ordinariis specificandis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam spatio praefatorum dierum per unumquemque christifidelem semel tantum ad sui libitum eligendum lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Ampliatio facultatum confessariorum, ut absolvantiam in casibus reservatis

§. 2. Ut autem christifideles coelestium munerum hujusmodi facilius valeant esse participes venerabilibus fratribus dioecesum praefatarum aliquot presbyteros seculares, vel cujusvis ordinis, congregationis, seu instituti regulares ad excipiendas ipsorum sacramentales confessiones alias approbatos deputandos, qui eosdem christifideles, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus, et quibuscumque excessibus, et criminibus, ac casibus Sedi apostolicae reservatis (haeresis, simoniae, duelli, violationis clausurae monasteriorum monialium, et recursus ad judices laicos contra formam sacrorum canonum exceptis) nec non excommunicationis, aliisque ecclesia-

sticis sententiis, censuris, et poenis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari in foro conscientiae tantum absolvere, atque vota simplicia in aliud pium opus eorum similiter arbitrio, et prudentia commutare possint, facultatem pari auctoritate tenore praesentium tribuimus, et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus synodalibusque conciliis editis generalibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus pro unica vice tantum valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima martii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DXCV.

Dat. die 17 martii 1815 anno XVI.

Erectio seminarii in civitatae Aquipendiensi, cum assignatione bonorum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, illud quoque curandum Nobis esse censemus, ut, ubi ex sacrosancti concilii Tridentini praescripto episcopalia non adhuc erecta reperiuntur seminaria, omnino erigantur.

Expositio precum.

§. 2. Quare cum venerabilis frater Floridus episcopus Aquipendiensis, ac dilecti filii moderni ejusdem civitatis magistratus exponi Nobis fecerint, maxima ibi et in dioecesi laborari confessariorum et sacerdotum inopia, quippe quia episcopali seminario adhuc carent, ubi adolescentes bonis moribus reformentur, sacris literis erudiantur, quin ulla spes affulgeat illud cito instituendi, nisi in aedibus conventus fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum istius civitatis, transferendo hujus conventus fratres in alium s. Martini vicinae terrae de Proceno in quo duo vel tres fratres ejusdem ordinis minorum Conventualium nuncupatorum degere solebant, remanentibus bonis antea sacello primodicti conventus de observantia adsignatis annuorum reddituum circiter scutorum quinquaginta monetae Romanae pro futura, et perpetua ecclesiae ipsius conventus aedibus adnexa manutentione; cumque duo alii perexigui conventus extarent, unus nempe Ischiae fratrum ordinis Servorum b. M. v., cui septem et triginta circiter annua scuta remanent ex redditibus bonorum urbanorum, alienatis rusticis; alter autem fratrum ordinis ejusdem b. M. v. de monte Carmelo in loco Cellere ipsius dioecesis, cujus conventus annui redditus summam scutorum centum parum excedere creduntur, ideoque dicti exponentes redditus hujusmodi una cum aliis memorati conventus de Proceno redditibus in summa quatuor centum circiter scutatorum consistentibus in dotem erigendi seminarii, additis quoque ducentis annuis scutatis a communitate civitatis ejusdem solvendis constitui posse plurimum desiderent.

Tenor concessionis

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, referente venerabili fratre Josepho archiepiscopo Thebano congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae cardinalium super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae secretario, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati locum et aedes con-

ventuales cum horto primodicti conventus fratrum de observantia pro locali seminarii constructione facienda; ejus autem sacelli redditus pro perpetua adnexae ecclesiae manutentione; situm vero localem, aliasque conventuales aedes cum sua ecclesia et horto, seu hortis contiguis minorum Conventualium de Proceno pro dictis fratribus de observantia; nec non tam hujus conventus Proceni, quam dictorum duorum conventiculorum Ischiae et Celleris adhuc remanentes redditus, et bona quaecumque cum suis respectivis juribus et pertinentiis universis, itemque cum missarum oneribus, ecclesiarum manutentionibus, aliisque bonis hujusmodi adnexis obligationibus pro dotatione ipsius seminarii, dummodo ipsius civitatis Aquipendiensis communitas annualem subministrationem scutorum biscentum dictae monetae Romanae in perpetuum et absque mora favore ipsius seminarii faciat, pro qua subministratione duo etiam in perpetuum cujuscumque classis, in ipsa tamen civitate orti adolescentes bonae indolis et ingenii, vel ex publico habito ad id concursu, vel ex conscientia episcopi praestantiores semper eligendi inter eos dumtaxat, qui se Deo in statu presbyterali servire velle declaraverint, et donec in sancta vocatione perseveraverint, et cum per aetatem unicuique ipsorum licuerit sacros ordines susceperint, gratis in eodem seminario recipiantur, gratisque alantur usque ad expleta studiorum curricula, de apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium tribuimus, transferimus, constituimus et respective adsignamus.

Reservationes speciales

§. 4. Ita tamen, ut in recognitionem veteris respectivi dominii idem seminarium infrascriptos annuos canones perpetuos praecipuos et liberos solvat, scilicet pro conventu Ischiae duo scutata tradenda fratribus ejusdem ordinis alterius conventus s. Marcelli de urbe; pro dicto Celleris conventu scutata quatuor fratribus Carmelitis conventus s. Mariae in Traspontina de eadem urbe; ac tandem pro conventu de Proceno scutata sexdecim conventui minorum Conventualium sanctissimorum duodecim apostolorum pariter de urbe.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas nullo unquam tempore infringi, aut ad terminos juris reduci, neque obreptionis et subreptionis vitio notari posse, etiam ex eo quod partes non fuerint auditae, seu citatae; sed semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictorum conventuum, eorumque respectivorum ordinum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo pisca-

toris die decima septima martii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

Dat. die 21 augusti 1804. anno XV.

DXCVI.

Decano Rotae conceditur, ut post mortem frui possit fructibus nonnullorum beneficiorum ad effectum dimittendi aes alienum quo gravatur.

Dilecto filio magistro Francisco Cesarei Leoni cappellano Nostro, et causarum palatii apostolici auditori.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod tu ab anno MDCCLXXXIV quo causarum palatii apostolici auditor renunciatus fuisti, ut sumptibus pro hujusmodi officio ea qua par est decentia suscipiendo, et successive gerendo necessariis occurreres multum aeris alieni diversis vicibus contraxisti. Quoniam vero ob successivas temporum circumstantias, semper in deterius devenientes aes alienum praedictum nunquam dissolvere potuisti, neque illud tam cito extinguere te posse speras, nemoque in tua familia reperiatur, qui post obitum tuum creditoribus tuis satisfacere commode valeat, ideoque veritus, ne immatura morte (quod absit) praereptus, aut creditores sua spe frustratos, aut haeredes tuos vexationibus obnoxios relinquas infrascripta, quae obtines ecclesiastica beneficia, illorumque fructus in extinctionem dicti aeris alieni ad aliquod certum tempus etiam duraturum post obitum tuum per Nos destinari, et assignari plurimum desideras.

Tenor concessionis

§. 2. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut si intra vicennium proximum te ex hac luce migrare contigerit ecclesiastica simplicia beneficia per te adhuc obtenta, quinque scilicet in dioecesi Perusina sub sancti Laurentii de Papiano, sanctae Sabinae hospitalis de Gulera, sanctae Ursulae de Pretula, et sanctae Mariae hospitalis Verrazzani titulis, itemque alia sexdecim tenuissimi redditus pariter simplicia in dioecesi Tudertina sub respectivis sanctorum Angeli, Nicolai, Faustini, ejusdem Nicolai, sanctae Crucis, sanctorum Petri, Quirici perexigui canonicatus in de Viepri nuncupati, sancti Andreae vulgo in de Pie di mezzo, aliudque sancti Andreae in de Marcellano, sancti Blasii in de Castilione, sancti Clementis, sancti Aegidij, sancti Joannis Baptistae in de Pesciano, sancti Joannis de Ceuniti, sancti Laurentii, et sancti Martini de Casa Lata titulis, nec non abbatiam, seu prioratum sanctae Mariae de Usellis in Civitatis Castelli, aliamque abbatiam sanctae Mariae in Pantano in eadem Tudertina, ac demum unum aliud beneficium sancti Martini in Urbe Vetana dioecesibus respective erecta, nullamque personalem residentiam requirentia intra vicennium praedictum non vacare ex nunc prout ex tunc et e contra auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, atque interim eodem vicennio durante, dumtaxat haeredi, seu haeredibus tuis, uti ipsi omnia et singula beneficia, et abbatias hujusmodi in administrationem consequi, illorumque respectivos fructus, redditus, et proventus quoscumque qui expletis respectivis oneribus eisdem beneficiis et abbatiis adnexis supererint percipere, extinguere, et levare, ac in aeris alieni praedicti solutionem impendere libere et licite possint et valeant auctoritate, et tenose praefatis ex nunc pariter, prout ex tunc concedimus et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit illarum ecclesiarum in quibus dictae abbatiae, et beneficia erecta reperiuntur, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima prima augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

DXCVII.

Dat. die 20 martii 1815 anno XVI.

Prorogatio praecedentis concessionis ad alium decennium pro eodem sacrae Rotae auditore decano.

Dilecto filio magistro Francisco Cesarei Leoni cappellano Nostro, et causarum palatii apostolici auditori decano.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur praecedens concessio.

§. 1. Expositum Nobis tuo nomine nuper fuit per Nostras in simili forma brevis die XXI augusti MDCCCIV expeditas literas auctoritate apostolica tibi fuisse indultum, ut ad extinguendum aes alienum a te pro tuo conspicuo munere ea, qua par est, decentia sustinenda conflatum, etiamsi intra vicennium tunc proximum te e vivis discedere contigisset, nihilominus intra spatium vicennii hujusmodi suspensis remanentibus abbatiarum, prioratuum, et reliquorum beneficiorum simplicium a te in titulum ad illud usque tempus obtentorum collationibus, singuli eorumdem beneficiorum omnium fructus, et redditus, expletis oneribus unicuique illorum et respectivis fundationum legibus adnexis, impendi libere, et licite possent, ac valerent, ac alias, prout ex dictis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis, et insertis haberi volumus, uberius asseritur contineri.

Ratio concedendae prorogationis.

§. 2. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, ob calamitosissimas superiorum temporum vicissitudines, tu ex majore parte beneficiorum eorumdem fructibus orbatus aes alienum hujusmodi ne minima quidem ex parte dissolvere potuisti, immo potius, quippe quia patrimonialibus redditibus uti nequivisti, et adhuc nequis, illud augere coactus es, et fortasse etiam cogeris, quin ulla certo spes appareat, te jam senescentem quamprimum, vel aliquando fore solvendo parem; ideoque justam creditorum expectationem irritam fieri nolens vicennium praedictum ad aliud Nobis benevi-

sum tempus prorogari cupis. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur, attentis peculiaribus circumstantiis praedictis, te, creditoresque tuos amplioris gratiae favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, vicennium praedictum de non vacantibus, et in administrationem cedendis, et retinendis singulis memoratis benificiis tibi, ut praefertur, concessum ad aliud futurum novum decennium dumtaxat a die cessationis ipsius vicennii immediate inchoandum, dummodo intra decennium hujusmodi vera duret necessitas aera aliena praedicta dissolvendi, auctoritate apostolica, tenore praesentium extendimus, et ampliamus, servata in reliquis memoratarum Nostrarum literarum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum.

§. 4 Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in eisdem Nostris literis non obstare voluimus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Volumus autem et declaramus, ut, si, et quando intra spatium decennalis prorogationis hujusmodi aera aliena fuerint dissoluta, tunc praesens gratia cesset eo ipso sine alia declaratione. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima martii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto

DXCVIII.

Dat. die 20 martii 1015 anno XVI.

Dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis Pisciensis conceditur, ut valeant gestare crucem, seu numisma cum effigie beatae Mariae virginis, et sancti Joannis Baptistae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti, externis etiam ecclesiasticorum virorum, qui Altissimo in templis magis conspicuis deserviunt decorationibus consulere non desistimus, ut ipsi per exteriora quoque signa continuo excitati, magis magisque in dies, veluti lucernae supra candelabrum positae, virtutum splendore lucere conentur in aula Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur sicut dilecti filii moderni dignitates, et canonici cathedralis ecclesiae Pisciensis exponi Nobis nuper fecerunt, ipsi per Nostras in simili forma brevis anno MDCCCV. expeditas literas cappa magna et abugia decorati reperiantur, multum splendoris ad id accederet, ac divinus cultus, itemque in Deiparam devotio majora incrementa susciperent, si iidem dignitates, et canonici novo aliquo peculiari signo ornentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur attentis desuper relationibus venerabilis fratris Julii episcopi Pisciensis, qui itidem de eorumdem canonicorum in Nos, et hanc apostolicam Sedem fide, et constantia in superioribus Ecclesiae procellis certiores Nos fecit, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus

dignitatibus, et canonicis memoratae ecclesiae cathedralis Pisciensis, ut ipsi numisma exiguum aureum, in cujus antica sub cornula effigies beatae Mariae virginis in coelum Assumptae, in postica vero s. Joannis Baptistae imago sint insculptae, ante pectus cum catenula simili appensum tam in choro, et ecclesia praedicta, quam extra eam ubique locorum gestare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ejusdem cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima martii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DIC.

Dat die 4 aprilis 1815 anno XVI.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum super concessione protectoris pro clero, et universitate loci de Valor dioecesis Granatensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum

§. 1. Cum sicut ex parte dilectorum filiorum moderni cleri, et universitatis loci de Valor Granatensis expositum Nobis nuper fuit, ipsi pro eo, quo in s. Josephum flagrant devotionis affectu decretum ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregatione obtinuerint sequentis tenoris videlicet.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Relatis ad sacrorum Rituum congregationem ab eminentissimo et reverendissimo Domino cardinale Despuig ponente humillimis precibus cleri, magistratus, et populi loci vulgo nuncupati de Valor Granatensis dioecesis supplicantium pro confirmatione electionis sancti Josephi beatae Mariae Virginis sponsi in patronum principalem praedicti loci: sacra eadem congregatio intelligens ex supplici libello non adesse in memorato loco ullum alium patronum principalem, et comperiens hujusmodi electionem servatis servandis ad formam decreti felicis recordationis Urbani papae VIII, ac legitime factam fuisse, accedente etiam consensu reverendissimi archiepiscopi, eamdem confirmavit, ac juxta petitionem oratorum, festo patrocinii s. Josephi sic in patronum principalem electi praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die tertia septembris millesimo octingentesimo octavo.

Loco ✠ Signi

H. card. Matthaejus
I. De Carpineo S.R.C. secretarius

Confirmatio apostolica

§. 3. Cumque dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri vehementer optent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem decretum, ac omnia, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibns constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die quarta aprilis millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DC.

Dat. die 4 aprilis 1815 anno XVI.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum super electione patroni loci de Carataunos dioecesis Granatensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus clerus, et universitas loci de Carataunos Granatensis dioecesis, quod ipsi, pro eo, quo in s. Marcum afficiuntur devotionis affectu, ab infrascripta S. R. E. cardinalium congregatione decretum obtinuerunt sequentis tenoris, videlicet.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Ex parte cleri, magistratus, et populi loci vulgo nuncupati de Carataunos Granatensis dioecesis humillime sacr. Rituum congregationi pro confirmatione electionis s. Marci evangelistae in patronum principalem ipsius loci supplicatum cum fuerit, sacra eadem congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo Domino cardinale Despuig ponente, cum ex supplici libello perceperit non adesse in praedicto loco ullum alium patronum principalem, ac hujusmodi electionem rite, ac juxta decretum sa: mem: Urbani papae VIII. legitime factam compererit, accedente etiam consensu reverendissimi archiepiscopi, eamdem approbavit, et confirmavit, ac festivitati s. Marci evangelistae praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die tertia septembris millesimo octingentesimo octavo.

Loco ✠ Signi

A. card. Matthaejus
J. de Carpineo S. R. C. secr;

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri vehementer optent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus hujusmodi inclinati, idem decretum, ac omnia, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adijcimus, atque omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die quarta aprilis millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

Dat. die 7 aprilis 1815 anno XVI.

DCI.

Applicatio nonnullorum bonorum jam pertinentium ad conventum fratrum ordinis eremitarum, et conventum Viturclanensem ejusdem ordinis facta favore seminarii episcopalis civitatis Balneoregiae, cum reservatione perpetui canonis favore coenobii generalis de urbe.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Joannes Baptista episcopus Balneoregij, episcopale suum seminarium ita reddituum inopia, localium aedium angustia laborare, ut nulla spes appareat illud ex praescripto sacrosancti concilii Tridentini constituendi, nisi transferatur in aedes locales conventus fratrum ordinis eremitarum s. Augustini ipsius civitatis, in quo conventu aliquis frater degit, neque religiosa familia ob alienationem subsecutam majoris partis bonorum, quae in pristinum restitui potest, et nisi tam hujus conventus redditus consistentes in annuis scutatis circiter centum sexaginta duobus monetae Romanae, et octo rubiis, septemque modiis frumenti, praeter quamdam pecuniae summam familiae dilecti filii marchionis Marii Borbon del Monte Florentini creditam, quam redditus alterius conventus Viturclanensis ejusdem ordinis, et dioecesis eidem seminario addicantur. Nobis propterea idem episcopus osservans ex seminarii hujus angustiis magnam evangelicorum operariorum in dioecesi provenire penuriam, humiliter supplicari fecit, ut isti seminario opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur pastoralem ejus zelum, quantum cum Domino possumus, benigne obsecundare volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium super reformationis negotiis a Nobis specialiter deputatae consilio, supplicationibus hujusmodi inclinati, respectivas istorum duorum conventuum aedes, et ecclesias cum quibuscumque suis respectivis adhuc non alienatis bonis, juribus, et pertinentiis universis; nec non cum earumdem ecclesiarum, sacrarumque functionum in eis fieri consuetarum manutentionibus, missarum oneribus, et aliis si qua adnexa fuerint, memorato dioecesano seminario Balneoregii de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium tribuimus, concedimus, et assignamus in perpetuum. Reservatis tamen favore coenobii generalitii de urbe dicti ordinis perpetuo canone scutorum quadraginta super aedibus, et bonis conventus Balneoregensis, atque alio scutorum decem super aedibus, et bonis conventus Viturclanensis annuatim solvendo praecipuo, et libero in festo s. Augustini, vel alio die inter partes concordandum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas nullo unquam tempore infringi, revocari, aut ad terminos juris reduci, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his praemissis a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non supradicti ordinis, et conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis,

et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto

---

DCII.

Dat. die 23 maii 1815 anno XVI.

Concessio coenobii congregationis Olivetanae existentis in civitate Perusiae facta favore gymnasii ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Plurimum inesse momenti, et praesidii in bonarum artium studiis ad religionem tuendam, moresque rite conformandos, tum ad publicas, privatasque res gerendas utiliter, ac demum ad commoditatem, et prosperitatem vitae populis procurandam, probe norunt Romani pontifices, qui proinde datis opportunis legibus, amplissimisque collatis privilegiis ad ea fovenda, servanda, et augenda conniti feliciter consueverunt. Patuere hoc pacto non in urbe solum, verum et in clarioribus pontificiae ditionis civitatibus singulari praedecessorum Nostrorum liberalitate, et sollicitudine scholae complures, academiae, gymnasia, quibus hac etiam aetate, et ingenia juvenum vigere, et disciplinas omnes in spem florere veteris gloriae summa cum et christianae, et publicae rei utilitate in Domino gratulamur. In id et Nos ad Nostram Sedem, Deo juvante, reducti pontificias curas convertimus, ut nimirum si quid detrimenti tam praeclara instituta etiam ex tenebrosissimi temporis foeditate accepissent, iis reparandis, restituendisque pro paterna in eos, qui in Nostra ditione sunt, charitate consuleremus.

Expositio precum.

§. 2. Revera cum eo Nos essemus animo comparati, dilecti filii communitas, et homines civitatis Nostrae Perusinae detulerunt Nobis, studiorum universitatem ibidem extare, quae vel a priscis temporibus et decurialium doctorum praestantia, et auditorum frequentia summopere commendatur, magnificentissimis propterea decretis ornata a praedecessoribus Nostris, ac praesertim a felicis recordationis Clemente V. a Johanne XXII. et ab Urbano VIII. eam tamen ruinosis, ac male materiatis aedibus fuisse locatam, et quae ad bibliothecam, ad musaea, ad experimenta publica, ad solemnes conventus minus aptae invisebantur, eamque proinde translatam nuper fuisse ad coenobium Montis Morcini nuncupatum monachorum ordinis s. Benedicti congregationis Montis Oliveti, amplum certe, et opere magnifico extructum, de quo sane ob teterrimam religiosarum familiarum dispersionem metuendum erat, ne ad vastitatem desereretur, vilibusque, indecoris, et fortasse inhonestis usibus misere destinaretur. Quare iidem dilecti filii supplices a Nobis postularunt, ut quod in tantum, tamque evidens illius universitatis commodum, et incrementum cessisse dignoscebatur, negotio prius cum memorata Olivetanorum congregatione composito, apostolica dignaremur auctoritate monasterium illud eidem universitati perpetuum in modum concedere, adtribuere, adsignare.

Ratio concessionis.

§. 3. Auditis itaque nonnullis ex venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus ad id genus negotio specialiter praepositis, cum praesertim pauci adeo in praesens ex Olivetana familia adsint alumni, ut caeteris eorum monasteriis retinendis

impares omnino sint, cumque nonnisi infinitis sumptibus veteres universitatis aedes tantopere ex temporum injuria corruptae restitui, et aptari possint, et e contra magna impensa ad coenobium ipsum in universitatis usum bene instruendum facta jam fuerit, eaque sit loci natura, ea totius aedificii conformatio, ut nihil ad apparatissimum lycaeum desideretur, ac proinde peculiares adeo rationes hic praesto sint, ut « in nequissimarum » quas sanctus Leo magnus vocabat « depretationum » defensionem nemo inde valeat exemplum aucupari; accedente demum consensu ejusdem Olivetanae congregationis, quem praebuit dilectus filius Josephus Cassini generalis ipsius moderator, perlatas hasce preces de praedictorum cardinalium consilio censuimus paterna affectione, pioque favore suscipere, iisque benigne annuere, quas et universitatis ipsius dignitati amplificandae, et excitandis ad studia laudabilium disciplinarum animis adolescentum non parum conducere dignoveramus.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur praedictae civitatis communitatem, et homines, et quot quot ad ipsam universitatem spectant, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas, ceterosque, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati; memoratum monasterium Montis Morcini monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Montis Oliveti cum continenti ecclesia, horto, et adiunctis aediculis eidem Perusinae studiorum universitati ad literarios usus dumtaxat, non vero in alias causas addicendum, de apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in perpetuum tribuimus, concedimus, et adsignamus, et in eam utile dominium transferimus, quo praedicta Olivetanorum congregatio pollebat super enunciatum monasterium cum ecclesia, horto, et aediculis adjectis, ea tamen lege, ut annuum canonem ducentorum scutatorum monetae Romanae eadem universitas praecipuum, et liberum ab onere quolibet speciali etiam mentione dignissimo solvat in perpetuum, et sine morositate in recognitionem directi dominii procuratori generali congregationis praefatae. Cum vero eo etiam consilio faciliores Nos praebuerimus ad praesentem concessionem apostolica auctoritate decernendam, ut quod jamdiu in votis habueramus, illustre aliquod extaret, et perenne Nostrae benevolentiae monumentum erga civitatem Nostram Perusiae singulari devotionis, et fidelitatis studio postremis etiam temporibus de apostolica Sede praeclare meritam, locique amoenitate, aedificiorum splendore, ordinum denique dignitate commendatissimam; hanc unam pro muneribus Nostris gratiam referri ab ipsius civibus expetimus, ac praestolamur, ut memoria repetentes, quantum ibidem optimarum artium studia, similque morum disciplinae floruerint, quamque praeclarum nomen apud exteras etiam nationes ipsorum majoribus comparaverint, antiquas artes, antiquos mores, et eam cum primis doctrinam, quae secundum pietatem est, et sapientiam carnis, excludit, quae inimica est Deo, excolere, atque aemulari studeant, et impensissime adnitantur: quod ut e sententia succedat, a Deo Optimo Maximo uberem bonorum copiam ex animo iisdem adprecamur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Volumus autem hasce praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, invalidari, infringi, aut ad terminos juris reduci, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, dictaeque universitati plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat, et quomodolibet in futurum spectabit inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus felicis recordationis Pauli pp. II. et aliorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis,

caeterisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum monasterii, et congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae ex speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die vicesima tertia maij millesimo octigentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DCIII.

Dat. die 13 junii 1815 anno XVI.

Imminutio festorum in districtu vicariae de Arbol dioecesis Compostellanae.

Venerabili fratri archiepiscopo Compostellano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam
benedictionem

Proemium.

§. 1. Cum quaedam interdum obveniunt mala, quibus nullum efficax remedium (ut sanctus Leo magnus praedecessor Noster inquit) adhiberi potest, tum alia quaedam comperiuntur, quae pro temporum varietate, aut locorum necessitatibus, et circumstantiis temperare oportet, consuevit haec apostolica Sedes supremam suam auctoritatem interponere in iis, quae nec evangelicis praeceptis, neque sanctorum patrum statutis obstant, quaeque licet bene sancteque fuerint praescripta, ob refrigescentem tamen in nonnullorum cordibus charitatem ad otium convertuntur, aut ob nimiam rerum temporalium sollicitudinem negligi frequenter solent.

Expositio precum.

§. 2. Quare ex parte dilecti filii Andreae Acunea y Malbar decani dignitatis istius metropolitanae ecclesiae, nec non gubernatoris, et vicarii generalis ecclesiastici vicariae de Arbol Compostellanae dioecesis expositum Nobis nuper fuit, quod remanente dictae vicariae territorio ex infrascriptis parochiis composito prope alias paroecias, et dioeceses, in quibus ex apostolico indulto operibus servilibus in quibusdam festis diebus de praecepto ecclesiastico vacare licet, nonnulli etiam in dicta vicaria existentes christifideles opera servilia in diebus festis hujusmodi exercent, praeceptum ecclesiasticum transgredientes non sine animae detrimento, coeterorumque incolarum scandalo. Nobis propterea dictus Andreas humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, novum aliquod remedium potius pro peccatis impediendis exhibere, quam per severiorem Ecclesiae disciplinam ad desperationem quamdam inopes adduci intendimus, incolas praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus christifidelibus in territorio dictae vicariae ex parochiis (ut asseritur) s. Laurentii de Arbol, s. Mariae de Pazios, s. Vincentii de Raigosa, s. Georgii, s. Eulaliae de Riodato, s. Mamed de Villapadre, et s. Mariae de Turre compositae, ut posthac in festis sive per hanc s. Sedem praeceptis, sive per synodales dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti majorum suorum (quod votum, quoad hanc partem auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus) pariter praeceptis, praescriptisque, audita tantum missa, laborioris suarum artium exercitationibus, operibusque servilibus sine ullo prorsus conscientiae scrupolo vacare possint, exceptis tamen iis ex hujusmodi festis, quae in praecedenti indulto, seu indultis apostolicis desuper concessis pro incolis dioecesis latius finitimae territorio dictae vicariae excepta fuerunt, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dioecesis, vicariae, et parochiarum praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo adverbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia junii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DCIV.

Dat. die 13 junii 1815 anno XVI.

Erectio commendae nuncupatae de Cuvillesas in agro Thorensi infra limites dioecesis Zamarensis in abbatiam cum jurisdictione episcopali pro futuris abbatibus commendatariis.

Venerabili fratri Petro archiepiscopo Nicoeno in regnis Hispaniarum Nostro, et apostolicae Sedis nuncio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Proemium

§. 1. Praeclarum illud studium, quo dilectus filius Petrus Cevallos catholicae religionis incrementa, jura ecclesiae, debitamque in Nos, et apostolicam Sedem reverentiam ea, qua valet, auctoritate et gratia in tanta etiam alieni temporis asperitate impense curat promoveri, adlectus proinde ob merita a charissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Hispaniarum rege catholico consiliarius, et summus in universi regni procuratione administer, gratum adeo, ac jucundum est pontificiae Nostrae charitati, ut Nostrae in eum voluntatis propensionem aliquo benevolentiae do-

cumento eidem testatam facere gestiamus.

Expositio precum

§. 2. Quamobrem cum ipse suppliciter retulerit Nobis, sese grandi sane pecunia comparasse praedia, aedes, caeterosque fundos, quibus potiebatur commenda ordinis sancti Joannis Hierosolymitani, quam nuncupabant de Cuvillas, et Cuvillesas in agro Thorensi infra limites dioecesis Zamarensis ex facultate a Nobis facta regi catholico, ut in ejus regno septima ecclesiasticorum bonorum pars propter angustias aerarii, summamque difficultatem nummariam, ceterasque reipublicae calamitates alienaretur, prout patet ex apostolicis in simili forma brevis literis in id datis die xii. decembris anni MDCCCVI; cumque nonnulla spiritualia jura, vel spirituali adnexa, quae eidem commendae adhaerebant, ab apostolica Sede idem Petrus sibi suisque attribui vehementer exoptet: animo lubenti ipsius votis annuimus, ut pontificia hac Nostra indulgentia ne dum ei specialem gratiam conferamus, sed et ipsi Petro, et ceteris, qui a principibus viris in sollicitudinum partem adsciscuntur, stimulos admoveamus, ut omni ope, cura, studio, consilioque agant assidue Ecclesiae causam, quae regnorum causa est, quorum « tutissima fundamenta pietatem cum primis et religionem esse » clamat Origenes.

Tenor concessionis.

§. 3. Cum itaque, ut praefertur, Hierosolymitanus ordo juxta privilegia eidem decreta per praedecessores Nostros, ac praesertim per felicis recordationis Benedictum XIV. constitutione diei xii. martii anni MDCCLIII, quae incipit « *Inter illustria* » frueretur in antedictae commendae territorio jurisdictione ordinaria ecclesiastica vere « Nullius » de plenitudine apostolicae auctoritatis committimus tibi, venerabilis frater, ut quatenus vera haec sint, certioratis iis, quorum intersit, ac praesertim venerabili fratre episcopo Lamorensi, in cujus dioecesis ambitu sita erat dicta commenda de Cuvillas, et Cuvillesas, super ejusdem territorio ecclesiam abbatialem de novo constituas, et erigas, ut qui eidem praeficiatur in posterum, titulo abbatis honoratus jurisdictionem spiritualem, ordinariam et quasi episcopalem in clerum et populum dicti territorii rite ac recte exercere possit, et valeat cum oneribus, privilegiis, et juribus, quae competunt abbatiis, quas « Nullius « vocant.

Onera abbatibus injuncta.

§. 4. Tuarum porro erit partium, sanctum patronum titularem ejusdem abbatialis ecclesiae statuere, nec non abbatiae circuitum, et fines clare, atque distincte praefinire, qui veteribus limitibus contineantur, intra quos praefatum ordinem ea jurisdictione usum fuisse compereris, ac demum congruum in abbatis stipendium annuum redditum pro locorum, personarum, ac peculiarium circumstantiarum ratione ex tot stabilibus fundis libere ab abbate administrandis assignare.

Reservatio juris patronatus favore familiae Cevallos

§. 5. Hujusce vero abbatiae patronatum eadem apostolica auctoritate tribuimus praedicto dilecto filio Petro Cevallos, ejusque natis, posterisque, et haeredibus in perpetuum, qui bonis, et juribus, ac privilegiis dictae abbatiae potiantur, ita nimirum ut ipse Petrus, ejusque liberi, et haeredes Nobis, et Romanis pontificibus successoribus Nostris infra statutum per canones tempus nominare, ac praesentare debeant idoneum presbyterum, omnibus a jure praescriptis qualitatibus praeditum, pietate praesertim, doctrina, et prudentia commendatum, cui canonica ab apostolica Sede institutio per apostolicas sub plumbo literas concedatur.

Officia praestanda episcopo dioecesano

§. 6. Volumus autem, et expresse mandamus, ut si quae reverentiae, observantiae, aut subjectionis officia a Hierosolymitano ordine ratione dictae commendae episcopo dioecesano praebebantur, ea religiose praestentur etiam in posterum per dictum abbatem; nihil enim per praesentes literas detractum volumus ex juribus, si quae fortasse non obstante memoratae jurisdictionis privilegio, quo Hierosolymitanus ordo fruebatur, episcopum dioecesanum ibidem retinuisse dignoveris.

Appellatio a sententiis ferendis ab abbatibus.

§. 7. Statuimus proinde, ut a sententiis per abbatem latis appellari possit ad eumdem episcopum; nec non pro confirmationis, et ordinum etiam minorum collatione, ac pro sacrorum oleorum benedictione unius dioecesani episcopi opera, ulteriusve de ejus consensu, abbates uti praecipimus, nisi fortasse eam sedem

vacare contigerit, quo tempore liberum iisdem sit antistitem quemlibet gratiam, et communionem cum apostolica Sede habentem adire.

Per cessationem lineae Cetallos, bona, et jura abbatialia ordinario dioecesano revertere debent.

§. 8. Quod si futuris temporibus a praedicto Petro, vel ab ejus posteris ejusdem abbatiae bona quovis titulo alienata fuerint, atque in alios quoslibet, praeterquam ex haereditario jure, transierint jus hoc patronatus, et privilegium separati territorii nullius memoratae abbatiae sic erectae quoad spiritualia integre cesset, ita ut eveniente actualis abbatis obitu territorium abbatiale illico subiiciatur ordinariae dioecesani episcopi omnimodae jurisdictioni, et abbatis dignitate plenarie extincta, praedicta abbatialis ecclesia ad simplicem ecclesiam parochialem reducta censeatur. Eademetiam apostolica auctoritate facultatem tibi facimus, venerabilis frater, ut in dictum Petrum, posterosque ejus, et haeredes dumtaxat, uti supradictae abbatiae possessores jus transferas exigendi in dicto territorio decimas majores, et minores prout ordini Hierosolymitano datum erat, ea tamen lege ut et ad paroeciae ibidem existentis tuitionem, et ad ecclesiae cultum, et ad cetera onera, quae ab eodem ordine antea sustinebantur, necessaria suppeditentur, et sufficientes fundi in perpetuum cedant pro congruo abbatis stipendio, ut supra per te decernendo. Tibi denique mandamus, venerabilis frater, ut in eumdem Petrum, posterosque ejus, et haeredes apostolicae auctoritatis robore transferas, aut si opus sit, conferas jus nominationis beneficii curati ecclesiae parochialis in oppido Tiedrae, nec non unam ex quinque suffragiorum partibus ad praesentandum parochum s. Mariae Casasolae iis omnino modis, legibus, conditionibus, privilegiis, quibus in id genus juribus ordo Hierosolymitanus legitime utebatur.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, aliisque in synodis generalibus, et particularibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, et praesertim concilii Lateranensis III. canonibus de decimis a laicis non retinendis, nec non statutis dicti ordinis Hierosolymitani, consuetudinibus, privilegiis, indultis, juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis roboratis, et aliis quibuscumque expressam etiam, ac specialem mentionem requirentibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, perinde ac si de verbo ad verbum inserti forent, quatenus praesentium executioni opponantur, reliquis in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus specialiter, et expresse derogamus.

Monitum speciale.

§. 10. Caeterum tanti hujusce in praefatum Petrum collati a Nobis beneficii magnitudinem tui erit muneris, venerabilis frater, eidem luculentissime denunciare, ut tanta se obstrictum gratia persentiens, meliora semper charismata aemuletur, atque eo juvante, a quo recta consilia, et justa sunt opera, laetiora in dies et Nobis, et apostolicae huic Sedi, et rei Christianae universae connitatur exhiberi, veram hoc pacto, ac solidam, et cumulatissimam gloriam conciliaturus, perennemque felicitatem pientissimo regi, de quo gaudentes in Domino, qui cor ei dedit mirifice ad optima quaeque comparatum, dicamus oportet cum Leone Magno, ep. 156 ad Leon. Aug. « Universorum fidelium precibus esse optandum, ut in omnem gloriam ipsius extendatur imperium, qui supra curam rerum temporalium religiosae providentiae famulatum divinis, et aeternis dispositionibus perseveranter impendit. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia junii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 4 julii 1815 anno XVI.

DCV.

Confirmatio concordiae initae inter parochum ecclesiae B. M. virginis Montis Jovini, et massarios, seu administratores ejusdem ecclesiae Civitatis Plebis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Gregorius Gregorj parochus Montis Jovini Civitatis Plebis dioecesis, quod usque ab anno millesimo octingentesimo undecimo sub die vicesima secunda aprilis ob nonnullas rationabiles causas a bo: me: Philippo tunc temporis episcopo Civitatis Plebis in actu pastoralis visitationis bene cognitas, animarum cura, seu paraecia, quae in ecclesia b. Mariae virginis in caelum assumptae castri Montis Jovini veteris pene diruti existebat, cujus parochus ad praesens est memoratus exponens, rite, ut asseritur translata fuit in aliam ecclesiam Montis Jovini Novi nuncupatam, quae sanctuarium b. Mariae virginis Montis Jovini appellatur. Quae quidem translatio, existentibus iisdem causis, iisdemque utilitatibus, denuo confirmata fuit in actu pariter s. visitationis a ven: fratre ejusdem Civitatis Plebis moderno episcopo, et ut de medio tollerentur, tot controversiae, et contentiones, quae exortae fuerunt inter parochum praedictum Montis Jovini, et administratores, seu massarios vulgo appellatos memoratae ecclesiae, seu sanctuarii praedicti, in quam, vel quod translata fuit paraecia, seu animarum cura memorata, per instrumentum publicum nonnullae conventiones, et pactiones ex utraque parte statutae fuerunt perpetuis futuris temporibus duraturae, quae ordinarii praefati decreto diei decimae octavae maij currentis anni millesimi octingentesimi decimi quinti approbatae fuerunt, quarum tenor est, ut sequitur.

Al Nome di Dio Amen

Tenor concordiae.

§. 2. Essendo stato con decreto dell'illustrissimo, e reverendissimo monsignor Becchetti già defonto vescovo di Città della Pieve in data 22. aprile 1811 in tempo di s. visita trasferita per gravi urgenti ragioni la residenza parrochiale del Castello detto di Mongiovino Vecchio, e situata presso questo santuario di Maria santissima di Mongiovino, della quale traslazione avendo preso cognizione l'attuale moderno vescovo di Città della Pieve illustrissimo, e reverendissimo monsignor Bonaventura Carenzi in atto di questa sua prima s. visita pastorale, e trovatala plausibile, e da conservarsi, sì per il bene spirituale dell'anime, come per il decoro del divino culto. Primo, perchè risiedendo il parroco presso questo santuario trovasi nel luogo più centrale della sua parochia « Secondo « Perchè l'antico, quasi ora diruto castello di Mongiovin Vecchio, ove prima risiedeva, è divenuto disabitato, non restandovi permanentemente, che due case aperte « Terzo « Perchè trovandosi il grosso della popolazione delle Tavernelle villa distante da Mongiovino Vecchio miglia due, ed essendo l'accesso a questo luogo assai montuoso, scabroso, ed incomodo, i popoli tanto di detta villa, che di qualunque altra annessa non accedevano mai alla chiesa parrochiale, ed in conseguenza non udivano mai il pabolo della divina parola, nè i catechismi, e le istruzioni, ed inclusivamente il precetto pasquale era astretto il parroco a permettere alla maggior parte del popolo di soddisfarlo fuori della parrochia « Quarto « Finalmente perchè la chiesa parrochiale del disabitato castello è tanto meno propria per il divino culto di questa sontuosa, e divota chiesa del santuario di Maria santissima essendo quella del Castello di cattiva, angusta, e difettosa forma, e sovrastata dalla torre comunitativa, che è a detta chiesa unita, e che minaccia rovina; e perchè inoltre la pratica di quattro anni ha fatto conoscere, che la residenza del parroco al santuario rende più decorose le s. funzioni, che in esse si fanno, essendovi un sacerdote di più, che assiste, o al canto in coro, o al cantare della s. messa, e vesperi, o ad assistere al confessionario, ha stimato parte del suo pastorale ufficio di confermare ed approvare sì fatta traslazione, ma a scanzo di qualunque dissapore,

o controversia, che potesse suscitarsi in avvenire tra il parroco suddetto, ed i publici rappresentanti, ossia massari della comunità di Mongiovino amministratori perpetui di detto pio luogo, si sono fissate sotto l'approvazione del lodato monsignor vescovo le seguenti convenzioni da firmarsi tra il m. r. signor D. Gregorio Gregorj pievano per una parte, e dall' illustrissimi signori publici rappresentanti, o massari esercenti per l'altra parte, che sono li signori Lorenzo de Biani capo d'officio, Pietro Antonio Serafini massaro attuale nella pia casa, Giuseppe Teodori e Luigi Mariotti priori, quali convenzioni dovranno perpetuamente osservarsi tanto per la parte del signor pievano, e suoi successori, quanto per la parte dei publici rappresentanti, e loro successori, cioè « Primo « Posta per base invariabile la traslazione della parrocchia, e parrochialità nella chiesa, ossia santuario di Maria santissima di Mongiovino, di che il parroco ridetto trovasi al possesso fino da quattro anni compiti il parroco in essa chiesa esercitare tutte le funzioni sue proprie parrocchiali, combinandole però in modo, ed in ore tali, che niente impedischino, frastornino, e disturbino tutte le altre funzioni che sono proprie del santuario « Secondo « Resta vietato al parroco pro tempore di avere come tale la più piccola ingerenza negli affari temporali, economici, ed amministrativi della pia casa di Mongiovino ai quali dovranno esclusivamente presiedere li signori massari, come è costume, e ritenersi la scrittura, ed una delle chiavi dal primo cappellano della pia casa, come è stato praticato in addietro. « Terzo « Non avendo il parroco il peso di mantenere la lampada accesa innanzi il santissimo Sagramento, come l'aveva nella chiesa del Castello di Mongiovino Vecchio cederà da ora innanzi il quarto di oglio che soleva per questo titolo somministrare al santuario ogni anno libbre cinque di cera lavorata, restando sempre inoltre a carico della compagnia del santissimo Sagramento somministrare, secondo il consueto la cera occorrente per le funzioni delle terze domeniche di ogni mese, per la festa del Corpus Domini, e sua ottava, e per i due offici che suole fare fra l'anno la compagnia stessa « Quinto « Ritenuta dal parroco la precedenza delle funzioni, e processioni, resta convenuto, che nei funeri di quei defonti, che prima di morire abbino eletto la sepoltura nella chiesa del santuario non possa egli percepire, che la solita quarta de jure parochi, restando a suo profitto interamente il funere degli altri defonti, che non avendo eletto sepoltura li porterà a tumulare nella chiesa del castello di Mongiovin Vecchio, che dovrà sempre aversi a tutti i buoni effetti per chiesa comparrocchiale « Sesto « La cera da distribuirsi al popolo nella chiesa del santuario il giorno della Purificazione di Maria santissima sarà fornita una metà dal parroco, e l'altra metà dal santuario stesso « Settimo » Non potrà il parroco avere nella pia casa altre stanze di suo uso, che quelle, che occupa presentemente a condizione inoltre, che non possa in essa ritenere famiglia, nè di persone dell' uno, e dell' altro sesso a lui congiunte in parentela, nè di persone estranee, o di servizio, permettendoglisi soltanto presentemente di ritenervi la serva, perchè non dando il luogo pio la tavola ai cappellani, ne ha egli necessità per farsi servire, e cucinare, tanto per se, quanto per i cappellani, che tiene a dozzina; e tutte le volte, che il parroco pro tempore voglia convivere con famiglia, dovrà trovarsi l'abitazione fuori della pia casa « Ottavo « Le suppellettili, vasi, ed arredi sagri appartenenti alla chiesa parrocchiale, ed al parroco dovranno ritenersi, e custodirsi in armarj, e credenze separate da quelli del santuario, e giammai gli uni cogli altri confondersi, dovendo ognuno riconoscere i proprj. « Nono « La piccola separata chiesa, o sia cappella di s. Martino sarà di tutto uso del parroco per amministrarvi il battesimo, ritenervi l' olio santo, farvi la dottrina, ed ogni altra cosa, che stimerà esso parroco, e nel tempo stesso servirà di oratorio dei fratelli della venerabile compagnia del santissimo Sagramento. Fatti nella pia casa di Mongiovino li 18 maggio 1815. « Gregorio Gregorj parroco approvo quanto sopra mano propria « Lorenzo de' Biani capo d'ufficio « Pietro Anto-

nio Serafini massaro « Luigi Mariotti massaro « Giuseppe Teodori massaro « Approviamo i presenti articoli convenuti avanti di noi fra il parroco di Mongiovino, ed i massari del santuario di Maria santissima di Mongiovino in atto di nostra s. visita pastorale. Questo dì 18 maggio 1815 « F. B. vescovo di Città della Pieve visitatore « J. Scaccia cancelliere vescovile «

Decreta lata ab episcopo in actu sacrae visitationis super translatione paraeciae

§. 3 In Dei Nomine. Amen. Fidem facio, et attestor ego qui infrascrictus curiae episcopalis Civitatis Plebis cancellarius, qualiter illustrissimus, et reverendissimus Dominus Bonaventura Carenzi Dei, et apostolicae Sedis gratia episcopus Civitatis Plebis suae dioecesis s. pastoralem visitationem peragens in sanctuario b. M. virginis Montis Jovini inter alia sequens tulit decretum videlicet Die 18 maij 1815 « Cum illustrissimus, et reverendissimus dominus episcopus in hac sacra pastorali visitatione compererit in visitatione anni MDCCCXI. animarum curam translatam fuisse auctoritate ordinaria ab ecclesia b. M v. in caelum assumptae castri Montis Jovini Veteris in hac ecclesia, et sanctuario b. M. Montis Jovini, et cum hujusmodi transactionem valde utilem, ac ecclesiae proficuam agnovit primo, quia castrum Montis Jovini pene dirutum, ac inhabitatum; adeo ut duo tantum lares permanenter existunt; secundo, quia accessus ad idem castrum adeo est difficilis, et arduus, et major hujus paraeciae animarum numerus duobus milliariis ab eo distat, quod effecerat, ut pene nullus ex parochianis ad audiendas parochiales conciones, christianam doctrinam, aliasque functiones ecclesiasticas, et ad discenda rudimenta fidei amplius non adiret: e contra vero parochus existens in sanctuario praedicto in centro parochiae existit, et illius parochiale munus omnibus commodo, et praesto est, « Tertio denique quia ecclesia parochialis castri Montis Jovini minus decens divino cultui, ac populo periculosa est; e contra vero decentissima ecclesia hujus sanctuarii, et a populis frequentata; ideo variis pactionibus, et articulis parochum inter, et massarios, seu administratores piae domus Montis Jovini cum mediatione dominationis suae illustrissimae, et reverendissimae constabilitis, prout ex foliis hic alligatis translationem parochialitatis omnino confirmavit, ac pro confirmata haberi voluit, et mandavit, illamque cum pactis, et regulis de quibus in praeinsersis foliis perpetuo observari praecipit non solum isto, sed et omni alio meliori modo « J. Scaccia cancellarius episcopalis.

Confirmatio apostolica

§. 4. Ut itaque memorata translatio, et respectivae conventiones, et pactiones, ac ordinarii praedicti decretum super hac re firmius subsistant, et serventur exactius, omnia apostolicae auctoritatis praesidio muniri, approbari, confirmarique vehementer praedictus parochus exponens desiderat, enixisque precibus a Nobis efflagitat. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, praedictam translationem, et praeinsertas conventiones, et pactiones, ac decretum ordinarii una cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in iis quomodolibet intervenerint supplemus, atque sanamus.

Derogatio contrariorum

§. 5. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper ac perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quosque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam qua-

vis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel: rec: Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, nec non dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenoribus praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta julii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCVI.

Dat. die 4. julii 1815. anno XVI.

Confirmatio decretorum editorum a sacra congregatione Rituum favore monialium nuncupatarum ab Incarnatione civitatis Cordubensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum superiorissae, et monialium nuncupatarum ab Incarnatione Cordubensis civitatis expositum Nobis nuper fuit, ipsae pro eo, quo in beatam virginem Mariam, ejusque sponsum s. Josephum flagrant devotionis affectu duo rescripta ex audientia Nostra obtinuerint, primum sequentis tenoris videlicet.

Cordubensis

Tenor primi rescripti.

§. 2. « Sanctissimus Dominus Noster Pius pp. VII. pontifex maximus, attentis precibus porrectis pro parte monialium nuncupatarum ab Incarnatione, ordinis Cistercensium, civitatis Cordubensis, ad mei infrascripti sac. Rituum congregationis assessoris relationem, pro iisdem dumtaxat, ac earumdem ecclesia, elevavit ritum festi sanctissimi Rosarii b. M. v. a dupl. majo:, ad dupl. 2. classis. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Die decima quarta junij millesimo octingentesimo decimo quinto.

Loco ✠ Signi

Julius M. card. episcopus Tusculanus de Somalia vic. gen. S. R. C. praefectus.

Pro r. p. d. Jul. de Carpineo S. R. C. secretario

Aloisius Gardellini S. R. C. assessor

Cordubensis

Tenor secundi rescripti.

§. 3. Alterum vero rescriptum. Supplicantibus monialibus monasterii nuncupati ab Incarnatione ordinis Cistercensium civitatis Cordubensis, sanctissimus Dominus Noster Pius VII. pontifex maximus; ad mei infrascripti sac. Rituum congregationis assessoris relationem benigne indulsit elevationem ritus festorum patrocinii s. Josephi sponsi b. M. v. et s. Archangeli Raphaelis a dupl. maj: ad dup: 2. classis. Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Die 14. junii 1815.

Loco ✠ Signi

Julius M. card. episcopus Tusculanus de Somalia vic. gen. S. R. C. praefectus.

Pro r. p. d. Jul. de Carpineo S. R. C. secretario

Aloisius Gardellini S. R. C. assessor.

Confirmatio apostolica

§. 4. Cumque praeinserta rescripta quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri vehementer desiderent; Nos ipsas exponentes moniales specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ambo praeinserta rescripta auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, et eorum utrique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta julii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 10. julii 1815 anno XVI.

DCVII.

Allocutio habita in consistorio secreto die decima julii MDCCCXV.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres

Proemium.

Quid causae fuerit, venerabiles fratres, cur martio hujus anni mense subitum, nec opinum ad superiorem Italiam iter susceperimus, opus non est, ut vobis, qui consiliorum Nostrorum participes, et itineris Nostri comites extitistis, pluribus explicemus. Quamvis autem, ut in re trepida pontificia dignitas sarta tectaque servaretur, omnino proficiscendum Nobis esset, tamen, ut quod res est, fateamur, invito prorsus, tristique animo a Nostra, Nostrique amantissima urbe discessimus. Quae enim ejusdem urbis anxietas, quae consternatio, qui luctus inde futurus esset ob funestos, quos profectio Nostra portendere videbatur eventus, perspicue videbamus. Ut publicam vero sollicitudinem Nostro discessu partam aliquo modo levaremus, absentiam Nostram, sicuti divina bonitate confisi sperabamus, brevissimam fore, et Romano, et omnibus ditionis pontificiae populis Nostro nomine significari curavimus. Nec spem hujusmodi Nostram fefellit eventus. Consueta enim invictaque Austriaci exercitus virtute factum est, ut trium mensium spatio nondum exacto ad urbem, Sedemque apostolicam remeare tuto, feliciterque potuerimus. Etsi vero itineris causa omnium animis, in primis autem Nostro acerbissima fuit, omnem tamen acerbitatem sustulerunt laetissimi, quos ex itinere ipso fructus, Deo miserente, percepimus. Universi enim, quos perlustravimus Italiae populi tales intimae, solidaeque pietatis sensus Nobis manifestarunt, ita se Petri cathedrae devinctos, devotosque ostenderunt, ut peregrinatio Nostra solemnis, perpetuusque sanctissimae religionis triumphus videretur. Singulos hic nominare, meritisque laudibus prosequi, si praefinita orationi Nostrae brevitas id sineret, ex animo cuperemus. At Genuenses apud quos diutius commorati sumus ingrato silentio praeterire nullo modo possumus, quorum eximia in religionem atque erga Nos studia ita exarserunt, ut divi Bernardi ad ipsos olim scribentis verba libentissime hic, verissimeque repetamus. *Numquam obliviscemur tui civitas illustris, populus fidelis.* Qui Genuensium, omniumque generatim Liguriae populorum motus, quae exultatio, qui plausus fuerunt, cum Genua Savonam perreximus, ut Deiparae signo magna ibi religione cultae aureum diadema solemni ritu imponeremus! Ut carissimi in Christo filii Nostri Victorii Emmanuelis Sardiniae regis illustris, qui sacrae caeremoniae adesse voluit, religiosa tum maxime pietas eluxit! Quas amoris, obsequii, et splendidissimae liberalitati significationes a praestantissimo rege accepimus Genuae, Savonae, in primis autem Augustae Taurinorum, quo ad ipsum invisendum, salutandumque divertimus! Eadem quoque singularis in Nos devotionis

officia renovata Nobis postea fuerunt et Florentiae a dilectissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Austriae archiduce, magnoque Etruriae sibi subjectae duce religionis, atque omnium quae principes viros decent virtutum supellectile ornatissimo, et Mutinae a dilectissimo item in Christo filio Nostro Francisco archiduce pariter Austriaco, et Mutinae duce piissimo, qui in ipso juventutis flore consummatae in regendis populis sapientiae quotidiana documenta praebet, nec non a dilectissima in Christo filia Nostra Beatrice lectissima, omnique laudum genere celebranda ejus uxore, a quibus benignissime excepti, maximisque pietatis, observantiae, munificentiaeque testimoniis cumulati sumus. Quae dum grato animo recolimus, paternam Nostram erga excelsos adeo principes charitatem, et vehementius accendi sentimus, et tantorum meritorum numquam Nos ex animo memoriam dimissuros profitemur.

DCVIII.

Dat. die 14. julii 1815 anno XVI.

Facultas emphitheuticandi molam frumentariam possessam a capitulo ecclesiae loci nuncupati Canino dioecesis Acquipendiensis cum canone scutorum septemdecim cum dimidio.

Venerabili fratri
Episcopo Aquipendiensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici cleri ecclesiaeque loci de Canino istius Aquipendiensis dioecesis; quod cum dicta ecclesia molam frumentariam in ipsius loci territorio extructam possideat variis, necessariisque restaurationibus indigentem, capitulum ipsum pro ecclesiae conditione melioranda, molam hujusmodi in emphyteusi dare cupiens, adfixis desuper palam edictis tandem invenit dilectum filium Innocentium Croce, qui paratus est illam in emphyteusi ad tertiam masculeam generationem sumere pro annuo canone scutorum septendecim cum dimidio monetae Romanae, ac propterea omnes restaurationes ibi necessarias ad molam operosam reddendam suis sumptibus efficere. Quod cum cedat in evidentem ecclesiae utilitatem; idcirco capitulum praedictum molam in emphyteusi memorato Innocentio cum conditionibus supra expressis concedere intendit, si Nostra, et hujus sanctae Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, et facultas. Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, siquibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, qui relationem tuam attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et postquam compereris in evidentem ecclesiae utilitatem fore cessurum, petitam facultatem ineundi praedictum emphyteusis contractum ad tertiam generationem masculinam tantum favore dicti Innocentii Croce cum annuo canone, et conditionibus supra expressis, aliisque proficuis, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia impertiaris. Ita tamen ut census annuus solvatur praecipuus, et liber, supportatis omnibus oneribus realibus, et personalibus per emphyteutam, et descriptis in instumento confinibus, melioramenta vero solo cedant. Tenor concessionis

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli pp. II, et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; caeteris contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut finita, aut quomodolibet deficiente tertia generatione masculina hujusmodi, mola praedicta cum suis membris, et pertinentiis universis, nec non cum melioramentis pro tempore quolibet factis, ad ipsam ecclesiam pleno jure, atque omnino libere revertantur, illique cedant, absque eo quod renovatio concessionis hujusmodi a quoquam sub quovis praetextu, vel causa pelli, seu praetendi possit. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima quarta julii, millesimo octigentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCIX.

Dat. die 14 julii 1815 anno XVI.

Concessio administrationis ecclesiae dicatae b. M. virgini, et s. Sebastiano in civitate Mutinensi facta favore marchionis Petri Tacoli, ejusque successorum cum assignatione beneficii pro illius manutentione.

Venerabili fratri
Episcopo Mutinensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Expositio precum. §. 1. Ex parte dilecti filii marchionis Petri Tacoli Mutinensis expositum Nobis nuper fuit, quod, cum ipse pro sua in Deum pietate ecclesiae b. M. v, et s. Sebastiani a profanatione, et suppressione propriis sumptibus in summa mille circiter, et sexcentorum scutorum monetae Romanae exemerit, addito insuper sibi onere solvendi annuum emphyteuticum canonem scutorum quadraginta monetae similis favore congregationis charitatis istius civitatis, ac suis etiam sumptibus eadem ecclesia manuteneatur, ibique sacrae functiones, et pia exercitia expleantur, ne divinus cultus ibi unquam excidat, unius simplicis beneficii sub titulo s. Clementis redditus de suo (ut asserit) patronatus jure, cui beneficio nullum onus ex lege fundationis adnexum reperitur, pro ejusdem ecclesiae manutensione, et perpetua sacrarum functionum continuatione converti in perpetuum, atque ob eam rem a se, suisque descendentibus administrari posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur attentis desuper relationibus tuis, ejusdem exponentis zelum valde in Domino commendantes, et confovere, et specialibus gratiis prosequi volentes, ejusque personam a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus, constito tibi prius de narratis, memoratum beneficium s. Clementis cum suis bonis, redditibus, juribus, et pertinentiis universis dictae ecclesiae, et illius perpetuae manutentioni, sacrisque functionibus ibidem continuandis; minime vero in alios usus convertendos auctoritate Nostra apostolica, arbitrio, et conscientia tuis in perpetuum addicas, atque adtribuas, ac omnium, et singulorum ejusdem beneficii bonorum, et proventuum quorumcumque administrationem dicto Petro, ejusque descendentibus in infinitum concedas; ita tamen, ut, demptis necessariis administrationis hujusmodi impensis, reliqui beneficiales fructus ad praemissos dumtaxat, numquam autem in alios usus convertantur.

Clausula sublata et decretum irritans. §. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et

obtinere : sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit, fel: rec: Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti beneficii fundationis legibus, et privilegiis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut tam dictus Petrus, quam alii in administratione hujusmodi sibi successuris intra semestre a die ademptae administrationis computandum inventarium bonorum beneficialium cancellariae episcopali tradere, ac juramentum de bonis hujusmodi non alienandis, imo custodiendis diligenter praestare teneantur. Caeterum per praesentes non intendimus praedictum juspatronatus in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta julii millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 28 julii 1815 anno XVI.

DCX.

Ampliatio privilegiorum a s. m. Benedicto XIV. concessorum cappellanis honorariis regii sacelli catholici regis cum declaratione onerum ab ipsis perferendorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Ex parte carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici expositum Nobis nuper fuit, quod cum inter praecipuos regii sui sacelli ministros, quadraginta cappellani honorarii reperiantur, horum sextario dumtaxat numero felicis recordationis Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster per suas in simili forma brevis datas literas die xxvii. junii MDCCLIII. modo, et forma in iisdem literis tunc expressis auctoritate apostolica concessit et indulsit, ut durante cappellanatus hujusmodi officio tantum a suis respectivis ecclesiis, in quibus praebendas et beneficia ecclesiastica personalem residentiam apud ipsas ecclesias requirentia eos obtinere contigisset, abesse, atque interim omnes, et singulos eorumdem beneficiorum, ac praebendarum fructus, redditus, jura, et obventiones percipere, exigere, et levare, atque in suos usus, utilitatemque convertere libere, et licite possent, et valerent, ac alias, prout in dictis Benedicti praedecessoris literis, quorum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus fusius continetur. Cumque ad praesens ipse Ferdinandus rex ad alios sex ex memoratis quadraginta cappellanis per Nos indultum hujusmodi extendi, paremque gratiam ipsis concedi plurimum cupiat, Nobis idcirco obsequenter supplicari fecit, ut novum indultum, ut infra concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ejusdem regis Ferdinandi votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, et eorum singulos, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati memoratum abessendi indultum pro sex, ut praefertur, cappellanis hujusmodi pridem ab apostolica Sede concessum, ad alios sex dumtaxat pro tempore existentes cappellanos honorarios nuncupatos ab eodem rege designandos, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus; iisque de novo concedimus, servata tamen in reliquis omnibus dictarum Benedicti praedecessoris literarum forma, et dispositione.

Praeceptum de tradendo

§. 3. Mandantes propterea singulis capitulis, et canonicis metropoli-

redditibus, et proventibus. tanarum cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum, in quibus praebendae, et beneficia hujusmodi erecta reperientur, caeterisque ecclesiarum rectoribus, praepositis, et personis, ad quas fructuum hujusmodi traditio spectat, et pro tempore spectabit in virtute sanctae obedientiae, ut redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque ad praebendas, et beneficia hujusmodi respective spectantia, et obvenientia unicuique ex secundo dictis sex cappellanis, seu eorum legitimis procuratoribus juxta tenorem dictarum Benedictinarum literarum, tradant, et consignent, vel tradi, et consignari curent, et faciant realiter, et cum effectu. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Benedictus praedecessor in dictis suis literis non obstare voluit, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Praeceptum de supportandis oneribus. §. 4. Volumus autem, quod propter absentiam cappellanorum hujusmodi, praebendae, eorumque beneficia praedicta debitis non fraudentur obsequiis, sed uniuscujusque eorum congrue, et respective supportentur onera consueta. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava julij millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DCXI.

Dat. die 4 augusti 1815 anno XVI.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in feria sexta, aut dominica immediate sequenti post octavam solemnitatis Corporis Christi, visitaverint ecclesias ab ordinariis disignandas in dioecesibus regni Hungariae, in quibus imago sacri cordis Jesu publicae fidelium venerationi exposita reperiatur.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Ratio, et tenor concessionis. §. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti filii equitis Joannis Baptistae Dominici de Jacobi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis civitatum et dioecesum Hungariae regni, et ducatus Styriae, in quibus imago sacri cordis Jesu publicae fidelium venerationi exposita reperitur, feria sexta, aut dominica immediate sequente post octavam solemnitatis sanctissimi Corporis Christi per ordinarios respective locorum in respectivis ecclesiis designanda a primis vesperis, aut in una feria sexta, vel dominica cujuslibet mensis, ut supra designanda ab ortu usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 2. Insuper iisdem Christifidelibus, saltem contritis, in quolibet ex reliquis totius anni diebus praemissa peragentibus biscentum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Applicatio indulgentiarum per modum suffragii.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto. Fides habenda transumptis.

Dat. die 11 augusti 1815 anno XVI.

DCXII.

Facultas gestandi crucem in memoriam et honorem sancti Laurentii martyris pro canonicis metropolitanae ecclesiae Januensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum exempla imitantes specialibus decorationibus interdum afficimus ecclesiasticos illos viros, qui almae Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt, quique de hac apostolica Sede ne difficillimis quidem temporibus bene mereri destiterunt.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur, sicuti dilecti filii dignitates, et canonici metropolitanae ecclesiae Januensis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in inclytum s. martyrem Laurentium ejusdem ecclesiae titularem flagrant devotionis affectu, atque ad coelestem s. martyris jugiter recolendam charitatem, quae adeo emicuit, et flagravit, ut segnior fuerit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit, signum aliquod palam gestare posse plurimum desiderent.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos qui ob novos iterum excitatos bellicos tumultus ab urbe profecti eo appulimus, ibique cum venerabilibus fratribus Nostris S.R.E. cardinalibus commorantes, omnia tum cleri, tum civitatis, tum Christianorum undique confluentium fidei, devotionis, charitatisque in Nos, et Sedem praedictam argumenta recepimus, dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis, etiam ut ibi perenne aliquod publicum grati Nostri animi restet testimonium, prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, dignitatibus, et canonicis metropolitanae ecclesiae praedictae nunc et pro tempore in perpetuum existentibus, ut ipsi crucem, seu numisma radiatum aureum juxta formam Nobis exhibitam, et quam remitti mandamus, in cujus antica laudati s. martyris effigies, in postica vero craticula insculptae sint cum catenula simili ante pectus appensam palam, et ubique locorum gestare, nec non in sacro faciendo, aliisque presbyteralibus functionibus exercendis abugia (non tamen praesente archiepiscopo) uti libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Ipsosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam quovis praetextu, causa, et occasione perturbari, aut impediri nullatenus posse; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Sedis nuntios, ac S.R.E. cardinales de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, ipsius metropolitanae ecclesiae Januensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima augusti millesimooctingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 11 augusti 1815. anno XVI.

DCXIII.

Facultas concessa regi Sardiniae alienandi nonnulla bona ecclesiastica pro substinendis expensis belli cum lege reintegrandi loca pia, ad quae bona ipsa pertinebant.

Carissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster
Salutem et apostolicam
benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Cum in postrema, inopinata rerum perturbatione asylum in fidelissima Januensi urbe quaerere coacti fuimus, ne dum in omni tribulatione Nostra consolabantur Nos splendidissima, et assidua devotionis, ac observantiae testimonia, quibus religiosissimi illi ex omni ordine cives Nos honestarunt, verum etiam magnam coepimus voluptatem ex piissimis, sapientissimisque majestatis tuae animi sensibus, ardentique zelo catholico principe dignissimo, quo omni contentione manus adjutrices satagis Ecclesiae praebere, ut acerbissima mala, quae in tuam etiam ditionem adversus sanctissimam religionem legesque ecclesiasticas calamitas temporum intulit, sanentur, vel potius tollantur. Verum novi in tui regni tuitionem belli sustinendi sollicitudo, et cura impedimento tibi erat, quominus ea omnia statim praestares, quae praestare tamen pie voluisses, teque eo adigebat, ut serio cogitares an aliqua foret ratio securitatis finium tuorum procurandae, quae non modo Italiae salus, sed et religionis tranquillitas continebatur. Porro, qui pro tui regiminis restauratione, pro tuorum militum copiis in pristinum revocandis, augendisque, pro reparandis arcibus, proque alendis tuis aeque ac potentissimorum principum foederatorum, in Pedemontana dominatione exercitibus necessario requirebantur sumptus; tot tantique erant, ut liquido constaret iis faciendis minime suffecturas, tum regii aerarii vires jam exhausti, tum vectigalia extraordinaria, quae difficillima hac aetate imponi potuere; tum denum demandatam jam venditionem reliquae partis illorum bonorum, quae similes ob causas sanctae memoriae Pius VI. praedecessor Noster distrahi permisit. Cum ergo nullam aliam videres patere viam ad ingentia belli onera ferenda, illius scilicet belli, quod non modo erat justissimum, sed plane necessarium, eo vel invitus, devenisti, ut nonnulla ex ecclesiasticis bonis, regio fisco antea addictis, et adhuc invenditis, alienandi veniam a Nobis implorares. Eodem autem tempore ob pietatis, justitiaeque sensus, quos actionum tuarum duces habes perpetuos, expresse declarasti, te simul ac pro tempore, et copia licuerit, pia loca, religiososque ordines, ad quas bona distrahenda pertinent, indemnes redditurum. Non potuimus quidem, quin acerbo, gravique animi dolore afficeremur ex novis jacturis, quas imminere videbamus bonis Deo sacris, bonis videlicet, quae ad ipsius cultum, aut ad animarum salutem, seu ad ministros, et pauperes sustentandos sunt destinata, quae sane jacturae longe funestiores ecclesiae accidere debent praesertim post execrandam, sacrilegamque spoliationem, quam Ecclesia anteactis temporibus in Pedemontana ditione tua perpessa est.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos nihilominus pro certo habentes te absque urgenti necessitate haudquaquam ad hoc extremum devenisse remedium, quod in felici dominatione tua moram allaturum foret plenae regularium ordinum restaurationi, quos majestas tua probe noscit Ecclesiae, et civili societati maxime prodesse, et illud etiam prae oculis habentes, imploratam veniam ad tuam praeclarum finem referri regalem familiam, de re catholica optime meritam, in avita sede servandi, simulque Italiam a nova hostium incursione, Ecclesiamque a novis aerumnis tuendi: votis tuis quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, eidem majestati tuae ex sacris bonis quibuscumque stabilibus adhuc non alienatis (illis exceptis, quae sunt de patronatus familiarum jure) portionem valoris centies centena millia librarum monetae Pedemontanae segre-

gandi, atque vendendi, pecuniamque inde perceptam ad praemissorum effectum dumtaxat libere, et licite erogandi plenam, et amplam licentiam, et facultatem de apostolicae potestatis plenitudine, quod rescripto Nostro Januae dato die octava maij hujus anni promisimus, apostolicis his literis in forma brevis tribuimus, et impertimur.

Conditiones concessioni adjectae.

§. 3. Cum hac tamen expressa lege, et conditione, ut quo citius pro temporum circumstantiis fieri poterit, atque ad summum intra quinquennium proximum ab hac die computandum, totidem montium loca constituas, quot requirentur pro ecclesiarum, aliarumque piarum institutionum redintegratione pro respectiva bonorum hujusmodi divenditorum rata ipsis facienda, ac etiam, ut tam in separationibus, quam in venditionibus exequendis tribus ecclesiasticis viris perspectae probitatis, et fidei, quorum nominationem majestati tuae permittimus, et quorum alter sit caractere episcopali insignitus, vel saltem in dignitate ecclesiastica constitutus, utaris, qui cum totidem regiis administris tuis, probitate pariter, et fide conspicuis pro bonorum delectu, et segregatione, itemque pro caeteris rebus, quae in praesenti concessione continentur, diligentissime caveant, ut ecclesiae patrimonium minori, quo possit fieri, detrimento afficiatur. Nos interim spes recreat, ac reficit, secundum ea, quae cum essemus coram, ex te ipso audivimus, hanc Nostram indulgentiam in providendo de Nostrae potestatis plenitudine urgentibus principatus tui necessitatibus compensandam fore illarum legum abrogatione, quae fidelium facultatem coercent imitandi piam majorum in Ecclesiae commodum liberalitatem, eo vel magis, quod post tantam rerum omnium spoliationem, quam per temporum perversitatem non ita pridem Ecclesia pertulit, coloratae earum legum ferendarum causae cessaverunt.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sedis apostolicae nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II. et aliorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, nec non Benedicti XIV. praedecessoris itidem Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, beneficiorum, ordinum regularium, et quarumcumque piarum institutionum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Desiderium speciale pontificis.

§. 6. Caeterum tibi carissime in Christo fili Noster, notum esse desiderium, et spem nunc maxime Nobis adfulgentem, fore, ut leges illae tandem abrogentur, quae piis, reli-

giosisque operibus noviter instituendis adversantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima augusti millesimo octigentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DCXIV.

Dat. die 11 augusti 1815. anno XVI.

Facultas concessa magno duci Hetruriae alienandi nonnulla bona ecclesiastica, ut ex pretio eorum suppleret sumptibus gravissimis occursis in anteacto bello acerbissimo, quo tandem absoluto, pax Europae fuit restituta.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Ferdinando archiduci Austriae, et Hetruriae sibi subjectae magno duci.

Pius PP. VII.

Dilectissime in Christo fili Noster
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Ratio concessionis.

§. 1. Extraordinarios sumptus, eosque sane gravissimos, haud multo post facere coactus es, quam celsitudo tua imperialis in possessionem Hetruriae tibi subjectae redierit, ut acerbissimum bellum, quo non Italiae solum, sed totius Europae pax turbata est, pro parte tua sustinere, atque amoliri posses. Hujusmodi vero est post superiorum temporum tot, tamque exitiales calamitates, quae nec dum heu! cessaverunt, aerarii publici, et subditorum tuorum conditio, ut sumptibus ipsis supplendis nequaquam par esse possit. Hae causae sunt potissimae, quae te, licet invitum impulerunt, ut ad apostolicam Sedem recurreres, a Nobisque enixe postulares facultatem vendendi vigesimam partem bonorum ecclesiasticorum, quae invendita supersunt; quae pars scutorum tercentum mille pretium exaequant. Sed pro eximia tua sapientia, aequitate, et religione, cujus tam conspicuas Nobis significationes dedisti, quum semel, atque iterum in Nostra illa fuga a subita in ecclesiasticae ditionis fines irruptione hospitio tuo honorificentissime, et liberalissime excepti sumus, tumet probe novisti, non posse Nos sine apostolici muneris Nostri offensione petitioni tuae satisfacere, nisi praeter canonicam aliquam causam, nempe necessitatis, qualem in illa adesse comperimus, cautiones omnes adhiberentur, ut hujusmodi sacrificium, quam minima possit ecclesiae jactura fieret, quod quidem sacrificium eo gravius, acerbiusque ecclesiae ipsi accidere debet, quo immaniores depraedationes superioribus hisce temporibus passa est. Itaque conditiones eas ultro excogitasti, tibique imposuisti, ut quoad fieri potest, Ecclesiae indemnitati satis consultum fore videatur.

Conditiones servandae in perficienda venditione.

§. 2. Sunt autem hujusmodi; primo, ut alienatio iis cautionibus fiat, quae pretii justitiam reddant certiorem; praemissis videlicet consuetis aestimationibus, et notificationibus, et publica bonorum vendendorum auctione; deinde, ut intra proximum decennium sors principalis restituatur, qua alia bona stabilia ementur, quae pretium exaequent tercentum mille scutatorum; denique ut interim, ne ob reddituum defectum, qui a divenditis bonis perciperentur ordinum religiosorum utriusque sexus restitutio retardetur, quos quanto sint Ecclesiae, et statui decori, et ornamento perspectum profecto habes, solvantur ab aerario regio quotannis fructus compensativi, idest quinque scutatorum pro quolibet centenario. Nos igitur harum conditionum aequitate perspecta, et moderatione, quum calamitatum illarum, quae necessitatem hanc induxerunt, quaeque nondum cessavere, testes, imo, et pars magna fuerimus, quumque celsitudini tuae, quam veluti charissimum filium, de Nobisque optime meritum, observamus, et peculiari quadam paterna charitate complectimur, obsecundare, et gratificari vehementer, quatenus possumus, in Domino optemus, facultatem abs te non semel petitam ex plenitudine apostolicae potestatis juxta expositas superius conditiones concedimus; hac tamen adjecta, ut tres ecclesiastici viri probitate, ac pietate praediti, quorum unus sit episcopus, aut saltem in dignitate con-

stitutus, una cum regiis administris venditionis negotio praesint, ut omni aequitate, et ad praescriptum exacte fiat.

Monitum speciale.

§. 3. Quum autem ecclesia, veluti provida mater nunquam statuum necessitatibus opem ferre pro viribus renuat, quod quidem et praesens Nostra concessio apertissime demonstrat, ipsi a celsitudine tua hanc vicem rependendam esse confidimus, summa tua pietate, ac religione freti, ut subditis tuis religiosissimis libertatem impertiaris antiquatis contrariis legibus, relinquendi, aut donandi ecclesiae bona stabilia, ut tali modo resarciri possint immanissima damna, quibus sacrilega impiorum rapacitate superioribus temporibus eam affectam fuisse videmus, et ad mendicitatem propemodum redactam. Id autem eo magis jubemur sperare, quod jamdiu speciosae illae causae desierint, quibus leges illae praetexebantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et Sedis apostolicae nuncios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II. et aliorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, nec non Benedicti XIV. praedecessoris itidem Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non locorum piorum, eorumque fundationum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima augusti millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DCXV.

Dat. die 14 augusti 1815 anno XVI.

Dismembratio villae Vicosae nuncupatae in regno Algarbiorum a jurisdictione archiepiscopi Elborensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. In supremo apostolicae dignitatis apice nullis Nostris suffragantibus meritis, sed ineffabili divina dispositione, et bonitate constituti, inter alia curandum existimamus, quod per Nostrae providae dispositionis officium majori quorumdam locorum decori, et animarum in eis degentium utilitati provideatur, ad quem effectum etiam eorumdem locorum dismembrationis medium interponere non recusamus, quando conspicimus ita in Domino salubriter expedire.

Memorantur praecedentes literae ad rem expeditae, et omnia quae in illis de erectione villae Viçosae disposita fuerunt exponuntur.

§. 2. Alias Nos votis, et precibus dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, et regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis per dilectum etiam filium equitem, et commendatorem ordinis militaris Domini Nostri Jesu Christi Josephum Emmanuelem Pinto ejusdem Joannis principis et regentis apud Nos, et Sedem apostolicam ministri, ipsius Joannis principis, et regentis nomine Nobis porrectis benigne annuentes, per similes Nostras literas incipientes « *Per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam* « sub plumbo etiam expeditas apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, quinto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno septimo, praevia perpetua singularum cappellaniarum, et beneficiorum quorumlibet in regali cappella in villa Vicosa Alborensis dioecesis sita tunc existentium, ac perpetui beneficii ecclesiastici archidiaconatus de Regoa nuncupati forsan residentialis, ac dignitatis in cathedrali ecclesia Portugallensi, ac alterius pariter beneficii thsaurariatus majoris nuncupati de Barcellos dictae Portugallensis, seu alterius dioecesis personalem fortasse residentiam requirentis, aliorumque viginti perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum in sancti Salvatoris, sancti Joannis, et sancti Jacobi respectivis collegiatis ecclesiis civitatis Bejensis, ac pariter aliorum beneficiorum hujusmodi liberae ordinariae collationis in quibusvis ecclesiis civitatum, et dioecesum regnorum Portugalliae, et Algarbiorum hujusmodi respective existentium primo loco vacaturorum, quousque dumtaxat illorum fructus, redditus, et proventus una cum antedictorum archidiaconatus, et thesaurariatus, nec non viginti beneficiorum memoratarum ecclesiarum fructibus, redditibus, et proventibus annuam summam triginta millium cruciatorum monetae Portugalliae constituerent, et insimul cum sex mille circiter cruciatis a memorata cappella possessis pro supportandis expensis in ejusdem cappellae in insignem collegiatam ecclesiam erigendae, suppressione, cappellam eamdem in saecularem et insignem collagiatam ecclesiam cum omnibus immunitatibus, privilegiis, et concessionibus aliis saecularibus, et insignioribus collegiatis in eodem regno existentibus ecclesiis, et in ea unum decanatum, qui inibi principalis pro uno presbytero iis praedito qualitatibus, quae juxta canonicas leges requiruntur, futuro in ea dacano, et per Nos et Romanum pontificem pro tempore existentem ad episcopalem ecclesiam in partibus infedelium promovendo, qui praedictae cappellae in collegiatam ecclesiam erectae caput existat, atque in ea ordinariam jurisdictionem exerceat, ac praeeminentiam, et primum locum habeat, et unum thesaurariatum majorem nuncupandum, qui inibi secunda respective dignitates existant, et quatuordecim cappellanias canonicatus respective nuncupandas pro totidem presbyteris, seu clericis in illa canonicis nuncupandis, nec non sexdecim beneficia pro totidem quoque presbyteris, seu clericis beneficiatis nuncupandis, et unum musices magistrum cum cantorum choro, qui omnes ibi horas canonicas, et divina officia ecclesiastica disciplina servata decantare, et psallere, ac alias eidem regiae cappellae in collegiatam erectae in divinis laudabiliter deservire, et canere respective teneantur ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine perpetuo ereximus, atque instituimus. Et ut fabricae ac seminario praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae et dignitates ac singulas cappellanias canonicatus, ut praefertur, nuncupandas, nec non beneficiatus pro tempore respective obtinentibus, et magistro musices cum cantorum choro pro onerum unicuique eorum incumbentium supportatione congruae, convenientisque dotis fundamenta constitui valerent archidiaconatus de Regoa, et thesaurariatus de Barcellos, aliorumque supramemoratorum beneficiorum respective fructus, redditus, et proventus sub certis modo, et forma tunc expressis perpetuo itidem univimus, anneximus, et applicavimus. Et insuper eidem regiae cappellae in saecularem, et insignem collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, illiusque dignitatibus, canonicis, et beneficiatis pro tempore existentibus, ut ipsi, eorumque officiales, et ministri omnibus, et singulis immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praeroga-

tivis, indultis, favoribus, et gratiis, quibus aliae saeculares, et insigniores in eodem regno existentes collegiatae ecclesiae, earumque capitula, dignitaies et canonici de jure, usu, consuetudine, aut privilegio utuntur, fruuntur, et gaudent, similiter et absque ulla prorsus differentia etiam uti, frui, et gaudere possint, et valeant etiam perpetuo concessimus, et indulsimus. Eidem vero Joanni Brasiliae principi regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regenti pro ejusdem insignis collegiatae ecclesiae, ut praefertur, erectae, illiusque capituli sacrarii rerum, et bonorum omnium prospero, et felici regimine, ac directione quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis minime contraria edere, declarare, et in meliorem formam redigere, ac reformare, et quatenus opus foret etiam de novo condere, et postquam condita fuerint tam per ipsum Joannem Brasiliae principem, quam regios ipsius successores toties quoties pro rerum et temporum circumstantiis expediens videbitur illa in toto, vel in parte corrigi, mutari, et in melius reformari libere et licite respective possint, et valeant, eadem apostolica auctoritate licentiam, et facultatem concessimus, et impertiti fuimus. Ac eidem Joanni principi, et regenti, illiusque regiis successoribus jus nominandi personas idoneas tam ad decanatum, et thesaurariatum, quam ad singulos canonicatus, et beneficiatus ut supra erectos, tam pro prima vice a primaeva illorum erectione, et institutione vacantes, quam in singulis futuris illorum respective vacationibus ubicumque, quandocumque illos vacare contigerit apostolica auctoritate praedicta in perpetuum quoque reservavimus, concessimus, atque assignavimus, eamdemque cappellam in insignem collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectam cum suis capitulo, seminario, beneficiis ecclesiasticis cujusvis speciei, ac dignitatibus, canonicis, beneficiatis, aliisque ministris quovis nomine nuncupatis, et officialibus illi inservientibus, et addictis ab omnimoda subjectione, superioritate, correctione, visitatione, et potestate pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis, ita quod ipse nunquam in posterum aliquam spiritualem jurisdictionem in capitulum, seminarium, seu personas eidem cappellae addictas exercere possit, eadem apostolica auctoritate, et de potestatis plenitudine perpetuo quoque exemptam, et totaliter liberatam declaravimus. Ac praedictae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae sic a quacumque jurisdictione archiepiscopi Elborensis exemptae, et totaliter liberatae curam, regimen, et administrationem presbytero ejusdem collegiatae ecclesiae decanatum pro tempore obtinenti per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, ut supra in hujusmodi dignitate instituendo, atque etiam ad ecclesiam episcopalem in partibus infidelium promovendo concessimus, atque tribuimus, ita ut ipse pontificali dignitate insignitus ordinariam jurisdictionem, atque pontificalia munia etiam quoad ordinum collationem, confessariorum adprobationem respectu dumtaxat ejusdem collegiatae ecclesiae, omnesque et singulas facultates etiam quoad expeditionem literarum dimissorialium tamquam verus et realis ordinarius in ipsa collegiata exercendo idoneas personas ad thesaurariatum, canonicatus, beneficiatus, sive alia beneficia in eadem collegiata ecclesia erecta nominatas canonice instituere libere, et licite valeat, et super illis omnimodam spiritualem ecclesiasticam, et ordinariam jurisdictionem habere, ac omnia, et singula, aliaque archiepiscopi sive episcopi in ecclesiis eis subjectis hactenus exercere consueverunt similiter, et pariformiter absque ulla prorsus differentia gerere, et facere possit statuimus, atque decrevimus, aliaque concessimus, prout in praedictis literis plenius continetur.

§. 3. Cum autem praefatus Josephus Emmanuel etiam ejusdem Joannis principis, et regentis nomine exposuerit, quod si praedicta villa Vicosa, ejusque territorium a jurisdictione pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis dismembrarentur, et jurisdictioni pro tempore existentis decani ejusdem collegiatae ecclesiae in praefata villa, ut praefertur, erectae supponerentur, ex hoc profecto majori villae, et collegiatae ecclesiae

Preces porrectae pro ... sequendi dismembratione

praefatarum sublimitati, et splendori consuleretur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos ejusdem Joannis principis, et regentis votis Nobis de novo porrectis quantum in Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, ex scientia, et potestatis plenitudine similibus villam Vicosam praefatam cum suo territorio, seu districtu, omnibusque personis tam ecclesiasticis, quam laicis in eisdem commorantibus, et cum quibusvis juribus a dioecesi Elborensi ad praesens pastoris solatio destituta dicta apostolica auctoritate consensui modernorum capituli, et canonicorum majoris ecclesiae Elborensis, et quorumvis aliorum interesse habentium harum tenore supplentes perpetuo quoque dismembramus, et separamus. Praefatamque villam cum suo territorio, seu districtu a dioecesi Elborensi praedicta per Nos, ut praefertur, dismembratam et separatam, ac omnes, et singulas utriusque sexus in ea degentes personas, et incolas tam laicos quam clericos, presbyteros, et beneficiatos cujuscumque sint gradus, status et conditionis ab ordinaria jurisdictione, potestate, et superioritate pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis apostolica auctoritate praedicta perpetuo pariter absolvimus et eximimus. Nec non praedictam villam cum suo territorio seu districtu sic per Nos, ut praefertur, dismembratam, et separatam, et in ea nunc, et pro tempore respective degentes personas superius expressas dicto decanatui, illumque pro tempore obtinentis jurisdictioni, ita quod personae praefatae sic sejunctae, et separatae ex nunc deinceps pro tempore existentes dictae collegiatae ecclesiae decanum (cui eamdem omnimodam ecclesiasticam spiritualem et ordinariam jurisdictionem qua in praedicta collegiata ecclesia tantum fruebatur ad praedictam villam, ejusque territorium, seu districtum tenore praesentium pariter perpetuo extendimus, et ampliamus) in earum verum ecclesiasticum superiorem perpetuo habere, et recognoscere, illique obedientiam, et reverentiam debitas praestare debeant, et teneantur pari apostolica auctoritate perpetuo itidem subijcimus, et supponimus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Ac praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quovis alio defectu, etiam ex eo quod in praemissis, et circa ea solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, ac ex quacumque alia causa legitima, juridica, pia, privilegiata, ac speciali nota digna impugnari, vel retractari posse, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas vel edendas minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, et dignitate fulgentes etiam de latere legatos, vice legatos, et Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. Ac praeterea ad hoc ut praesentes, et omnia in eis disposita, et ordinata debitae exequutioni domandentur, ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus firmiter, et inviolabiliter observentur, venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Lacedemoniensi, uti pro tempore existentis patriarchae Lisbonensis suffraganeo per easdem praesentes committimus, et mandamus, quatenus ad exequutionem hujusmodi quam primum deveniat. Eidemque archiepiscopo, ut in quacumque quaestione, quae super prae-

missis in posterum quomodolibet oriri poterit, servatis quae fuerint de jure servandis, definitive quacumque appellatione remota pronunciare, nec non ut ipse ad effectum hujusmodi quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam libere, ac licite valeat eadem apostolica auctoritate facultatem concedimus, atque impartimur.

Derogatio contrariorum

§. 7. Non obstantibus Nostra et cancellariae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus generalibus, universalibusque conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dictae collegiatae, et Alborensis ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis, ac quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat harum serie derogamus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum licat hanc paginam Nostrae dismembrationis, separationis, absolutionis, exemptionis, extentionis, ampliationis, subjectionis, suppositionis, decreti, commissionis, mandati, facultatis, concessionis, et impartitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo decimo quinto, pridie idus augusti, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXVI.

Dat. die 14 augusti 1815 anno XVI.

Concessio deferendi rocchetum in locum cottae pro canonicis, et dignitatibus capituli ecclesiae collegiatae Montis Leonis dioecesis Civitatis Plebis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Ex parte dilectorum filiorum capituli, et canonicorum ecclesiae collegiatae sub invocatione sanctorum apostolorum Petri, et Pauli Montis Leonis dioecesis Civitatis Plebis expositum Nobis nuper fuit, quod externus divinus cultus, populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem collegiatae canonici nova aliqua decoratione donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis

dictae collegiatae ecclesiae Montis Leonis, ut pro cotta, quam adhuc sub violacea mozzeta deferre consueverunt rocchetum tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illoque uti libere, ac licite valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, et inane decernimus, ac declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta augusti, millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 22 augusti 1815 anno XVI.

DCXVII.

Concessio novae decorationis pro canonicis, et dignitatibus collegiatae ecclesiae sanctorum Simonis, et Judae apostolorum terrae Radicontolorum dioecesis Volaterranae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. In sanctae apostolicae Sedis fastigio, meritis licet imparibus constituti ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est cura, animum jugiter intendimus, atque honorificentiae, et decori virorum in eis Altissimo famulantium saepe consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur, sicut dilecti filii moderni praepositus, prior, et canonici collegiatae ecclesiae sub invocatione sanctorum apostolorum Simonis, et Judae terrae Radicontolorum Volaterranae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, divinus cultus in dicta ecclesia non parum incrementi susciperet, iidemque canonici ad internas virtutes ardentius excolendas excitarentur; si nova aliqua decoratione ipsi donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus praeposito, et priori, atque canonicis etiam honorariis collegiatae praedictae, ut ipsi loco cottae, quam adhuc sub mozzeta deferre consueverunt, rocchetum ad instar cathedralium ecclesiarum tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis choralibus functionibus, processionibus, et actibus tam publicis quam privatis gestare palam, atque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque praepositum, priorem, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda augusti millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 22 augusti 1815 anno XVI.

DCXVIII.

Canonicis ecclesiae collegiatae sancti Antonii episcopi, et martyris dioecesis nullius Farfensis indulgetur, ut nigrum colorem mozzetae, quo ex veteri concessione utuntur permutare valeant in violaceum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum capituli, et canonicorum collegiatae ecclesiae s. Antonini episcopi, et martyris Farfensis nullius dioecesis in districtu urbis, quod ipsis alias auctoritate apostolica indultum fuit gestandi tam in ecclesia, quam extra eam mozzetam nigri coloris; modo vero, ut externus cultus, et populi devotio majora ibi suscipiat incrementa ejusdem collegiatae ecclesiae canonici nigrum mozzetae hujusmodi colorem in violaceum permutari posse plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis dictae collegiatae ecclesiae s. Antonini, ut ipsi loco mozzetae nigri coloris, quam adhuc gestare consueverunt, in posterum eamdem mozzetam violacei coloris praedicti cum globulis, et ocellis rubei coloris tam in memorata ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illaque uti libere, et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda augusti millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 22 augusti 1815. anno XVI.

DCXIX.

Facultas gestandi fasciolam sericam violaceam in pileo circumvolutam pro canonicis ecclesiae cathedralis Collensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Ex parte dilectorum filiorum modernorum dignitatum, et canonicorum cathedralis ecclesiae Collensis expositum Nobis nuper fuit, quod dudum sibi certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica indultum fuit, ut collarem violaceum, et numisma ante pectus appensum palam gestare libere, et licite possent, et valerent, ac alias prout ex Nostris desuper in simili forma brevis die iv. octobris anni superioris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus fusius continetur. Quoniam autem, ut per externa hujusmodi insignia ad internarum virtutum splendorem coram Deo, et hominibus augendum, et meliora charismata aemulanda magis, magisque excitati reperiantur, novam adhuc aliquam decorationem ad illas praecedentes per Nos addi plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune

providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis cathedralis praedictae, ut ipsi fasciolam sericam violacei coloris pileo circumvolutam cum uno dumtaxat perexiguo flocculo simili palam gestare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; servata in reliquis praedictarum Nostrarum literarum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in iisdem Nostris literis non obstare voluimus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda augusti millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXX.

Dat. die 22 augusti 1815 anno XVI.

Extensio officii, et missae cordis Jesu jam concessae pro dioecesi de Guatimala pro clero ecclesiarum de Chiapa, Nicaragua, et Camayagua unitarum praedictae dioecesi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Raymundus Casaus et Torres archiepiscopus de Guatimala nomine etiam universi cleri tam propriae dioecesis, quam de Chiapa, Nicaragua, et Camayagua, quarum ecclesiae ejusdem archiepiscopatus suffraganeae sunt, quod ad magis magisque devotionem augendam erga sanctissimam passionem Domini Nostri Jesu Christi, extensionem officii, et missae sacri Cordis Jesu non solum ad dioecesim Guatimalanam praedictam, sed ad memoratas etiam suffraganeas summopere cupit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio Aloisio Gardellini assessore congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum, universo clero memoratarum dioecesum extensionem festi sacri Cordis Jesu peragendi in feria VI. post octavam ss. Corporis Christi cum officio, et missa alias approbatis sub ritu duplici majori, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, necnon facultatem festum praedictum transferendi ad aliam diem primo non impeditam juxta rubricas, casu quo in praedicta feria VI. occurrat festum

solemnioris ritus, eadem auctoritate tenore praefatis tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda augusti millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXI.

Dat. die 4. septembris 1815 anno XVI.

Allocutio habita in aula Vaticana ad diem 4. septembris 1815. in publico consistorio, super relatione conventionis initae in conventu Vindobonae celebrato ad diem 9. julii 1815. in quo de restitutione plurium provinciarum sanctae Sedi facienda actum aeque fuit.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres

Significat pontifex cur nimis sero obtentam provinciarum restitutionem notam fecerit. §. 1. Mirati fortasse eritis justissimam laetitiae Nostrae causam, non ignotam vobis, nondum Nos ex hoc loco vobiscum communicavisse, cum societas ipsa gaudii jucunditati Nostrae magnum esset cumulum allatura. Nos quidem citius id facere, statimque ab accepto nuncio decretae huic sanctae Sedi plurium provinciarum restitutionis eam vobis significare voluissemus, primum ut bonorum omnium largitori Deo pro magno hoc in Nos collato beneficio debitas, qua par est solemnitate, gratias, nulla mora interposita, persolveremus, tum ut gloriosissimis principibus, quibus, post Deum, beneficium hoc acceptum referimus, publicum grati, devinctique animi Nostri testimonium praebere festinaremus. At quum de tradenda Nobis provinciarum, ex decreto principum, possessione cum legatis carissimi in Christi filii Nostri Francisci imperatoris Austriae, nec non Hungariae, Bohemiae, regnique Longobardo-Veneti regis apostolici, qui jam Vindobona discesserat, conventio inita fuisset, tunc ad vos de toto hoc negotio referendum a Nobis esse sumus arbitrati, cum et in provinciis illis explicare potestatem Nostram incoepissemus, et majestas sua omnem rei actae rationem ratam habuisset. Utrumque nunc consequuti, gaudium, quod aegre admodum hucusque compressimus, omne Nostrum expromimus, vobisque quid in universa hac re confectum fuerit, ex recepta hujus s. Sedis consuetudine, renunciamus.

Declarat quomodo pro consequenda provinciarum recuperatione legatum miserit Lutetiae Parisiorum ad regem christianissimum, aliosque principes ibidem congregatos. §. 2. Vix e captivitate Nostra superiori anno fuimus soluti, ad Catholicae Ecclesiae, cui, licet immerentes, divina praesumus dispositione, negotia, quae potiora semper habebimus, primas cogitationes Nostras sollicitudinesque convertimus: post haec autem nihil majori esse a Nobis studio curandum existimavimus, quam ut provincias eas omnes ex quibus b. Petri patrimonium constat, quarum e possessione s. haec Sedes praeteritorum temporum acerbitate fuerat exturbata, recuperare niteremur. Ad eas scilicet, quantum in Nobis esset, vindicandas, cum munere ipso, quod gerimus, administratoris, tum sacramenti religione, quo in Nostra ad supremum pontificatum evectione Nos obstrinximus, urgeri Nos sentiebamus. Quare ubi primum e Gallia ad Nos pervenit dilectus filius Noster Hercules s. Agathae ad Suburram S. R. E. diaconus cardinalis Consalvi, ex itinere ipso Nostro, quo in almam hanc urbem tendebamus, illum Parisios ablegavimus, tum ut carissimo in Christo filio Nostro Ludovico regi Christianissimo recuperatam aviti regni possessionem Nostro nomine gratularetur, tum etiam ut apud illum, caeterosque principes, quos Lutetiae adhuc manere cognoveramus, studiose ageret, ut s. haec Sedes universae ditionis suae possessionem iterum adipisceretur; quam etiam in rem ad eorum singulos Nostras offi-

cli plenas dedimus literas. Etsi enim minime dubitaremus, quin nullis etiam accedentibus precibus Nostris, ad causam Sedis apostolicae protegendam gloriosos principes eorum magnanimitas, justitia, aequitas in primis adducerent, non tamen Nos desides in tam gravi s. Sedis negotio esse decebat, neque id committendum esse a Nobis sumus arbitrati, ut quorum opera, et armis provinciae Nostrae ab ea quam passae erant occupatione fuerant vindicatae, eorum opem ad eas recuperandas non exposceremus. Lutetiam igitur citissime cardinalis cum pervenisset, praestitis Christianissimo regi, quae ei commiseramus, officiis, atque a majestate sua exceptus iis studii, atque amoris in Nos significationibus, quae a religione, ac pietate ejus erant a Nobis certissime expectandae, Londinum, quo reliqui principes, uno excepto carissimo in Christo filio Nostro Francisco imperatore Austriae, concesserant, sine mora se contulit. Hoc loco nunquam satis explicare possumus vobis, quam intimo jucunditatis sensu gratum animum Nostrum pervaserint ea, quae in opulentissima illa tanti regni principe urbe accidisse cognovimus. Novo enim a duobus amplius saeculis exemplo S. R. E. cardinalis, legatus idem apostolicae Sedis, suae dignitatis insignibus ornatus, non secus ac si in alma hac ipsa urbe esset, benigne, ac liberaliter permittente gubernio, palam, puliceque se protulit. Deinde vero cum ad celsissimum principem Magnae Britanniae regentem accessit, ut literas ei Nostras offerret, et gratulationes, officia, studiaque in illum Nostra, atque in inclytam, totque nominibus illustrem nationem praesens exponeret, tam multis in aula ipsa regia exceptus est in personam, quam gerebat Nostram, benevolentiae, et studii testificationibus, ut nihil ultra praestari omnino potuisset. Quo quidem nomine, cum principi, ordinibusque omnibus civium generosae nationis illius, in quos propensissimo jam animo ferebamur, Nos maxime devinctos profiteamur, hanc libentissime arripimus occasionem publicum hoc existimationis, gratissimique animi Nostri iis testimonium praebendi. Ea igitur in urbe legatus Noster, oblatis unicuique ex principibus literis Nostris, agere apud ipsos Sedis apostolicae causam instituit, regiones nominatim omnes, de quarum possessione per notissimas rerum conversiones anno MDCCLXXXIX. inceptas s. Sedes diversis vicibus dejecta fuerat, Romanae Ecclesiae restitui postulavit, rationum momenta, quibus firmissima s. ipsius Sedis jura nituntur, de scripto singillatim exposuit, Nostroque eos nomine precatus est, ut justissimum Romanae Ecclesiae patrocinium susciperent. Quorum quidem principum omnium tanta fuit in cardinalem humanitas, tantaeque extiterunt propensissimae in Nos voluntatis significationes, ut et consilium Nostrum de eo ad illos ablegando justissimum fuisse senserimus, Nobisque jam tum apparuerit quam merito Nos in eorum auctoritate, et benevolentia spem maximam collocassemus.

Refert resolutiones ad rem captas in conventu Vindobonae in Austria celebrato de componendis Europae rebus.

§. 5. Indicto autem Vindobonae in Austria principum conventu, in quo de componendis Europae rebus esset agendum, eo cardinalis jussu item Nostro se contulit, literas, gratulationes, precesque Nostras carissimo in Christo filio Nostro Francisco Austriae imperatori, quas Lutetiae non potuerat, in principe illa urbe imperii ejus obtulit. Qui religionem, pietatem, fidem tanti principis probe cognoscitis, minime opus habetis, ut explicemus multis quod in illo erga Nos cardinalis expertus sit studium, et quam benevolam voluntatem. Illud certe Nos, quemadmodum a legato ipso ad Nos relatum est, possumus affirmare, propensum in rationes apostolicae Sedis animum, quem principio majestas sua verbis amplissimis declaravit, ipsam immutasse nunquam, imo ad rei usque exitum ita constanter retinuisse, ut, quod res Nostrae feliciter cesserint, ejus potissimum propensioni in Nos tribuendum esse arbitremur. Multos, ut scitis, menses, tot rerum explicandarum necessitas principes Vindobonae retinuit. Multa hoc tempore legatus Noster negotia hujus s. Sedis, atque Ecclesiae, non temporalia modo, sed spiritualia etiam, ut mandatum ei fuerat a Nobis, diligentissime procuravit, de quibus ad vos suo tempore referemus. Inter quae non illud hoc loco praetereundum silentio esse du-

cimus, in quo s. hujus Sedis honori provisum, et legatorum ejus praerogativas confirmatas fuisse perspeximus. Cum enim agi caeptum esset de tollendis in omne reliquum tempus controversiis, quae inter legatos principum de servando inter ipsos ordine, ac praeeminentiis saepissime excitabantur, legatus Noster sollicitam dedit operam, ut dignitati Sedis apostolicae, cur magna semper ratio habita fuerat, hac quoque occasione consuleretur. Magnanimitati autem praeclarissimorum principum, eorum etiam (quod magno cum grati animi sensu commemoramus) qui Petri cathedrae communione non consociantur, et pronae ipsorum in Nos voluntati debere Nos profitemur, quod de legatis, ac nunciis hujus s. Sedis, qui primum hucusque inter omnes principum legatos tenuerunt locum, nihil prorsus immutandum esse decreverint, in quo quidem decernendo non temporalis certe principatus Nostri modum spectaverunt, siquidem tam longo a multorum principum potentia intervallo distamus, sed in persona humilitatis Nostrae sacerdotii dignitatem habuerunt propositam, eique honorem tribuendum esse, tanta cum eorum laude, censuerunt. Cum autem legatus idem rationes tueri Nostras, obortas saepe difficultates dissolvere, magis, magisque principum conciliare Nobis animos pro viribus studuisset, is demum exitus rei fuit, ut solemni conventus Vindobonensis decreto sancitum fuerit tres Picoeni provincias, Anconitanam nempe, Maceratensem, et Firmanam, ducatum Camerini, Beneventanum item ducatum, et Pontem Curvum sanctae Sedi esse reddendos, eamdemque in possessionem etiam provinciarum Aemiliae, Bononiae, ac Ferrariae, quae trium legationum nomine veniunt, ea tamen excepta parte Ferrariensis provinciae, quae sinistro Padi litori adjacet, iterum esse immittendam.

Gratias agit principibus quorum auxilio in suo dominio sancta Sedes fuit reintegrata.

§. 4. Cognoscitis ergo, venerabiles fratres, laetitiae Nostrae causam, cujus vos hodierna die participes maxima, qua possumus, cordis Nostri effusione esse volumus, qui quidem non minorem certe, quam Nos ipsi caepimus, ex felici hoc, faustoque curarum Nostrarum eventu percipitis voluptatem. Et Dominus quidem Deus, qui mortificat, et vivificat, qui deducit ad inferos, et reducit, post dies illos, quibus Nos humiliavit, atque annos, quibus vobiscum una vidimus mala, pro bonitate tandem sua misertus Nostri, hac illarum regionum, quibus tam diu caruimus, accessione magna Nos consolatione reficere dignatus est, Romanamque Ecclesiam plendoris ac dignitatis auxit incremento. De quo quidem si tanta cum animi Nostri jucunditate laetamur, non tam Nostra causa gaudemus, siquidem, a principatus, ac temporalis dominationis amore quam longissime absumus, quam Dei ipsius, ecclesiaeque suae causa laetamur. Nam quo ampliori sancta haec Sedes gaudet patrimonio, eo majora adjumenta Romanis pontificibus comparantur, ut tot ac tantis fidelium necessitatibus, atque ecclesiarum totius qua late patet orbis rationibus, pro eorum munere ac dignitate consulere ac providere possint. Quare maximos eos omnes principes, qui postulatis Nostris favere dignati sunt, sive ipsi per se, Vindobonae quum essent, sive per eorum legatos, quod carissimi in Christo filii nostri Ludovicus Galliae rex christianissimus, et Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus, nec non celsissimus Brasilae princeps regni Portugalliae et Algarbiorum regens tanto studio praestiterunt, non de Nobis modo, sed de catholica etiam Ecclesia ipsa optime meritos esse censemus. Qua quidem in laude principes quoque illos conjungimus, qui ad Romanam Ecclesiam non pertinent, quorum etiam propensam in Nos voluntatem ac beneficia sumus experti. Magno autem hoc loco cum honore nominandus a Nobis est augustissimus imperator Russiae Alexander, princeps militari aeque gloria, quam sibi summam tantis victoriis comparavit, ac gerendi imperii laude clarissimus: is enim tum in cognoscenda causa Nostra singulari benignitate animum, ac mentem adhibuit, tum in tuendas, amplificandasque rationes Nostras potentiam, et auctoritatem suam contulit. Neque vero non peculiaris a Nobis habenda ratio est meritorum in Nos Friderici Borussiae regis, cujus perpetuum in tota Nostrarum rerum tractatione in Nos extitit studium. Nec Nobis Ca-

roli Svecorum regis defuit favor, qui in rebus Nostris ad optatum exitum perducendis libenti et ipse animo sese praestitit adjutorem. At quo pacto a celsissimo principe magnae Britanniae regente iterum hic grata cum recordatione commemorando abstinere possemus, cujus egregia in Nos voluntas, et mandata tanto Nobis praesidio in congressu Vindobonensi, tam magno rationibus Nostris adjumento fuerunt? Itaque iis quoque omnibus devinctos Nos profitemur, imo eo fortius iis Nos obstringi sentimus, quo minoribus incitamentis ad causam Sedis apostolicae protegendam eos impelli cognoscimus. Sed nec praeterire silentio volumus illos, quorum in maximis gerendis negotiis praecipua principes in conventu Vindobonensi usi sunt opera: non exigua enim ipsorum etiam fuerunt erga Nos merita, qui suorum principum studiis in Nos eorum consilio, et auctoritate faventes, tam magnam in felici Nostrarum rerum exitu partem habuerunt.

Dolet provinciam Avenionensem, comitatum Venusinum, et Ferrariae provinciae partem non fuisse restitutam.

§. 5. Fatemur tamen, venerabiles fratres, consolationem illam, quam ex provinciarum, de quibus diximus, restitutione percepimus, plenam, quemadmodum optabamus, non extitisse. Avenionensis enim provincia, quam sancta Sedes pretio emptam quinque saeculorum spatio retinuerat, comitatus Venusinus, quem Romana item Ecclesia ab antiquiori etiam tempore possederat, Ferrariensis denique provinciae pars illa, quae in sinistro Padi litore sita est, quae quidem regiones pari jure ac caetera omnia pontificiae ditionis loca ad Sedem apostolicam pertinent, ab ejus dominatione adhuc manent avulsi. Nos quidem de regionibus etiam istis expostulationes Nostras per hujus sanctae Sedis legatum in conventu Vindobonensi proponi fecimus: carissimos praeterea in Christo filios Nostros Franciscum imperatorem Austriae, et Ludovicum regem Christianissimum, quorum sub dominatione regiones illae sunt, peculiariter deprecati sumus, ut eas Romanae Ecclesiae, qua praestant magnanimitate, restituant. Quas quidem Nostras preces fructu tandem vacuas non futuras speramus, siquidem in perspecta utriusque religione ac pietate adeo confidimus, ut dubitare minime possimus, quin tam potentes, magnanimique principes cumulum hoc eorum gloriae sint imposituri, ut, aut Sanctam Romanam Ecclesiam in possessionem terrarum istarum beati Petri restituant, aut justa saltem aequari eas Nobis compensatione praecipiant.

Indemnia tamen jura sanctae Sedis fuisse servata per solemnem protestationem declarat.

§. 6. Interea tamen ne ex retardata hujusmodi restitutione, sive compensatione, ullum sanctae Sedi creari praejudicium posset, legatus Noster statim ac ex Vindobonensis conventus decreto cognovit, regiones, quas supra memoravimus e numero earum non esse, quae Romanae Ecclesiae reddebantur, protestationem legitima forma exaratam Nostro, ac Sedis apostolicae nomine emittere non praetermisit. Ejus autem protestationis exemplum misit ad principum legatos omnes, qui pacis foederi Lutetiae Parisiosum die trigesima maji praeteriti anni sanciti, quod Vindobonae absolutum, perfectumque est, subscripserant, una cum literis ad singulos eorum datis, in quibus ea rationum momenta, ob quae protestari debuerat, fuse, ac singillatim exposuit, rogavitque, ut protestatio illa sua in protocollum, quod vocant, actorum conventus Vindobonensis referretur. Haec omnia, venerabiles fratres, ex protestatione, literisque ipsis luculentius cognoscetis, quas quidem alteram Latina, Gallica alteras exaratas lingua in lucem edi mandavimus, adjecta etiam vernacula versione, ut arbitrariis interpretationibus aditus praecludatur. Videbitis etiam legatum Nostrum in protestatione, literisque suis eam quoque partem decreti congressus Vindobonensis fuisse complexum, qua constitutum est augustissimum imperatorem Austriae, ejusque successores, jus habituros Ferrariae, et Comacli arces praesidio communiendi. Laedit id namque jura supremi principatus apostolicae Sedis in civitates illas, et potestatis ejus exercitio perturbationem afferre facili negotio potest; neutralitati item ejusdem s. Sedis praejudicium infert, periculumque ei parat, ut cum ipsa tamquam cum hoste, bellorum tempore, agatur.

Refert quae fuerint conventa circa res ecclesiae Germanicae.

§. 7. Hactenus de temporalibus Romanae Ecclesiae rationibus: restat nunc ut de iis, quae circa ecclesiasticas Germaniae res a legato Nostro

acta sunt, ad vos referamus. Nos enim spem habentes fore ut in instauratione rerum Germanicarum acerbissima damna illa, quae in praeterita temporum perturbatione passa esset Ecclesia, reparari possent, legato Nostro in mandatis dederamus, ut hanc in rem, maximi illam quidem momenti, studia omnia sua, curasque converteret. Has partes ille ab ipso conventus Vindobonensis exordio suscepit; statim ac vero commissio quaedam Germaniae rebus discutiendis constituta fuit, quae ex legatis principum illius nationis constabat, ad eam dedit literas, in quibus expostulationes Nostras conclusit omnes, damna tam spiritualibus ecclesiae juribus, quam temporalibus ejus rationibus illata singillatim enumeravit, atque instantissime postulavit, ut tandem aliquando iis opportunum remedium, pro sapientia principum, afferretur, ita ut, quemadmodum bonorum omnium vota, paternaeque Nostrae sollicitudines jam diu efflagitant, tantis ecclesiarum illarum necessitatibus, collatis cum principibus ipsis consiliis, providere apostolica auctoritate Nostra possemus. Cum autem legatus Noster vidisset conventum Vindobonensem dissolvi, quin aliquid de rebus ad Catholicam Ecclesiam pertinentibus esset constitutum, ea ipse die, qua circa temporalia s. Sedis jura eam, de qua diximus, protestationem emisit, alteram etiam circa ecclesiarum Germaniae tam spiritualia quam temporalia jura ad legatos principum, adjunctis quoque literis, dedit.

Confirmatio protestationum emissarum a cardinali legato.

§. 8. Plura de hac re vobis exponere praetermittimus, cum omnia, quae ad eam pertinent, in literarum, et protestationis exemplo, quod vestris oculis subjicietur, clare, et distincte cognoscere possitis. Haec ab eo qui Nostram gerebat personam agenda erant omnino, ut jura Ecclesiae ponerentur in tuto: minime dubitare volumus, quin, Europae rebus pacatis, Germaniae principes probe sentientes de quam gravi re agatur, quamque ipsorum etiam intersit diligentissimam ei operam dare, primas eorum sollicitudines in rationes Ecclesiae sint collaturi, atque id tandem effecturi, ut universum in Germania catholicae rei statum componere, ac constituere quam citissime valeamus. Quod eo magis speramus, quod, sicut accepimus, in alia quadam Germaniae urbe brevi conventus alter cogendus erit, in quo stabilis Germanicarum rerum ordo constituetur; quo in conventu potissimam habendam esse confidimus rerum Ecclesiae rationem, siquidem nulla firmior imperiorum basis, nulla solidior, ac tutior publicae felicitatis asserendae ratio esse potest religione, cujus tuendae, amplificandaeque studium principibus, guberniisque omnibus debet esse praecipuum. Interea tamen ne muneri Nostro deesse videamur, utque jura Ecclesiae, et apostolicae Sedis magis magisque sarta tectaque conserventur, utramque protestationem, quam legatus Noster circa jura, et rationes tam Sedis apostolicae, quam ecclesiarum Germaniae emisit, apostolica auctoritate Nostra plene confirmamus, ac si literae apostolicae sub plumbo eam in rem jam forent expeditae.

Laudes cardinalis legati

§. 9. Nos autem orationem hanc concludere nequaquam possumus, quin cardinali legato Nostro testimonium, quod debemus, amplissimum gesti ab eo tanta cum adprobatione Nostra muneris praebeamus. Neque vero a ferendo hoc testimonio prohibemur egregii viri modestia: nam quod ipse laudari se aegre patiatur, non idcirco Nos ab expromendo, pro veritate, animi Nostri sensu abstinendum Nobis esse judicamus, imo vero ad id excitari Nos vehementius ac propemodum impelli sentimus. Ejus quidem viri justitia, probitas, ingenium, cum Nostram ei benevolentiam merito conciliaverint, usque ab initio pontificatus Nostri eum Nobis consiliorum Nostrorum participem, atque adjutorem Nostrae administrationis adjunximus. Quod si nihil acerbius accidere Nobis olim potuit necessitate illa, qua Nos adacti, a munere quod gerebat Nostri a secretis status removeri illum, tanta tamen cum ejus gloria, passi fuimus, pari certe cum animi Nostri gaudio, vix libera Nobis facta est id praestandi potestas, ad illud eum revocavimus. Cum autem novis in Gallia, dum communi captivitate detineremur, constantiam, et fidelitatem suam in Nos, atque in hanc sanctam Sedem argumentis probasset,

auctus legatione difficultatis et laboris plena, Nostrum de se judicium, et expectationem non fefellit, siquidem exquisita in mandatis Nostris exequendis diligentia, ac fide, atque in tuendis s. Sedis juribus ac rationibus incenso studio, rem ita confecit, ut de apostolica hac Sede egregie eum esse meritum judicemus. Quare nisi illum ex hoc loco publice laudaremus, gratumque animum in eum Nostrum testatum solemniter faceremus, justitiae debito prorsus Nos deesse videremur.

Deprecatio ad Deum, beatam virginem, et sanctos apostolos Petrum et Paulum.

§. 10. Restat nunc, venerabiles fratres, ut vestris una Nobiscum conjunctis precibus omnipotenti Deo, a quo bona cuncta procedunt, cujusque praesentem opem experti mirabiliter sumus, quas debemus gratias, et laudes persolvamus. Et quoniam gloriosissimae virginis Mariae, et beatorum apostolorum Petri, et Pauli patrocinio, ac meritis factum praecipue esse judicamus, ut tanta cum benignitate Nobiscum egerit Deus, idcirco die nativitatis inclytae ejusdem virginis Dei genitricis sacra, post rem divinam in basilica principis apostolorum solemniter coram Nobis celebratam, gratiarum actiones Nostras in hymnis, et canticis offeremus Deo, sanctissimamque ejus matrem, necnon gloriosos apostolos Petrum, et Paulum obsequiis prosequemur Nostris, ut eorum patrocinio Deus collata in Nos beneficia donis in dies uberioribus cumulet, Ecclesiae, cui praesumus, tranquillitatem, principibusque omnibus, quorum in Nos, atque in sanctam hanc Sedem beneficia sumus experti, gloriae, ac felicitatis amplitudinem largiatur.

NOTA

Sugli affari temporali della s. Sede, con cui fu accompagnata la protesta latina, indirizzata agli otto principali ministri delle alte potenze, che sottoscrissero il trattato di Parigi de' 30. maggio dell'anno 1814. compito col trattato di Vienna dei 9. giugno 1815.

Tenor protestationis emissae a cardinali legato, super provinciis nondum sanctae Sedi restitutis.

§. 11. Il sottoscritto cardinal segretario di Stato di sua Santità, e suo ministro plenipotenziario al congresso di Vienna con nota dei 23. ottobre 1814 presentò le istanze del s. Padre per ottenere la reintegrazione della s. Sede nella totalità de' dominj, de' quali, a differenti epoche, nel corso della rivoluzione Francese era stata ingiustamente spogliata.

Il s. Padre non fu animato a fare una tale richiesta da spirito di dominazione, o d' interesse, avendo dimostrato, che tali mire non sono la regola della sua condotta.

I solenni giuramenti prestati da sua Santità alla occasione della sua esaltazione al supremo pontificato; gl' impegni rigorosi, che come amministratore delle proprietà della s. Sede contrasse di conservarle, di difenderle, di ricuperarle; i suoi doveri come capo della Chiesa di sovvenire ai bisogni della religione, e di far fronte alle spese necessarie al servigio de' fedeli; finalmente la necessità di sostenere convenevolmente la rappresentanza della sua dignità, le imposero l' obbligo di reclamare la totalità de' dominj della s. Sede apostolica.

Le potenze riunite al congresso hanno accolto favorevolmente i reclami di sua Santità, e le tre legazioni di Ravenna, di Bologna, e di Ferrara (esclusa la porzione di questa ultima situata sulla riva sinistra del Po) non che le Marche con Camerino, Benevento, e Pontecorvo sono restituite al loro legittimo sovrano.

Per organo del sottoscritto, il s. Padre esprime la sua riconoscenza agli augusti sovrani, con l' appoggio de' quali ha potuto rientrare in possesso di queste provincie.

Nulladimeno, dopo aver soddisfatto a questo dovere, il s. Padre si trova, suo malgrado, nella necessità di manifestare i suoi senti-

menti rapporto a que' dominj della s. Sede, ne' quali non ha la soddisfazione di essere ristabilito.

La provincia d' Avignone, il contado Venesino, la porzione della legazione di Ferrara menzionata poc' anzi, restano separate dal patrimonio della s. Sede.

Se si farà attenzione alla natura de' possedimenti della Chiesa, e se si rammenteranno le dichiarazioni di sua Santità fatte per organo del sottoscritto al principio del congresso, cioè di non poter aderire a qualunque diminuzione de' dominj della s. Sede, s' intenderanno i motivi del passo, che si è nella necessità di fare.

Il s. Padre mancherebbe a' suoi doveri, se in questa occasione non garantisse con le sue proteste i diritti imprescrittibili della Sede apostolica.

Avignone, acquistato a titolo oneroso dalla s. Sede, e posseduto per cinque secoli: il contado Venesino acquistato, e posseduto da un' epoca ancor più remota, sono troppo interessanti per la stessa antichità del possesso, per le memorie, che presentano, per il numero degli abitanti, per la ricchezza de' prodotti, perchè la s. Sede possa dispensarsi dal fare le sue proteste rapporto ad essi.

Quella stessa assemblea nazionale, che dopo aver due volte decretata la inamissibilità della riunione di queste provincie alla Francia, le rapì finalmente nel 1791: alla s. Sede apostolica, non osò privare la medesima di una sì antica, e sì legittima proprietà, senza ordinare contemporaneamente, che le si dasse un proporzionato compenso, ed ebbe perciò cura di fare inserire nel suo decreto le seguenti parole » Il potere esecutivo sarà pregato di far aprire de' negoziati con la corte di Roma per le indennità, e i compensi, che potranno esserle dovuti».

I monarchi d' Europa, ai quali il pontefice Pio VI. avanzò in tale occasione i suoi reclami, non lasciarono di manifestargli sul proposito i loro sentimenti. L'immortale Caterina II. dichiarò espressamente » d'essere disposta a contribuire, tosto che fosse possibile, alla restituzione de' possedimenti, di cui un potere illegittimo avea spogliata la corte di Roma ». Il saggio imperatore Leopoldo II., facendo conoscere a Pio VI. le stesse disposizioni, si espresse » ch' egli lo faceva, perchè nulla eravi di più giusto sulla terra, e perchè era interesse di tutti i sovrani, che un simile attentato non ricevesse alcuna prescrizione ». Il virtuoso Luigi XVI. notificò allo stesso pontefice » che gli avrebbe restituito Avignone, e il contado Venesino appena che lo potesse ».

La convenzione di Tolentino estorta a Pio VI. da un governo, che gli avea tolto questi paesi in seguito di un' aggressione gratuita, non può in alcun modo somministrare un titolo a ritenere le dette provincie alla Chiesa Romana.

In primo luogo è cosa dolorosa, che la s. Sede debba esser privata de' suoi dominj per un motivo, che non è stato punto valutato rispetto ad altri principi egualmente forzati a far de' trattati, e delle cessioni da una preponderanza, avanti la quale tutto cedeva. Ma l' obbiezione del trattato di Tolentino è per se stessa tanto inconsistente, che non è d'uopo ricorrere ad argomenti estrinseci per eluderne la forza.

Non è neppur necessario produrre contro questo trattato tutta la serie delle ragioni, che potrebbero opporsegli. Le seguenti riflessioni basteranno solo a distruggere questa obiezzione.

Un' aggressione non provocata, e spogliata di tutto ciò, che nel diritto delle nazioni può rendere una guerra legittima; un' aggressione contro uno stato debole e innocente, che ha solennemente proclamata la sua neutralità nella guerra, che agita altri stati, è fuori di ogni diritto umano, ed un trattato, che è la conseguenza di un' aggressione di tal natura, è essenzialmente nullo, ed invalido.

Ma quando ancora contro la verità de' principj addotti, si volesse ammettere l' ipotesi della validità di un trattato di tal fatta, egli è certo, che in quello di Tolentino essendo stata stipolata la conservazione del resto degli stati della s. Sede in correspettività delle cessioni, che le si estorcevano, ed avendo il governo, che si era obbligato a tal conserva-

zione, invaso poco dopo, senza causa legittima, tutto il resto degli stati pontificj, questo trattato fu annullato, e risoluto da quel governo, che era stato insieme aggressore, e violatore delle sue proprie stipolazioni.

La ipotesi, che la infrazione di un trattato non fa, che sospenderne gli effetti senza risolverlo, è decisamente contraria ai più inconcussi principj del diritto delle genti. Grozio asserisce, che gli articoli di un trattato hanno forza di condizione, la di cui mancanza, lo renne nullo. Wattel, parlando dell'assioma, che i trattati contengono delle promesse perfette e reciproche, stabilisce, che l' alleato oltraggiato, o leso in ciò che costituisse l' oggetto del trattato, può scegliere, o di costringere il mancatore all' adempimento de' suoi impegni, o di dichiarare il contratto risoluto per il pregiudizio arrecatogli; ed altrove dice, quando il trattato di pace è violato da uno de' contraenti, l' altro è in facoltà di dichiarare il trattato risoluto.

Questi principj hanno una forza ancor più grande, allorchè la violazione del trattato da una delle parti contraenti è stata spinta fino alla distruzione dell' altra. In un caso simile, la parte distrutta non conserva alcuna obbligazione verso il suo distruttore, come questi non conserva alcun diritto sopra di essa. Wattel afferma » Quando uno stato è distrutto, o soggiogato da un conquistatore, tutti i suoi trattati periscono con la potenza publica, che li avea contratti.

Dopo la sua distruzione, la sovranità temporale del Romano pontefice risorse nel 1800., ma non per opera del governo distruttore, e senza che fosse stata con lui stipolata a quest' oggetto alcuna nuova convenzione. In conseguenza restarono le cose nel medesimo stato, in cui erano all' epoca della distruzione del governo pontificio, vale a dire, che il trattato di Tolentino, già abolito dal governo Francese, continuò a rimanere estinto, e non può produrre alcun effetto.

Se anche fra i governi legittimamente belligeranti, ancorchè un d' essi non sia stato distrutto, le convenzioni violate rimangono secondo le citate autorità estinte, e non soltanto sospese, fintantochè gli antichi trattati non siano ravvivati con de' nuovi, qual nuovo trattato (considerando l' affare anche su quest'ultimo rapporto) esistè fra il governo Francese, e Pio VI. detronizzato da esso, e morto prigioniero in Francia? Qual nuovo trattato a quest' oggetto esistè fra il governo Francese e Pio VII? Niuno: e se fosse stato fra i medesimi conchiuso un nuovo trattato, sarebbe quest' ultimo, e non quello di Tolentino, che avrebbe dovuto regolare in seguito i rapporti politici fra la s. Sede, e la Francia.

Il s. Padre attualmente regnante, appena esaltato al supremo pontificato, come molte volte in appresso, non cessò di reclamare le provincie tolte col trattato di Tolentino, e di protestare più liberamente di quello che avea potuto fare Pio VI., non meno a motivo della nullità di quel trattato, che a motivo della sua distruzione cagionata dallo stesso governo Francese. Per tal modo i diritti della s. Sede su questa provincia rimasero sempre intatti e preservati, e nè la Francia, nè altri sotto i pretesi diritti della Francia potrebbero prevalersi d'un titolo nullo per se stesso, o assolutamente distrutto.

La nullità, o la distruzione di questo trattato è stata riconosciuta dalle stesse potenze alleate. Allorchè nell' articolo 3. del trattato di Parigi del 30. maggio si stabilì di conservare alla Francia Avignone ed il contado Venesino, lungi dall'allegare il trattato di Tolentino, le potenze alleate giudicarono necessario di assicurarne il possedimento alla Francia, come l' esprime il citato articolo, facendo da ciò conoscere ch' elleno non riguardavano il trattato di Tolentino come bastevole a somministrare un fondato motivo all' incorporazione alla Francia di queste due provincie della santa Sede.

Ma questo trattato di Parigi fatto senz' alcun intervento della s. Sede, non ha potuto pregiudicare a' suoi diritti. Se il s. Padre non potè senza dolore veder disporre in tal modo di una porzione sì considerabile delle proprietà della Sede apostolica, e se per mezzo del sottoscritto ne formò l' argomento delle sue

rimostranze nelle note presentate a Parigi, a Londra, e a Vienna, tanto in particolare al governo Francese, come ai ministri delle potenze alleate, e al congresso in generale, sua Santità non lasciò di supporre (come lo dichiarò espressamente il sottoscritto nella sua ultima nota de' 23. ottobre) che o la Francia non avrebbe ritenuto questi due paesi a danno del loro sovrano legittimo, o che la s. Sede ne sarebbe indennizzata con un compenso territoriale proporzionato al valore delle provincie tolte, compenso, convien ripeterlo, decretato da quella medesima assemblea, che ne spogliò la Chiesa Romana

Non avendo avuto luogo un tal compenso, sua Santità è in diritto di ottenerlo, o di essere reintegrata in possesso di questi antichi dominj della s. Sede. Finchè ciò non succeda, i suoi più stretti doveri impongono al s. Padre di preservare, sull' esempio de' suoi predecessori, i diritti della s. Sede apostolica su queste provincie.

Le medesime ragioni si applicano alla porzione della legazione Ferrarese situata sulla riva sinistra del Po, proprietà della s. Sede da tanti secoli. Questa parte non essendo rimessa sotto il suo dominio, non potrebbe essere esclusa dalla protesta. Ma la religione, e la pietà di S. M. I. e R. A., e le prove di benevolenza, che sua Santità ne ha ricevuto, assicurano il s. Padre, che nella contiguità de' due stati, sua maestà troverà facilmente i mezzi d'indennizzare la s. Sede.

In virtù delle risoluzioni prese, l' Austria avrà il diritto di guarnigione nelle piazze di Ferrara, e di Comacchio restituite al dominio del Sommo Pontefice. Questa misura totalmente contraria alla libera, ed indipendente sovranità della s. Sede, ed al suo sistema di neautralità, potendo esporla a delle ostilità, portando pregiudizio a suoi diritti, ed intralciandone l' esercizio, il sottoscritto si vede obbligato di protestare formalmente ancora su quest' articolo.

Il sottoscritto si lusinga, che le sue giuste proteste fatte a nome del s. Padre per garantire i diritti della s. Sede apostolica produrranno il bramato effetto relativamente alle restituzioni, o compensi, ed alle disposizioni sulle guarnigioni di Ferrara e di Comacchio, di cui si tratta in questa nota.

Intanto però il cardinale sottoscritto, conformandosi agli ordini di sua Santità, ed all' esempio de' legati della s. Sede inviati a diversi congressi, e specialmente del vescovo di Nardo Fabio Chigi al congresso di Westfalia, ha l' onore di rimettere a S. E. il sig. . . . . . . la protesta qui unita relativa alle determinazioni del congresso sugl' interessi temporali della s. Sede, pregando, che venga inserita nel protocollo.

Il sottoscritto ha l'onore di rinnovare a S. E. l' assicurazione.

Vienna 14. giugno 1815.

E. card. Consalvi

PROTESTA

Fatta a nome di sua Santità Pio papa VII., e della s. Sede apostolica contro tutte le disposizioni, che relativamente ai suoi dominj furono stabilite, o mantenute nel congresso di Vienna in pregiudizio della medesima s. Sede.

§. 12. Io Ercole della S. R. C. cardinal Consalvi, diacono di sant' Agata alla Suburra, segretario di stato di sua Santità Pio papa VII., e suo ministro plenipotenziario al congresso di Vienna col presente chirografo rendo palese, di aver agito con ogni sorta di premura presso i principi supremi, e i loro plenipotenziari congregati a Vienna, affinchè fossero restituiti alla s. Sede Romana tutti que' paesi dal possedimento de' quali per effetto della notissima rivoluzione incominciata l' anno 1789., era stata a diverse epoche espulsa. Già io aveva esposto in iscritto tanto a Parigi, che a Londra le istanze della Santità Sua intorno a que' paesi, e le solidissime ragioni sulle quali sono fondati i diritti della s. Sede; ho proseguito in fine ad agire in Vienna all' oggetto medesimo con più diffusa

Tenor alterius protestationis de eadem re

rappresentanza, che esibii al congresso a' 25. di ottobre del cadnto anno 1814.

Fra le altre risoluzioni prese dal medesimo, venne stabilito, che fossero restituite alla s. Sede Romana, le Marche con Camerino, Benevento, e Pontecorvo con le loro pertinenze, e che la s. Sede fosse nuovamente messa in possesso delle provincie di Bologna, Ferrara, e Romagna conosciute sotto il nome delle tre legazioni, eccettuata però quella parte della provincia Ferrarese, che esiste sulla riva sinistra del Po. Ma non ebbero un esito felice le mie istanze intorno agli altri possedimenti della s. Sede da nominarsi più sotto, e all' anzidetta porzione della provincia Ferrarese, spettanti per egual titolo alla medesima Chiesa Romana, e di cui aveva io domandata la restituzione, o il compenso.

La provincia di Avignone, il di cui dominio fu acquistato con contratto di compra e vendita, e fu confermato dal possesso di cinque secoli; il contado Venesino, che la santa Sede apostolica possedè da tempo più remoto ancora, paesi de' quali la s. Sede fu spogliata nell'anno 1791. per decreto dell'assemblea nazionale, con la condizione però apposta nello stesso decreto, che in vista dei diritti ammessi, e riconosciuti della medesima s. Sede, fosse essa compensata del danno arrecatole: queste provincie, dissi che lo stesso re di Francia Luigi XVI. avea chiaramente promesso di rendere alla Chiesa Romana, si lasciano in poter della Francia. Nè può allegarsi per la non restituzione di questi paesi alla Chiesa Romana nè la convenzione di Tolentino del 1797., nè il trattato di pace firmato a Parigi nel 1814.; Poichè in quanto alla convenzione di Tolentino, non solo essa era evidentemente infetta di molti vizj di nullità specificati nelle mie istanze; ma ancora per opera, e fatto dello stesso governo Francese fu poco dopo abrogata, estinta, ed affatto distrutta, secondo i più chiari principj del diritto pubblico, avendo lo stesso governo, col quale era stata stipolata quella convenzione, rovesciato il principato temporale della Sede apostolica, occupando cioè, ed usurpando tutto il restante tratto del dominio pontificio, la di cui conservazione era stata la causa della cessione di quelle provincie. Per ciò poi che riguarda il trattato di pace di Parigi, non avendo avuta in esso alcuna parte la Sede apostolica, egli è dell' ultima evidenza, che la medesima non può esser da quello obbligata, nè soffrire alterazione a suoi diritti.

Inoltre la sopraddetta porzione della provincia Ferrarese situata sulla riva sinistra del Po, spettante alla Sede apostolica per legittimo diritto, e per titolo di possesso da tanti secoli, non ritorna sotto la sua sovranità, nè per essa viene assegnato alcun compenso, sebbene quanto si è detto sulla convenzione di Tolentino, e sul trattato di Parigi, invittamente dimostri, che i diritti inconcussi della s. Sede su quel paese non possono da quelli atti rimanere alterati.

Finalmente è stabilito nel congresso, che l'augustissimo imperator d' Austria, ed i suoi successori abbiano il diritto di ritenere guarnigione Austriaca in Ferrara, e Comacchio spettanti alla Chiesa Romana, in pregiudizio del supremo principato della Sede apostolica, non che della sua neutralità, con pericolo di que' danni, che potessero in occasione di guerra ridondare per tal motivo alla Chiesa Romana.

Risultando da queste risoluzioni un grave danno, e pregiudizio alla s. Sede ed alla Chiesa Romana, perciò, affinchè a tutti apparisca, che non solo ho ricusato di prestare alle medesime qualunque consenso o connivenza, ma che anzi le ho impugnate e contradette, inerendo agli esempj dei legati della predetta Sede Romana, che intervennero a simili congressi, e segnatamente a quello di Fabio Chigi vescovo di Nardo, nunzio apostolico al celebre congresso di Munster in Westfalia, che interpose una solenne protesta contra i danni, e i pregiudizj arrecati in quel congresso, tanto alle ragioni temporali della Chiesa, che a' suoi spirituali diritti, ancor io contro tutte quelle risoluzioni prese, o mantenute in vigore in questo congresso di Vienna, dalle quali in qualunque modo risulta, e potrebbe risultare pregiudizio ai dominj, possessi, e diritti della santa Sede sopra i paesi

qui sopra menzionati, e generalmente contro tutti gli altri atti pregiudizievoli alla Chiesa, in nome della s. Sede apostolica, e del santissimo Padre signor Nostro per divina providenza papa Pio VII. pubblicamente per questo atto, ed in ogni miglior modo, mezzo, causa, e forma, de' quali per l' autorità del mio carattere posso, e debbo servirmi, protesto, impugno, e contradico, e per assicurare una più estesa notizia di tali atti anche presso gli assenti, e i posteri, ho sottoscritto di mia mano, ed ho munito del mio sigillo questa protesta, formalmente richiedendo, che essa sia inserita nel protocollo degli atti di questo congresso.

Dato in Vienna dal palazzo della nunziatura apostolica li 14. giugno 1815.

E. card. Consalvi

NOTA

Sugli affari spirituali, e temporali delle chiese della Germania, con cui fu accompagnata la protesta latina, indirizzata agli otto principali ministri delle alte Potenze che sottoscrissero il trattato di Parigi dei 30. maggio dell'anno 1814. compito col trattato di Vienna dei 9. giugno.

Memorandum de rebus spectantibus ad ecclesias ditionis Germaniae.

§. 13. Il cardinal sottoscritto segretario di stato di sua Santità papa Pio VII., e suo plenipotenziario al congresso di Vienna, conformemente agli ordini ricevuti da sua Santità non ha mancato nella sua nota in data de' 17. novembre 1814., indirizzata a sua Altezza il principe di Metternich presidente della commissione destinata per gli affari della Germania, di esporre i reclami del s. Padre intorno alle perdite, e danni sofferti dalle chiese Germaniche sia ne' loro diritti, e prerogative, sia nei loro possedimenti.

Sua Santità avea fatto conoscere per mezzo di atti publici il vivo dolore, che provò allorchè vide sanzionare da varj trattati, e segnatamente da quello di Ratisbona dell' anno 1803., ed eseguire tanti, e sì gravi cangiamenti a danno delle chiese, de' vescovadi, de' capitoli, de' monasteri, e di altre istituzioni ecclesiastiche della Germania, e a danno anche dello stesso Romano impero; cangiamenti da cui son risultati gli effetti i più funesti agli interessi spirituali, e temporali della Chiesa, alla salvezza delle anime, come anche ai diritti della santa Sede apostolica rispettati per il lasso di tanti secoli dagli imperatori, e dagli altri principi dell'impero.

Durante il lungo corso delle sue calamità il s. Padre prosteso innanzi Dio, ed implorando con ferventi preghiere lo spirito della pace, e della concordia per tutti i monarchi, e popoli Cristiani, ha fatto sempre i voti più ardenti, affinchè il suo pontificato, che da' primi momenti è stato per la sua persona una feconda sorgente delle più amare vicende, fosse al ritorno dell' ordine, e all' occasione della pace generale, la fortunata epoca del trionfo della religione, e della reintegrazione della Chiesa in tutto ciò di cui era stata spogliata.

A tal fine il sottoscritto in esecuzione degli ordini del s. Padre non lasciò di unire a' suoi reclami le più vive preghiere per ottenere un conveniente riparo a' mali, che con la nota qui sopra enunciata erano stati posti sotto gli occhi della commissione Germanica, a cui dovea essere comunicata.

Per ciò che riguarda i diritti, e le prerogative delle chiese della Germania, diritti, e prerogative, una parte delle quali intrinsecamente appartiene alla costituzione generale della Chiesa, e l' altra è fondata sopra il legittimo, e canonico possesso delle chiese Germaniche, s. Santità in seguito de' principj, che si sentono enunciare da' gloriosi principi, che governano la Germania, ha motivo di sperare, che questi stessi principi magnanimi vorranno apprestare tutto il loro concorso, ed appoggio ad una sistemazione degli affari ecclesiastici di quella illustre nazione, conforme alle leggi della Chiesa.

Ma per ciò che riguarda i possedimenti della Chiesa in Germania, diverse disposizioni, che il congresso di Vienna ha creduto dover lasciar

sussistere, o stabilire, non possono essere, che un oggetto di dolore pel s. Padre. I principati ecclesiastici, che sono stati distrutti dalla violenza rivoluzionaria, in favore de' quali parlavano (almeno egualmente) i principj, ed i diritti medesimi ammessi in favore di tanti principi secolari ristabiliti ne'loro dominj, non sono stati reintegrati, e sono stati assegnati a' varj principi cattolici, e non cattolici. I beni ecclesiastici, patrimonio sacro di tante chiese sì antiche, e sì illustri, beni necessarj al culto divino, e al sostentamento del sacerdozio, e che formano anche la dote di stabilimenti indispensabili, o infinitamente utili del clero secolare, e regolare dell' uno, e l' altro sesso, sono stati in parte lasciati ai nuovi possessori senza alcun concorso della legittima autorità, o restano distratti dalle loro rispettive destinazioni. Il s. impero Romano, centro dell'unità politica, opera veneranda dell' antichità, consacrata dall' augusto carattere della religione, la di cui distruzione è stato un de' rovesciamenti i più funesti della rivoluzione, non è ancora risorto dalle sue ruine.

I doveri inerenti alla qualità di capo visibile della Chiesa, ed i solenni giuramenti pronunciati dal s. Padre all' epoca del suo innalzamento al supremo apostolato, gli tracciano la condotta che deve tenere in questa difficile circostanza.

Egli ha altresì d' innanzi agli occhj l' esempio di tanti illustri suoi predecessori, che anche in casi di minore importanza ebbero la più gran premura di provvedere a' diritti della religione, e della s. Sede. Così, per non citare una serie di fatti più antichi, Innocenzo X. dopo il congresso, e la pace di Westfalia nel 1649., Clemente XI. dopo il trattato d' Alt-Radstat nel 1707., e di Baden nel 1714., e Benedetto XIV. nel 1744., come anche i loro rappresentanti ne' congressi suddetti, protestaronsi contro tutte le innovazioni pregiudizievoli alla Chiesa, ed ai diritti della s. Sede, contenute in quelli trattati.

Il s. Padre, responsabile a Dio, alla Chiesa, ed ai fedeli, non potrebbe, senza mancar a' suoi doveri essenziali, osservar il silenzio intorno a risoluzioni di questa sorta.

In conseguenza il cardinal sottoscritto conformemente agli ordini di s. Santità., e ad esempio de' legati della s. Sede inviati a' diversi congressi, e segnatamente del vescovo di Nardo Fabio Chigi al congresso dj Westfalia, ha l' onore di rimettere a sua eccellenza il signor . . . . . . la protesta qui unita contro le risoluzioni, ed ogni altro atto pregiudizievole agl' interessi della religione cattolica e contrario a' diritti della Chiesa, e della s. Sede, che sono stati o mantenuti in vigore, o emanati dal congresso di Vienna.

Il sottoscritto prega, che la sua protesta sia inserita nel protocollo del congresso.

Egli ha l'onore di rinnovare a S. E. l'assicurazione della sua alta considerazione.

Vienna li 14. giugno 1815.

Ercole card. Consalvi

PROTESTA

Fatta a nome di sua Santità Pio papa VII., e della santa Sede apostolica contro tutte le disposizioni, che furono stabilite, e mantenute nel congresso di Vienna in pregiudizio de' diritti, e degli interessi delle chiese Germaniche, ed anche della s. Sede.

§. 14. Io Ercole della S. R. Chiesa cardinal Consalvi, diacono di s. Agata alla Suburra, segretario di stato di sua Santità Pio papa VII., e suo ministro plenipotenziario al congresso di Vienna, col presente chirografo fo palese ad ognuno, che il s. Padre non mi ha solamente incaricato di agire presso il congresso di Vienna per la ricupera de' dominj della s. Sede apostolica, ma mi ha ancora ordinato di attendere, e d' invigilare con ogni diligenza, affinchè all'occasione del ristabilimento della pace generale, e della sistemazione degli affari dell' Europa, le chiese Germaniche, e la Sede apostolica non ricevessero alcun danno ne' loro diritti, immunità, privilegj, beni, e principalmente in ciò che appartiene

Alia protestatio contra singula quae permissa, vel sancita sunt: in praejudicium jurium earumdem ecclesiarum.

al culto divino, ed alla salvezza delle anime; anzi di porre ogni premura, acciocchè venissero riparati que' danni che tanto nelle cose spirituali, quanto nelle temporali aveva nella Germania sofferto la Chiesa nelle vicende de' passati tempi.

Per soddisfare ad un tale incarico, tosto che venne a mia notizia, che per autorità de' supremi principi dimoranti in questa imperiale, e regia città, erasi stabilita una particolar commissione incaricata di prender cognizione, stabilire, e deliberare sugli affari della Germania, posi sotto gli occhj di sua Altezza il principe di Metternich presidente di questa commissione i reclami di sua Santità in una nota da presentarsi alla commissione suddetta, datata il giorno 17. novembre dell' anno scorso 1814. In questa io mi dolsi di tutte quelle innovazioni, che con disapprovazione di Nostro Signore (come attestano i publici documenti) furono fatte in Germania negli anni scorsi, e molte delle quali furono anche sanzionate con varj trattati, e principalmente con quello di Ratisbona dell' anno 1803. in pregiudizio delle chiese, de' vescovati, de' capitoli, de' monasteri, e d' altri luoghi ed istituzioni pie, e finanche dello stesso Romano impero, d' onde risultarono danni tanto funesti agl'interessi spirituali della Chiesa, e alla salvezza delle anime, e d' onde derivò grave pregiudizio a' diritti della Sede apostolica, diritti, che pel lasso di tanti secoli erano stati riconosciuti dagl' imperadori stessi, e dagli altri principi dello impero. Dopo avere esposte tali cose io pregai a nome di sua Santità i gloriosi principi, affinchè con la loro giustizia, e savezza ponessero rimedio a tanti disastri. Finalmente non mancai di pregare i ministri de' principi medesimi acciocchè nella ripristinazione delle cose della Germania, alla quale erano per applicarsi, volessero avere special riguardo alla religione cattolica, alla salvezza delle anime, a' diritti delle chiese Germaniche, e della Sede apostolica.

In quanto a ciò, che riguarda gli affari ecclesiastici, la favorevole disposizione de' principi, che governano la Germania spesso manifestata, mi dà luogo a sperare, che quanto prima potranno esseresistemati a norma delle leggi della Chiesa.

In quanto però a ciò che appartiene ai beni temporali delle chiese della Germania, molte cose sono state o stabilite nel congresso, o mantenute in vigore, che arrecano gran dolore all'animo di sua Santità.

I principati temporali de' quali era stata spogliata la Chiesa nella Germania, non si sono ad essa per anco restituiti; anzi sono stati concessi a principi secolari cattolici, e non cattolici: parte de' beni, e delle rendite del clero tanto secolare, che regolare dell' uno, e l' altro sesso, quali sono patrimonio della Chiesa, è stata rilasciata ai loro nuovi possessori, senza che venisse ciò sanzionato da alcuna autorità legittima, parte si fa rimanere distratta, e deviata da quegli usi, pe' quali erano stati stabiliti. In ultimo luogo lo stesso Romano impero, con ragione riguardato come centro dell' unità politica, e consacrato dalla santità della religione, non è ancora ristabilito.

Poichè adunque la Santità di Nostro Signore, animata dalla sollecitudine, che deve avere del gregge del Signore, e di tutte le chiese, e legato dai giuramenti prestati all'occasione del suo innalzamento al supremo pontificato, non solo non può passare sotto silenzio tali pregiudizj recati agli interessi temporali delle chiese Germaniche, o lasciati sussistere, dai quali inoltre più gravi danni risultano alla religione cattolica, e molti, e grandi ajuti ad essa vengon tolti, non solo, dico, non li può passare sotto silenzio, affinchè non sembri col tollerarli, che egli li approvi; ma sull' esempio ancora de' suoi predecessori, che contro pregiudizj di minore importanza fatti alla Chiesa non omisero di far sentire la loro apostolica voce, è costretto a difendere, ed a conservare intatti per quanto esso può i diritti, e le ragioni della Chiesa, io che adempio le sue parti in questo congresso, appoggiato agli esempj di altri legati della s. Sede, e specialmente di Fabio Chigi vescovo di Nardo nunzio apostolico presso del celeberrimo congresso tenuto in Westfalia, a nome della s. Sede apostolica e del santissimo padre Nostro signore Pio per divina provvidenza

papa VII. per mezzo di queste lettere apertamente, e in ogni miglior modo, via, causa, e forma, a cui pel mio officio son tenuto, protesto, mi oppongo, e contradico a tutte quelle disposizioni, le quali sono state stabilite, o mantenute in vigore in questo congresso di Vienna, e che arrecano pregiudizio ai diritti ed interessi delle chiese della Germania, e della s. Sede, ed a tutti que' danni, che da tali disposizioni derivano al culto divino, e alla salvezza delle anime, danni, quali io per quanto a me si appartiene, ho fatto ogni sforzo per impedire: e per assicurare anche presso gli assenti, ed i posteri più estesa la notizia di tali atti, ho sottoscritto di mia mano questa protesta, l' ho firmata col mio sigillo, e dimando, che questa stessa protesta sia formalmente inserita nel protocollo degli atti di questo congresso.

Dato a Vienna dal palazzo della nunziatura apostolica il giorno 14. giugno dell'anno 1815.

E. card. Consalvi

DCXXII.

Dat. die 22 augusti 1815 anno XVI.

Concessio novorum indumentorum facta capitulo insignis collegiatae ecclesiae sancti Pauli Civitatis Vallettae, et capituli insulae Melitensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Nos aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, et piis institutis adhaerentes hujus s. Sedis, quae in more habuit varia indumentorum, atque signorum ornamenta iis conferre, qui ministerio ecclesiarum aliqua celebritatis, alteriusve tituli laude pollentium perfunguntur, ut et ipsis ecclesiis decus accrescat, et ipsarum ministri insignioribus vestibus, aliisque ornamentis decorati forinsecus, ad interiora incitentur ornamenta virtutum, quibus tum in conspectu Altissimi, qui corda intuetur, purius adstare, tum oculo plebis, cui morum exemplo esse debent, sanctius in dies satagant apparere.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque dignitates, et canonici insignis, ut asseritur collegiatae, et parochialis ecclesiae sub invocatione s. Pauli Neaufragi nuncupati in civitate Vallettae nuperae capitulis insulae Melitensis, Gozo, aliorumque subjectorum locorum, exponi Nobis nuper fecerint, dictam ecclesiam caeteris aliis eadem in civitate existentibus dignitate praecellere, ipsosque jam ab illius erectionis exordio a felicis recordationis Clemente XII. praedecessore itidem Nostro per alias apostolicas sub plumbo expeditas literas anno reparatae salutis MDCCXXXIII. cappa magna, et roccheto hyemali tempore, aestivo vero mozzeta violacea, aliisque privilegiis in iisdem praenarratis literis, prout asseritur, expressis, decoratos fuisse; nunc vero ne pereat memoria miserationum, et gratiarum, quibus Deus afficere dignatus est memoratam civitatem, universamque Melitensem insulam, ejusque districtum, inde pestilentiam amovendo, a qua nuperrimis transactis temporibus habitatores illius divexabantur; et cum in hac praecipue occasione memoratae dignitates, et canonici, aliique

de clero praedictae civitatis, variis misericordiae operibus erga egrotos intenti, quin mortis periculum eos deterreret, multa Christianae pietatis, et religionis argumenta exhibuerint, etiam cum periculo vitae, quam nonnulli ex dicto capitulo in exercitio sacerdotalis ministerii gloriose cum morte commutarunt, ut generationibus advenientibus exemplo, atque incitamento esse possit, aliquo signo decorari vehementer desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis memoratae insignis collegiatae ecclesiae civitatis Vallettae Melitensis dioecesis, ut ipsi crucem auro elaboratam, quae sit absque sacrarum reliquiarum custodia, vulgo sepulchrino nuncupata, a recta ejus parte imaginem exiguam sanctissimi Crucifixi in centro crucis exculptam, a parte vero inversa alicujus Romani pontificis imaginem vel stemma ejusdem magnitudinis praeseferentem pariter incisum, juxta modulum, quem eis tradi mandavimus, de collo ante pectus pendentem cum cordula, et floccis aureis tam intra, quam extra ecclesiam, et supra vestes chorales deferre, eo modo, iisdemque juribus, ac privilegiis quoad delationem praedictae crucis, queis eam deferunt canonici cathedralis in vetusta civitate Notabile nuncupata existentes, ac aliarum collegiatarum del Gozo e della Senglea Melitensis dioecesis, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et dignitates et canonicos memoratos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti XIV. super divisione materiarum, et ejusdem praedictae ecclesiae collegiatae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenoris praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 7 septembris 1815 anno XVI.

DCXXIII.

Concessio novarum praerogativarum, novarumque decorationum pro canonicis, et beneficiatis ecclesiae cathedralis Foroliviensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Sacrorum indumentorum insignia, aliaque exteriora ornamenta, quibus apostolica Sedes in more habuit eos decorare, qui ecclesiarum ministerio perfunguntur, ad dignitatem divinis officiis comparandam, et devotionem fidelibus populis infundendam pie, salubriterque instituta fuere.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici, ac beneficiati cathedralis ecclesiae Foroliviensis, quod non parum splendoris, et ornamenti ad eamdem cathedralem accederet, et magis magisque divinus cultus incrementa susciperet, si ejusdem dignitates, et canonici, ac beneficiati novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis, ac beneficiatis cathedralis ecclesiae praedictae, ut dignitates, et canonici collare violacei coloris, et fasciolam cum flocco ejusdem coloris pileo circumvolutam, ac crucem auro elaboratam, quae magnitudine, et forma a cruce episcopali differat, et sit absque sacrarum reliquiarum custodia, vulgo sepulcrino nuncupata, seu numisma aliquod aureum in antica tam crucis, quam numismatis effigies sancti Valeriani martyris primarii protectoris memoratae civitatis Foroliviensis, in postica vero alicujus Romani pontificis imago sint insculptae ante pectus appensum, vel appensam ubique gestare; nec non in sacro faciendo, aliisque presbyteralibus functionibus exercendis (non tamen praesente episcopo) tam in dicta cathedrali, quam in aliis ecclesiis ejusdem civitatis, et dioecesis Foroliviensis, abugia uti; et tandem, ut beneficiati cathedralis memoratae collare praedictum violacei coloris ubique pariter gestare libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum pariter possit, et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos, ac beneficiatos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ejusdem cathedralis ecclesiae Foroliviensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

Dat. die 15 septembris 1815 anno XVI.

DCXXIV.

Suspensio temporanea legis nuncupatae « *Piano conciliativo* » ac editae pro aequa distributione commendarum hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani inter fratres milites Siculos, et Neapolitanos.

Dilecto filio Andreae de Joanne locumtenenti hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem et apostolicam benedictionem

Exponitur quomodo generalis lex vigens super distributione commendarum servari nequiverit tempore externae invasionis

§. 1. Adhuc Nobis deplorantibus nuperrimi transacti temporis calamitates expositum nuper tuo nomine fuit, quod anno 1813. decreto vicarii generalis Siciliae nomine carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi IV. utriusque Siciliae, et Hierusalem regis illustris, annuente consilio nationali, sancitum fuit, ut fratres milites expresse professi prioratus Messanae istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, attentis peculiaribus circumstantiis illius regni, quod ab illo Neapolis omnino sejunctum erat ob hostilem occupationem, communicare nequirent jura antianitatis cum aliis fratribus militibus pariter expresse professis prioratuum Capuae, et Barulae in concursu, et smutitione ad commendas antianitatis, sed Siculis tantum, posthabitis Neapolitanis, facultas esset retinendi praeceptorias, seu commendas prioratus Messanae. Cum memoratum decretum deliberationi, seu generali sanctioni obstet, quae anno 1784. sub nomine *di Piano conciliativo* statuta, ac hujus sanctae Sedis auctoritate per alias apostolicas literas sub plumbo expeditas confirmata fuit, cujus vigore nonnullae generales regulae praescribuntur pro distributione commendarum antianitatis nuncupatarum cujuscumque prioratus, ea tamen adjecta conditione circa prioratus Messanae, Capuae, et Barulae, ut fratres milites utriusque Siciliae regni, etiamsi numero differant prioratus praedicti, nihilominus in concursu commendarum antianitatis per modum unius haberentur, ita ut fratres milites Neapolitani, idest prioratuum Capuae, et Barulae concurrere deberent ad commendas prioratus Messanae, et sic vicissim Siculi ad illas prioratus Capuae, et Barulae; persistente adhuc decreto memorato, Neapolitani carent ad praesens jure hoc a lege, seu *Piano conciliativo* eis tributo; ast interea temporis si commendae prioratus Messanae vacantes remaneant, non exiguo detrimento earum redditibus, et administrationi esset, ideoque dum de hujusmodi decreti derogatione dilecti filii fratres milites consilii hospitalis praedicti pro viribus certant ea qua decet prudentia, et sollicitudine, ut ad priaeva jura redeat *il Piano conciliativo*, ad evitanda mala praesentia, et quae in posterum evenire possent in casu vacationis alicujus commendae prioratus Massanae, et ad tollenda jurgia inter fratres milites Neapolitanos, et Siculos, expedire censes suspensionem effectus memoratae legis, seu *Piano conciliativo* ad tempus, et data opportunitate in concursu fratrum militum prioratuum Capuae, et Barulae cum aliis fratribus militibus prioratus Messanae, usque ad derogationem praedicti decreti, vel ad definitivam deliberationem super hac re. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ad tollenda mala decernitur suspensio temporanea ejusdem legis

§. 2. Nos igitur praedictorum prioratuum fratres milites expresse professos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati tibi, attentis peculiaribus circumstantiis praenarratis, ut memoratae legis seu *Piano conciliativo* nuncupat. effectum, et observationem ad tempus, et data occasione vacationis alicujus commendae antianitatis, prout in praesenti vacatione, seu smutitione duarum commendarum, scilicet Taormina, et Ferdinanda nuncupatarum prioratus Messanae, et respectivi concursus ad alias commen-

das in posterum vacaturas in praedicto prioratu; sive smutitionis inter fratres milites Siculos, et Neapolitanos suspendere, et abrogare, ita quidem, ut suspensio hujusmodi tres tantum prioratus Messanae, Capuae, et Barulae respiciat; et tamdiu perduret, quamdiu vel memorati decreti derogatio protrahitur, vel donec alia opportuna, et necessaria deliberatio super hac re tanti momenti per dilectos filios fratres consilii hospitalis praedicti facta vel constituta fuerit, licite, et libere possis, et valeas, plenam, et amplam facultatem, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ac expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declarationes speciales.

§. 4. Volumus autem, ac declaramus expresse, ut vel extincto decreto memorato, quod obstat ad praesens legi praedictae, vel alio quocumque meliori modo, auctoritate tamen hujus s. Sedis approbando, proviso, memorata lex seu *Piano conciliativo* nuncupata plenarie vigeat, et ad primaeva jura redeat eo ipso; interim tamen quoad reliqua in dicta lege contenta, quae memoratas causas non respiciunt in omnibus, et per omnia confirmamus, et observari mandamus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXV.

Dat. die 15 septembris 1815 anno XVI.

Facultas celebrandi missam per horam ante auroram, et per aliam post meridiem in ecclesia Ascensionis terrae « *di Mogliano* » Firmanae dioecesis.

Venerabili fratri
Archiepiscopo Firmano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam
benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati ecclesiae sub titulo Ascensionis terrae di Mogliano Firmanae dioecesis, quod attenta frequentia, et devotione populi in eadem ecclesia ubi icon sanctissimi Salvatoris magna devotione colitur, jugiter concurrentes ipsi, ut commoditati populi consulatur sacrosanctum missae sacrificium per horam ante auroram, et itidem per horam post meridiem celebrari posse plurimum desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de narratis eisdem exponentibus, ut ipsi sacrosanctum missae sacrificium in ecclesia praedicta per horam ante auroram, et itidem per horam post meridiem celebrari facere libere, et licite possint, et valeant licentiam auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 15 septembris 1815. anno XVI.

DCXXVI.

Alumnis accademiae ecclesiasticae de urbe praesentatis a rectore, vel collegio consistoriali archygimnasii Romani, conceditur facultas consequendi lauream in dicto archigymnasio, licet ibidem utriusque juris lectiones non audiverint.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Pro Nostri pastoralis officii munere illud quoque curandum Nobis esse ducimus, ut juvenum studentium collegia, quae ad ecclesiasticae praesertim disciplinae praesidium, et incrementum instituta reperiuntur, peculiaribus privilegiis ornentur, et gratiis.

Expositio precum.

§. 2. Quare, sicut dilectus filius Noster Romualdus Sanctae Romanae Ecclesiae diaconus cardinalis Braschius de Honestis nuncupatus, Nobis nuper exposuit, utpote Nobis is accademiae ecclesiasticae de urbe protector, apud Nos, et hanc apostolicam Sedem, quum ejusdem accademiae pro tempore existentes alumni, qui ibi sacrae theologiae, jurisque canonici, et civilis, aliarumque facultatum sedulam operam navant, ideoque impediti, quominus archigymnasii Romani scholas adeant, privati remanent, laureis illis doctoralibus, quae solis praestantissimis juvenibus ex dictas scholas frequentantibus annuatim distribui solent: quumque plurimum conferat ad magis magisque dictorum alumnorum animos excitandos, mentesque ad suscepta studia prosequenda inflammandas, si sentiant, se tandem non esse prorsus impares aliis juvenibus, quibus fuerint meritis, et doctrina pares; Nobis propterea idem Romualdus cardinalis pro eo, quo flagrat religionis zelo humiliter supplicavit, ut ipsis accademiae alumnis desuper providere, atque ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ejusdem cardinalis votis libenter annuere volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, dilecto filio moderno, et pro tempore in perpetuum existentibus memoratae nobilis accademiae praesidenti, et superioribus, ut singulis annis ab hoc ipso anno inchoando unum ejusdem accademiae alumnum dilectis filiis rectori, et tam thologorum collegio, quam alteri advocatorum Nostrorum consistoralium dicti Romani archigymnasii praesentare, dictique rector, et theologicum, atque consistoriale collegia praesantato hujusmodi alumno, dummodo prius literas testimoniales ipsis exhibeat, in quibus tam praeses, quam ejusdem accademiae quatuor lectores adfirmaverint, eum cum laude cursum explevisse studiorum in illa, seu illis facultatibus, in quibus laureari debeat, nempe in sacra theologia, et in utroque jure; praeterea in triennio, quo in accademia ipse deguit, pari cum plausu eum satisfecisse publicis dissertationibus, et argumentationibus sibi praescriptis, ac demum declaretur, eumdem ipsum ad id fuisse praecaeteris electum post executa accuratissima, et cum majore suffragiorum parte statuta examina, vel literaria experimenta, lauream, seu laureas doctorales praedictas tribuere, et elargiri eodem plane modo, et forma, quibus tribui solent aliis juvenibus, qui in concursibus desuper in dicto archigymnasio haberi consuetis ad praemium, et honorem hujusmodi accipiendum praeelecti fuerint, libere, et licite possint, et debeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus,

et decretamus. Mandantes propterea eisdem rectori, et collegiis, ut lauream, seu laureas praedictas, juxta praemissa prompte tribuant, ac sine minima mora, aut repugnantia.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes insuper ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti archigymnasii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eidem archigymnasio, ejusque rectoribus, scholaribus, praesidibus, et quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis clausulis, et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut candidatus alumnus praedictus antequam ad laureas hujusmodi accipiendas praesentetur, in manibus cardinalis accademiae protectoris, vel ipso absente, ejus vices gerentis, seu alterius viri in ecclesiastica dignitate constituti ab ipso cardinali protectore deputandi professionem fidei juxta articulos pridem ab apostolica Sede praescriptos emittere, et solitum fidelitatis juramentum praestare omnino teneatur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

DCXXVII.

dat. die 18 septembris 1815 anno XV

Ampliatio facultatis jam concessae capitulo ecclesiae sancti Andreae loci de Buccari dioecesis Modrusiensis gestandi nonnulla insignia, pro novis canonicis eidem capitulo incorporatis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Ex parte venerabilis fratris Joannis Baptistae episcopi Seniensis, et ecclesiae Modrusiensis, seu Corbaviensis administratoris expositum Nobis nuper fuit, quod jamdiu recolendae memoriae Clemens pp. XIII. praedecessor Noster dilectis filiis archidiacono, et canonicis tunc, et pro tempore in perpetuum existentibus parochialis ecclesiae collegiatae s. Andreae loci de Buccari Modrusiensis dioecesis auctoritate apostolica indulsit, ut ipsi, eorumque successores rocchetum et mozzetam cum caputio violacei coloris, et cum globulis, asulisque cremisini cum pellibus armellinis hyemali, aestivo vero temporibus armellino ejusdem cremisini respective fimbriatam in dicta collegiata ecclesia, nec non in choro, capitulo, ac inter missarum, horarumque canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque diurnorum officiorum celebrationem, itemque extra ecclesiam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis, et privatis quibuscumque anni temporibus, ac alias quandocunque et quotiescumque opus fuerit, sive eis libuerit, deferre, et palam gestare, illisque respective uti libere, et licite possent, et valerent, prout ex ejusdem Clementis praedecessoris sub plumbo anno incarnationis Dominicae MDCCLXIV. tertio kalendas augusti desuper expeditis literis quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, non modo dictae ecclesiae canonici, sed etiam alii quinque in novis, et quatuor reliqui in alio loco de Brebir commorantes ad pervetustum a barbaris eversum capitulum

Modrusiense pertinentes unum corpus efficiunt, ac sede illa episcopali vacante, vicarium capitularem de more deputant, quatuorque archidiaconatus, archipresbyteratus, primiceriatus, et decanatus dignitates inter ipsos recensentur, idcirco rationi consonum videtur, ut reliqua hujus capitularis corporis dispersa membra iisdem insignibus, et praerogativis uti valeant, quae pro dictis suis confratribus de Buccari concessa reperiuntur; et quamquam ob substentationis defectum in eodem loco residere nequeant, interdum tamen simul omnes, aut plerique congregantur in unum, atque interim tres ex absentibus a Buccari in seminario dioecesano sacras theologicas facultates docent, clericosque in viis mandatorum Domini dirigunt, unus episcopo dioecesano a latere adest, ac demum reliqui tres respective parochi, et canonici in dictis locis existunt, singuli bonus Christi odor facti.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur dictos dispersos dignitates, et canonicos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratum indultum pro dignitate archidiacono, et canonicis collegiatae de Buccari, ut praefertur, concessum, ad alios omnes, et singulos dignitates, et canonicos supra memoratos alibi commorantes auctoritate apostolica, tenore praesentium extendimus, et ampliamus, hosque desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus, servata in reliquis dictarum Clementis praedecessoris literarum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae idem praedecessor in praedictis suis literis non obstare voluit, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXVIII.

Dat die 18 septembris 1815 anno XVI.

Canonicis ecclesiae collegiatae sancti Angeli Firmanae civitatis conceditur usus mozzetae violacei coloris, et cottae supra rocchetum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus constituti, ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum intendentes illorum honorificentiae, et decori libenter consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecit venerabilis frater archiepiscopus Firmanus, canonici collegiatae Ecclesiae s. Angeli civitatis Firmanae transactis miserrimis temporibus a virtutum et pietatis semita nunquam abberraverint, ut eorum probitatis exemplum posteris quoque incitamento esse possit, illos novo aliquo ornamento decorari summopere cupit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur omnes, et singulos, quibus Nostrae praesentes literae favent, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore

in perpetuum existentibus canonicis collegiatae ecclesiae praedictae, ut ipsi hyemali tempore supra rocchetum mozzetam violacei coloris cum globulis, et asulis ejusdem coloris, aestivo vero tempore cottam supra rocchetum tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, ed valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, eosque desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, fel: rec: Benedicti papae XIV. predecessoris Nostri super divisione materiarum, et dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXIX.

Dat. die 18 septembris 1815 anno XVI.

Dignitatibus, et canonicis ecclesiae metropolitanae Firmanae, quibus jam concessus fuerat usus vestis violacei coloris conceditur, ut extra chorum dumtaxat gestare valeant mantelletam ejusdem coloris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Eo libentius apostolicae Nostrae benignitatis testimonia ad majorem divini amoris cultum redundatura ecclesiarum ministris conferre non ambigimus, quo Nobis luculentius constat ecclesias ipsas, quibus illi addicti inserviunt, dignitate, amplitudine, aliisque praerogativis insignes, et metropolitanas esse, earumque ministros religionis zelo, morum suavitate, aliisque clarere virtutibus.

Expositio precum

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Firmanus, quod ad conferendam, augendamque pietatem, et religionem in capitulo et canonicis metropolitanae suae ecclesiae, qui indubia argumenta satis, superque praecipue miserrimis transactis temporibus, forti animo dederunt, illos novis praerogativis, novisque decorationibus donari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur omnes, et singulos, quibus Nostrae literae favent specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis metropolitanae praedictae, ut tam dignitates, quam canonici, qui jam

alias hujus s. Sedis benignitate, veste violacei coloris decorati fuere, in posterum etiam mantellettam ejusdem coloris extra chorum dumtaxat gestare libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et dignitates et canonicos memoratos desuper a quoquam impediri, molestari, seu perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, fel: rec. Benedicti papae XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, nec non dictae metropolitanae ecclesiae Firmanae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXX.

Dat. die 19 septembris 1815 anno XVI.

Concessio in emphiteusim perpetuam pro annuo canone scutorum triginta duorum facta favore patronarum beneficii ecclesiastici nuncupati de Caenaculo erecti in ecclesia collegiata plebis sancti Stephani, de bonis constituentibus dotem ejusdem beneficii.

Venerabili fratri episcopo s. Sepulchri

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae Margarita, Elisabeth, atque Assumpta Fedeli, unicae (ut asseritur) patronae beneficii ecclesiastici de Caenaculo nuncupati in collegiata ecclesia plebis s. Stephani, ac dilectus filius canonicus Franciscus Salvetti modernus dicti beneficii rector istius dioecesis, quod quum praediola dicti beneficii dotem constituentia a nonnullis dictarum patronarum praediis circumdata remaneant, parum fructus ob separatas colonias referunt, et occasionem nimis frequenter praebent super confinibus quaestionandi: ideoque ad quaestiones hujusmodi funditus tollendas, simulque fructus augendos, dictus rector praediola hujusmodi in emphyteusim perpetuam eisdem patronis, (quae praeter solutionem annui canonis scutorum sex, et viginti monetae istarum partium, se se paratas exhibent ad tutum pro beneficio reddendum censum ipsis passivum sortis principalis scutorum centum non amplius disputandorum, itemque se obligant ad renvestiendam hanc censualem sortem principalem cum alia pecuniae summa ex laudemio percipienda in emptionem alterius fundi plane liberi, atque ita in totum triginta duo scutata annua libera beneficio proveniant) concedere constituit, si Nostra, et hujus s. Sedis super hoc, licentia sibi suffragetur, et facultas. Nobis propterea idem rector asserens, concessionem hujusmodi, si fiat, in evidentem beneficii utilitatem fore cessuram, humiliter sup-

plicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Expositio precum

§. 2. Nos igitur ipsum rectorem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et postquam compereris in evidentem beneficii utilitatem esse cessuram, petitam facultatem ineundi praesentium emphyteusis perpetuae contractum cum annuo canone, et conditionibus expressis, designato fundo libero, tuto, et fructifero pro sorte census, ac investita summa scutorum viginti sex titulo laudemii persolvenda, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscentia impertiaris: ita tamen, ut census annuus solvatur praecipuus, ac liber, supportatis omnibus oneribus realibus, et personalibus per emphyteutas, descriptis confinibus, et inserta planta in istrumento concessionis; melioramenta vero cedant solo.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II., et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Volumus autem, ut postquam exaratum fuerit desuper instrumentum, in actis curiae episcopalis registrari debeat, et ex quavis causa cessante emphyteusi hujusmodi, praedia cum suis melioramentis desuper quomodolibet pro tempore factis ad dictum beneficium pleno jure revertantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona septembris millesimo, octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Bull. Rom. Tom. XIII. F. 94.

DCXXXI.

Dat. die 22 septembris 1815 anno XVI.

Confirmatio concessionis emphitheuticae de bonis prioratus Messanae hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Ex parte dilectissimi in Christo filii Nostri Leopoldi regii principis, et titularis, ut asseritur, prioris magni prioratus Messanae hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani expositum Nobis nuper fuit, quod, cum ex dicti prioratus feudo, seu latifundio Milici nuncupato, atque in diversa corpora vulgo « Rannazzo, Genestrito, Colle di Milici, Piana, Piana di Salica, e Marchisana « diviso aureo circiter mille tercentae monetae Siculae annuatim perciperentur, ipse ad prioratus hujusmodi conditionem meliorem efficiendam ipsum feudum, seu latifundium in emphyteusim perpetuam dandum esse censuit. Diuturnis igitur ad id diligentiis adhibitis, ac pluries editis desuper palam edictis, et latifundio in duodecim partes distributo, tandem prodierunt dilecti filii Toccolinus Nicolaci Baruneulus Michaeel, Rosalia itidem Nicolaci, Franciscus Pettini, Benedictus Spadaro quondam Joannis, Franciscus Rajmo quondam Cajetani, Marianus Munafò, canonicus Onuphrius d'Amico quondam Tyberii, Carmelus Rositto quondam Cajani, Franciscus Catanzaro, et Muscianisi, atque Joannes Basile quondam Dominici, qui omnia, ut ajunt, includendo, et nihil excludendo pro memorato latifundio annuum canonem decem supra bis mille unciarum monetae similis in solidum solvendi obtulerunt, licet eorum unusquisque duodecimam tantum latifundii partem acciperet, et retineret, praeter unum Catanzaro, et Muscianisi praedictum, qui duas ex duodecimis sumeret partes, illaesis, integrisque remanentibus magno priori pro tempore existenti praerogativis eidem prioratui adnexis, et prorsus inalienabilibus, nempe, localis jurisdictionis spiritualis exercitio vicarii, aliorumque presbyterorum in eccle-

siis ibi existentibus ministrantium electione, et baronis titulo. Praeterea dicti oblatores in se receperunt onus erogandi intra tunc proximum sexennium summam quatuor mille, et quingentarum unciarum dictae monetae in melioramentis ibi faciendis, et successive addendi aliam quoque in hoc summam mille quingentarum triginta unciarum, si per peritos latifundium ulteriorum meliorationum capax existimetur. Itaque die xx. maji MDCCCXIII. publicum hujus perpetuae emphiteuticae concessionis confectum fuit instrumentum cum aliis pluribus pactis, et conditionibus priori, et prioratui proficuis, prout ex eodem Nobis exhibito instrumento, cujus tenorem praesentibus pro pleno, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus fusius continetur. Quoniam autem tunc temporis Nos in exteris regionibus armato milite custodiebamur, iidem oblatores omnes, vel eorum plerique pro suae conscentiae regula, et instrumenti hujusmodi validitate hoc etiam in suis oblationibus scriptis pactum addidere rogantes carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandum utriusque Siciliae, et Hierusalem regem non modo, ut ad id regium suum interponeret assensum, verum quoque sponderet, se desuper obtenturum Nostrum, et hujus apostolicae Sedis beneplacitum, et adprobationem simul ac (Deo favente) inter utrumque Nostrum communicatio aperiretur iterum, et accessus ad dictam Sedem pateret. Quare etiam ipsius Ferdinandi regis datam fidem solventis nomine humiliter Nobis supplicatum fuit, ut dictis contrahentibus opportune providere, ac ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 2. Nos igitur, attenta evidenti concessionis hujusmodi emphyteuticae utilitate, ipsius regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis, praeterquam praemissorum occasione forsan per aliquos eorum incursis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia concessione facultatum respectivo uniuscujusque eorum contrahentium confessario ab ordinario adprobato, quatenus opus sit, absolvendi a censuris, ac poenis ecclesiasticis quibuslibet, quas propter praemissa quovis modo quilibet eorum incurrit, seu incurrisse dici, vel censeri possit, et totaliter liberandi, prout auctoritate apostolica, tenore praesentium facultates hujusmodi unicuique eorum confessario legitimo tribuimus, et impertimur; confessario autem dicti canonici, et alterius presbyteri, si inter contrahentes praedictos extiterit, facultatem quoque illum, seu illos super irregularitate per eum, seu eos praemissorum occasione quomodolibet contracta dispensandi, et ad ordines, atque canonicatum, aliaque ecclesiastica beneficia plenarie reintegrandi concedimus; memoratum instrumentum praesentibus pro inserto habentes omnia, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate, et tenore praedictis adprobamus, et confirmamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, et omnes et singulos juris, et facti defectus, qui in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Conditiones adnexae

§. 3. Cum hisce tamen expressis conditionibus I. ut dicta concessio registrari debeat in archivio generali dicti hospitalis, si non adhuc registrata fuerit. II. Ut intra sex proximos menses lapideum monumentum in aliquo patenti loco ab ipso titulari magno priore designando apponatur, in quo lapide paucis verbis declaretur memoria hujus emphyteuticae concessionis perpetuae; alioquin praesens gratia nulla sit eo ipso. III. Cessante ex quavis causa emphyteusi hujusmodi praedia, seu eorum partes cum omnibus melioramentis desuper pro tempore quomodolibet factis ad dictum prioratum pleno jure revertantur, illique libere cedant, absque eo, quod renovatio concessionis hujusmodi a quoquam sub quovis praetextu peti, aut praetendi possit.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis ad quos spectat, et pro tempore quan-

documque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II. et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti prioratus, et hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima secunda septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXXII.

Dat die 26 septembris 1815 anno XVI.

Erectio confraternitatis, seu piae unionis sub titulo pretiosissimi sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, ac beatae Mariae virginis de Rosario, et Refugio Christianorum in archiconfraternitatem in ecclesia s. Nicolai de urbe.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum. §. 1. Cum Nos nuper per quasdam Nostras in simili forma brevis die xxii. praesentis mensis expeditas literas confraternitati, seu piae unioni sub titulo pretiosissimi sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, ac beatissimae virginis Mariae de Rosario, et Refugio Christianorum, nec non invocatione animarum purgantium in collegiata, et parochiali ecclesia sancti Nicolai in carcere Tulliano de urbe canonice erectae, et institutae, ejusque confratribus, et consororibus nonnullas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes sub certis modo, et forma tunc expressis perpetuo concesserimus, et alias prout in eisdem literis, quarum tenorem pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilectorum filiorum officialium et confratrum dictae confraternitatis, seu piae unionis Nobis subinde expositum fuit, ipsi confraternitatem, seu piam unionem hujusmodi archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, confraternitatem, seu piam unionem praefatam in archiconfraternitatem, cum

omnibus, et singulis praerogativis, juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis, et consuetis auctoritate praedicta tenore praesentium, sine cujusquam praejudicio, perpetuo pariter erigimus, et instituimus Ac insuper archiconfraternitatis sic erectae officialibus, et confratribus praesentibus, et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra urbem pradictam ubicumque locorum existentes eidem archiconfraternitati aggregare, servata tamen forma constitutionis recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri desuper aeditae, illisque omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi confraternitati, seu piae unioni, sic in archiconfraternitatem a Nobis erectae, jam etiam a Nobis concessas communicare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis similiter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum in arce Gandulphi die vicesima sexta septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXXIII.

Dat. die 26 septembris 1815 anno XVI

Commissio episcopo Tolentini porrecta permittendi certis sub conditionibus alienationem frustuli terrae pertinentis ad ecclesiam parochialem sanctissimae Annunciationis de Colmurano ejusdem dioecesis.

Venerabili fratri
Episcopo Tolentino

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Josephi Garofali rectoris parochialis ecclesiae sanctissimae Annuntiationis de Colmurano istius Tolentinae dioecesis, quod inter caetera bona eidem parochiali praebendae adnexa, legitime spectat quoddam exiguum praedium situm in territorio de Colmurano praedicto, et praecipue in loco Casa Vecchia, seu le Coste nuncupato, quod licet valorem scutatorum biscentum viginti sex adaequet, juxta peritorum existimationem, tamen ob deficentiam domus colonicae, ejusque exiguitatem, et positionem caret necessaria cultura, unde aut nullum, aut vix parum affert fructus rectori, proindeque, cum dilectus filius Joannes Bezi, cujus alia bona huic praedio adhaerent, spoponderit hoc tanti emere, quanti aestimatum fuit, dando pro solutione praetii aliud terrae petium iisdem parochialibus bonis adnexum valoris scutatorum septendecim, et pro complemento tot scutata, quot deficiunt ad praeficiendam summam integram valoris scutatorum biscentum viginti sex, rector censet praedictam alienationem, et permutationem in evidentem memoratae parochialis praebendae esse cessuras tum relate ad parvum fundum parochialibus bonis adnexum, quod dictus Bezi cedit, tum etiam quia utilius erit emere aliud praedium magis culturae accomodatum, ex quo manare possint fructus uberiores, ideoque facultatem per Nos concedi summopere desiderat. Nobis propterea

humiliter supplicari fecit, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio episcopo porrecta.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem, ac singulares personas, quibus Nostrae literae favent, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta favorabili relatione pro-vicarii tui in spiritualibus generalis Nobis transmissa, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et postquam compereris alienationem, et permutationem praedictas in evidentem parochialis praebendae utilitatem fore cessuras, eidem Josepho parocho petitam facultatem alienandi memoratum praedium, et pro parte praetii aliud parvum fundum favore suae praebendae acquirendi, praevia aestimatione per peritos publicos facienda, pro tuo arbitrio, et prudentia gratis impertiaris; ita tamen, ut praetium ex dicta alienatione retrahendum, detracta summa praedii, quod cedit acquirens, usque ad integrum valorem praedii parochialis alienandi juxta peritorum aestimationem praedictam, penes aedem sacram, seu aliam personam idoneam arbitrio tuo eligendam deponatur, exindeque non amoveatur, nisi ad effectum illud reinvestiendi in aliis bonis stabilibus, liberis, tutis, atque fructiferis ad commodum et utilitatem ejusdem parochialis praebendae.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II. et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum in arce Gandulphi die vicesima sexta septembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXXIV.

Dat. die 26 septembris 1815 anno XVI.

Declaratio partis primae cap. 15. §. 3. costitutionum congregationis Canonicorum Regularium super facultate applicandi missas a sacerdotibus privilegiatis ejusdem congregationis celebrandas.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Nuper ex parte dilecti filii moderni praepositi generalis infrascriptorum Canonicorum Regularium preces Nobis oblatae sunt sequentis tenoris, nempe « Ad pedes Sanctitatis vestrae provultus d. Franciscus ab Annunciatione praepositus generalis Canonicorum Regularium congregationis s. Crucis Conimbriensis per Lusitaniam exponit: in constitutionibus congregationis a sancta Sede sancitis, et confirmatis anno 1783. p. 1. cap. 15. §. 3. hoc modo statutum reperiri »

Tenor articuli constitutionum.

§. 2. Priores autem, ex-generales, lectores emeriti, omnes magistri cujuscumque scentiae, vel artis, tum actuales, cum substituti, aut a religione, aut a rege nominati, dummodo legere non renuant, quando valent, nec ob culpam suam docere desinant, vicarii, et magistri novitiorum monasteriorum Conimbricensis, et Mafrensis, cantor major cujuslibet monasterii, quod viginti habuerit canonicos, procuratores generales Ulissyponensis, et Portuhensis ordinis chronographus liberam habebunt potestatem missas quascumque dixerint, applicandi pro intentione, quam maluerint; dummodo obligationes, et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant; aliter enim nullus ex supradictis poterit ad libitum applicare plusquam tres missas in qualibet hebdomada; nullo modo etenim, ut cujuscumque utilitati, et comodo consulatur, monasteria onerari debent »

Declaratio alias data verbis constitutionis.

§. 3. Sed quoniam verba illa « dummodo obligationes, et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant, aliter enim nullus ex supradictis poterit ad libitum applicare plusquam tres missas in qualibet hebdomada » ab extraordinario ejusdem congrega-

tionis visitatore episcopo Visensi proprio nutu inserta constitutionibus, post publicationem constitutionum visa sunt nimis dura, et observatae ab ejusdem congregationis exordio consuetudini contraria: postulatum, impetratum, et praefatae constitutioni derogatum fuit a Sede apostolica, ut laudatae congregationis priores, ex-generales, lectores emeriti, et omnes magistri actuales cujuscumque scientiae, vel artis, aut a religione, aut a rege nominati, liberam habeant facultatem applicandi omnes missas, quas dixerint, pro intensione, quam maluerint, sicut antea solebant.

Novum dubium alia declaratione delendum.

§. 4. Haec tamen sola praedictae constitutionis derogatio non videtur sufficiens, ut communi bono plene consulatur. Ea quippe facultas libere applicandi missas non ob particularium, sed ob communitatis utilitatem confertur: ut nempe sint, qui communitatem laboriosa munia obire velint; justumque sit, ut plus habeant emolumenti, qui plus caeteris pro communitate laborant: praesertim cum id fere nullum gravamen afferat monasteriis, quae quidem non ex missarum stipendiis, sed ex aliis redditibus plusquam sufficientibus aluntur.

Votum capituli generalis ad rem panditum

§. 5. Hinc post multiplicem reflexionem, ac discussionem, capitulum generale dictae congregationis celebratum aprili decurrentis anni 1814. censuit ampliorem derogationem supradictae constitutionis a s. Sede apostolica postulandam esse, ut cartofilaces monasteriorum omnes missas, quas celebraverint, et praedicatores quo die praedicaverint concionem *de pauta*, septemque diebus subsequentibus libere possint applicare pro intentione, quam maluerint, quemadmodum priores, et ex-generales.

Ampliatio proposita a praeposito generali.

§. 6. Supradictus vero praepositus generalis praesens orator perpendens eamdem ferme rationem militare pro cantoribus majoribus monasteriorum viginti canonicos habentium, pro procuratoribus episcopalibus, et pro magistris substitutis cujuslibet scientiae vel artis, qui omnes in supradicti cap. 15. §. 3. p. 1. nominantur) humilime orat S. V. pro derogatione illorum praedictae constitutionis verborum « dummodo obligationes, et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant » Ut non solum monasteriorum cartofilaces missas omnes, quas annualim dixerint, et concionatores, quos die, quo praedicaverint conciones *de pauta*, septemque sequentibus diebus celebraverint; sed etiam omnes alii, qui supradicta constitutione p. 1. cap. 15. §. 3. nominantur, videlicet cantores majores monasteriorum viginti canonicos habitatores habentium, et procuratores generales Lishonensis, et Portuhensis, et magistri substituti cujuslibet scientiae vel artis, sive a religione, sive a rege nominati, vicarius, magisterque novitiorum s. Crucis, et ordinis chronographus liberam habeant facultatem applicandi pro intentione, quam maluerint omnes missas, quas celebraverint, quemadmodum habent priores, ex-generales, magistrique tam emeriti, quam actuales. Laudata quippe facultas applicandi missas, si concedatur, in commune bonum congregationis cedit, et ferre nullum monasteriis, gravamen affert. Ideo.

Haec omnia, ut benigne concedat S. V. cum expressa derogatione praefatae constitutionis, et cujuscumque alterius, quae huic obstet supplicationi humiliter petit supradictus orator. Et orabit etc.

Decretum sacrae congregationis Episcoporum, et Regularium ad rem editum.

§. 7. Sacra congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praeposita, referente eminentissimo Domino cardinali Pacca ponente, attenta relatione internuntii apostolici Ulissyponensis, censuit rescribendum, prout rescripsit. « Consulendum sanctissimo pro indulto derogationis quoad omnes canonicos in supplici libello comprehensos « Romae decima octava augusti millesimo octingentesimo decimo quinto »

Et facta de praemissis relatione sanctissimo Domino Nostro a domino secretario ejusdem sacrae congregationis in audientia diei octavae septembris supradicti anni, Sanctitas Sua resolutionem sacrae congregationis benigne approbavit, et mandavit ex-

pediri literas apostolicas in forma brevis » Romae etc.

Loco ✠ Signi

I. Card. Carafa praefectus
Petrus Arch: Adinolfi sub. sec.

Confirmatio apostolica decreti lati a sacra congregatione.

§. 8. Nos igitur ipsum exponentem, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositae, qui in praemissis relationem dilecti filii Nostri, et hujus Sedis internuntii Ulissyponensis attenderunt, consilio supra expressum constitutionum regularium articulum juxta petita, et quoad omnes canonicos regulares in praeinsertis precibus comprehensos dumtaxat, auctoritate apostolica tenore praesentium abrogamus, derogamus, et abolemus, et unicuique ipsorum canonicorum, procuratorum generalium, et magistrorum substitutorum praedictorum etiam cantorum majorum, ut in posterum sacrosanctum missae sacrificium ad sui libitum, modo, et forma in precibus expressa quotidie applicare libere et licite possit, et valeat auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 9. Decernentes ipsas praesentes literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque canonicis regularibus in omnibus, et per omnia pleuissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac sanctae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus praemissis, et constitutionibus, atque ordinationibus apostolicis, nec non congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima sexta septembris millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 27 octobris 1815. anno XVI.

DCXXXV.

Extensio facultatis alienandi non nulla bona ecclesiastica in regno Pedemontano jam concessae, ut comprehensa intelligantur etiam specialia praedia pertinentia ad milites hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Carissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Majestatis tuae nomine expositum Nobis nuper fuit, dudum tibi sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica concessum urgentissimis de causis fuisse, ut ex bonis ad corporationes ecclesiasticas pertinentibus, quae adhuc supersunt invendita, exceptis dumtaxat beneficiis de jure patronatus, portionem grandem valoris, scilicet, centies centenarum millium librarum monetae Pedemontanae in perpetuum alienare libere, et licite posses, et valeres, ea tamen lege, ut intra certum tunc praefixum tempus totidem montium loca fructifera institueres pro respectiva, et successiva dictarum corporationum, ad quas bona alienanda pertineant, reintegratione, ac alias, prout ex Nostris desuper in simili forma brevis superiore mense augusto expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus fusius continetur. Quoniam autem jure, meritoque dubitatur, an sub hac universali concessione comprehensa remaneant bona hospitalis s. Joannis Hierosolymitani, cujus fratres milites non modo spiritum, sed corpus etiam suum Deo exhibentes hostiam viventem, gratam, et acceptam seque instabili elemento committentes modo cum tumentibus fluctibus, modo cum efferatis gentibus pro Christi fidelium securitate imperterrito quidem animo pugnare solent, et ex cujus ordinis gremio tot, tantique pietate, et armis insignes viri prodierunt, ut neque Romani pontifices praedecessores Nostri, neque Christiani principes eumdem ordinem privilegiis ornare, et cumulare destiterint. Quae inter privilegia hoc etiam praecipuum reperitur, ut in literis apostolicis generatim expeditis hospitalis praedicti bona minime comprehensa intelligantur, nisi de ipsis specialis, et individua, ac expressa mentione facta fuerit, eo quod, sicut felicis recordationis Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster in sua constitutione, quae incipit » *Inter illustria* » privilegia hujusmodi renovans declaravit, » ut ejusdem militiae status, et ordo . . . . in publicum christianae reipublicae bonum feliciter procedat, simulque illius bona ad communes impensas pro fidei defensione, et religionis praesidio sufficiant »

Ratio concessionis.

§. 2. Quamquam vero, sicut in eadem expositione additum erat, tu privilegia hujusmodi sarta tecta, sincera, et integra conservari velis, nihilo tamen minus cum, quia per aliquorum dicti hospitalis bonorum minus utilium alienationem parcere poteris aliis aliorum regularium ordinum utilioribus bonis, ad quorum ordinum restitutionem incumbis, ne haec diutius protrahatur, tum etiam, quod in praesentia rerum dictus militaris ordo nobilissimum sibi praestatutum finem exercere nequit, ac demum quia maximae impensae, ob quas bona ecclesiastica vendenda sunt, non minus pro sua, quam aliarum ecclesiasticarum corporationum defensione erogatae fuerunt, idcirco bona quoque privilegiata hujusmodi in dicta alienatione facienda comprehendi posse desideras.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur adductis de causis votis tuis annuere volentes, ut bona stabilia quaecumque ad quamlibet dictae militiae commendam, aut praeceptoriam, et prioratum vacantia dumtaxat pertinentia in memoratis Nostris literis ad praemissorum effectum tantum comprehendi quoque libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis earumdem literarum forma, et dispositione, praesertim quoad legem pro rata reintegrandi commendas, seu praeceptorias, et prioratus per totidem montium loca intra tunc praescriptum tempus,

auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac omnibus, et singulis illis, quae in memoratis Nostris literis non obstare voluimus; nec non dictae militiae, et hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum in arce Gandulphi sub annulo piscatoris die vicesima septima octobris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXXVI.

Dat. die 7 novembris 1815 anno XVI.

Consulitur nominationibus vicariorum factis in regno Neapolitano durante exterarum copiarum vi, aliisque faciendis in sequelam restitutae publicae tranquillitatis, ut serventur praescripta concilii Tridentini.

Venerabili fratri Nostro Iunico episcopo Praenestino Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Caracciolo nuncupato.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Narrat pontifex quomodo saevientibus exteris armis in regno Neapolitano opus fuerit ecclesiis pastore viduatis consulere per nominationem vicariorum.

§. 1. Acerbo sane paterni animi Nostri dolore commoti sumus, cum plurima, et gravissima audivimus damna, quae in Neapolitano regno, dum nuper exteris armis premeretur, ex vi capitulis metropolitanis et cathedralibus sedium vacantium contra Ecclesiae regulas illata, passim evenerunt, et de quibus etiam ipse carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus utriusque Siciliae, et Hierusalem rex illustris pro singulari ejus zelo spiritualis subditorum salutis haud levia Nobis indicia praebuit, in primisque per literas dilecti filii marchionis Circelli ad dilectum filium Nostrum Bartholomeum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Pacca nuncupatum super Aversanae ecclesiae statu jampridem conscriptas. Equidem quoad ejus ecclesias, de quarum malis huic apostolicae Sedi relatum fuit, paterna non minus charitate, quam pastoralis officii debito adducti promptiora, et opportuniora subsidia, et remedia admovere non distulimus, quae nota illorum temporum iniquitas postulabat, atque permittebat, quae scilicet electionum vicariorum capitularium, et actuum jurisdictionalium nullitati (quod tum maxime intererat) provideremus.

Disserit de jure ad praesentandum amisso a capitulis metropolitanis, et episcopis.

§. 2. Verum singulari divinae providentiae beneficio, temporum ratione penitus immutata, ablatisque extraordinariis circumstantiis, quae Nos ad extraordinaria hujusmodi re-

media confugere coegerunt, horum quoque remediorum necessitas, atque adeo opportunitas plene cessavit. Minime tamen cessant plures, quae ex variis dicti regni partibus quotidie ad Nos perferuntur reclamationes, et preces, quae satis ostendunt in civitatibus, et dioecesibus pastore viduatis, magnas adhuc rerum perturbationes in re tanti momenti, quanti est jurisdictio spiritualis, maximo cum animarum Christi Domini pretioso sanguine redemptarum detrimento adhuc obtinere, imo in dies invalescere. Hinc ne apostolico ministerio, quod omnium ecclesiarum Nobis sollicitudinem injungit, tanto in discrimine deesse videamur, eo quod res postulat, quodque ingentia illa mala submoveat, generali remedio ecclesiis eisdem consulere constituimus. Et revera quum vacantium ecclesiarum capitula, quae tempus et formam a sacrosanto concilio Tridentino pro vicario capitulari eligendo praescriptam servare prohibita sunt, ad vicarii capitularis electionem non devenerunt, ea vice jus istud amiserint, quemadmodum etiam metropolitani, et antiquiores, ac viciniores episcopi amiserunt, quia capitulorum defectum supplere neglexerint, nil reliqui profecto est (obstaculis omnibus ecclesiarum libertati, et quieti religiosissimi regis pietate sublatis) quam hujus apostolicae Sedis auctoritas intercedat, quae sola valet ea necessaria, et opportuna tot, tantisque rerum perturbationibus remedia adhibere, quae praeterita sanent, et simul futura provideant. Amoto enim supremo ejusdem Sedis auctoritatis interventu; eadem profecto electionum invaliditas, et actuum jurisdictionalium nullitas renovaretur, quas contra de medio tolli necesse est.

Declarat remedia exegitata, ut electiones jam factae validae evadant, et neglectae expleri possint ad tramites praescriptionum concilii Tridentini.

§. 3. Quoniam igitur inter ea, quae Nobis praestanda occurrebant pro suprema potestate Nobis in Ecclesia universa tradita id convenentius, et expeditius duximus, ut fraternitatis tuae opera etiam in gravissimo hoc negotio uteremur, quando quidem in urbe regni principe constitutus tractandis nomine s. Sedis Ecclesiae rebus delegatus eo promptiorem ad ea, quibus ecclesiae indigent manum admovere posses, quo facilius ac plenius ad eas cognoscendas aditus pateret. Quare de ejusdem fraternitatis prudentia, vigilantia, religionis zelo, ac de reliquis egregiis virtutibus perspectis Nobis quidem, et probatis plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine te in delegatum apostolicum ad praemissorum effectum tenore praesentium constituimus, et deputamus, tibique injungimus, ut capitula sive metropolitana, sive cathedralia, praesertim ea, in quibus vicarii capitulares illegitime fuerunt electi, etiam si ipsi vicarii a Nobis pro temporum acerbitate confirmati ad Nostrum, et dictae Sedis beneplacitum reperiantur, ad electionem vicarii capitularis juxta memorati concilii statuta, et formas consuetas devenire facias intra octiduum a die, quo mandatum acceperint computando, secus electio hujusmodi ad respectivum metropolitanum, vel antiquiorem, aut viciniorem episcopum prout de jure, devolvatur eo ipso. Nos enim quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, facienda, gerenda, et exequenda, ac exequi mandanda facultatem motu, scentia, et potestate praedictis tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea dilectis filiis capitulis, et canonicis earumdem ecclesiarum, aliisque ad quos spectat, et spectabit, ut tibi in praemissis prompte pareant, atque eadem praemissa efficaciter adimpleri procurent, secus poenas, et sententiam, quam rite tuleris, faciemus, authore Domino, inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Atque decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consue-

tudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Monitum speciale.

§. 6 Capitula autem praedicta monita per te esse Nostro nomine volumus, ut vicarii statim ac fuerint electi ad hanc s. Sedem recurrant, diligenterque peculiares dioecesos calamitates, et mala exponant, quae sanatione, aliave apostolici muneris providentia indigeant; itemque volumus, ut praesentium exempla ubique locorum opus esse putaveris, quamprimum cum tuis encyclicis mittas. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima novembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXXVII.

Dat. die 7 novembris 1815 anno XVI.

Assignatio bonorum pro manutentione sacri Specus, ubi sanctus Benedictus jecit fundamenta ordinis sui in abbatia Nullius dioecesis prope Sublacum.

Dilecto filio Nostro Petro Francisco Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Galleffi abbati monasterii sanctae Scolasticae Sublacensis, ordinis s. Benedicti, Nullius dioecesis in districtu urbis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
Salutem et apostolicam
benedictionem

Memorantur privilegia, aliaeque gratiae monasterio sacri Specus ab aliis pontificibus concessae

§. 1. Satis superque Nobis notum est quanta veneratione, et honore semper celebratus fuerit locus ille prope Sublacum in aspero monte sub praecipiti rupe intra tuae abbatiae Nullius dioecesis limites situs, ubi divus Benedictus per plures annos delitescens illius ordinis fundamenta jecit, cujus Nos antequam ad summi pontificatus apicem, licet immeriti, evecti fuissemus, habitum gestasse, et professionem emisisse regulares gloriamur; quo in loco monasterium sub denominatione sacri Specus antiquitus aedificatum, deinceps successivis temporibus post barbarorum incursiones, incendia, bellorum motus saepe instauratum, et restitutum fuit, quod nonnulli Romani pontifices praedecessores Nostri multis privilegiis, ac beneficiis cumularunt, et monachorum ibi degentium, ac ecclesiae, et monasterii necessitatibus consulere curarunt, inter quos felicis recordationis Clemens XII. recentiore sua constitutione sub datum 9. aprilis 1735. sancivit, ut monasterium s. Scolasticae quod non longe distat a sacro Specu quotannis illi persolvere teneretur scutata quingenta quadraginta quinque, sublata consuetudine, et facultate, quae antea erat monasterio memorato s. Scolasticae subministrandi pro pecunia alimonias in pane, vino, et oleo.

Tenor precum porrectarum pro consequenda no-

§. 2. Verum prout a te Nobis est expositum, novissimis temporibus tum ob alias circumstantias, tum ob

va assignatione.

luctuosissimas calamitates, quae nuper universum Ecclesiae Catholicae, ac regularium ordinum statum afflixere, factum est, ut memorato monasterio primum aegre admodum, et minus integre suppeterent, ita, ut Nos ipsi aliunde supplementum praebere coacti fuerimus; deinceps vero ex toto deficerent opportuna subsidia, non solum ad monachorum sustentationem, sed etiam ad celeberrimi sanctuarii manutentionem, divinumque cultum; is vero subsidiorum defectus, etiam nunc post restitutum rerum ordinem ob alias praesertim, quae adhuc manent, circumstantias facile ex parte saltem accidere posse praevidetur, quem idcirco efficacius praecaveri oporteat. Quamobrem tu utpote administrator memorati monasterii sacri Specus, et alterius s. Scolasticae auctoritate Nostra apostolica deputatus, nonnulla Nobis consideranda exhibuisti, quae opportunum auxilium urgentibus necessitatibus praebere possunt; scilicet, nonnulli erant, prout a te asseritur, annui redditus monasterii praedicti sacri Specus. I. scutata quingenta quadraginta quinque supra memorata, quae solvi debebant quotannis a monasterio s. Scolasticae illi sacri Specus vi praedictae constitutionis Clementis pp. XII. praedecessoris memorati ob expressas in dicta constitutione rationes, et causas. Ut ad praesens securitati hujus redditus consulatur favore praedicti sacri Specus, censes rubra octuaginta frumenti, quae abbatialis mensa Sublacensis, cujus tu ad praesens possessor existis, singulis annis tradere tenetur eidem monasterio s. Scolasticae, et quae rubra per conventionem perpetuis futuris temporibus duraturam, summam scutatorum quingentorum sexaginta excedere non possunt, statuto pretio scutatorum septem pro unoquoque rubro, applicari, et verti in utilitatem sacri Specus, ita quidem, ut cesset respectiva obligatio inter mensam abatialem, et monasterium s. Scolasticae, et sic inter monasterium sacri Specus, et illud s. Scolasticae, et in posterum creditor semper sit mensae abbatialis monasterium sacri Specus, sed cum scutata quindecim supersint ex dicta summa scutatorum quingentorum sexaginta ut recte adaequent scutata quingenta quadraginta quinque, quae annuatim solvere deberet monasterium s. Scolasticae, ut apparet ex praenarratis, de hac summa infra dicendum. Redditus secundo sacri Specus erant, et sunt scutata septingenta triginta quatuor, et obuli septuaginta duo, quae illi debet quotannis congregatio generalis Cassinensis pro fructibus census in sorte sc. 23,545, 50. scutatorum, et e contra congregationi praedictae annuatim pariter respondet, et solvere debet scutata tercenta monasteriorum s. Scolasticae pro aliis fructibus censuum, unde pro expedita solutione hujus summae scutata tercenta, aequum ducis, ut monasterium s. Scolasticae cedat favore monasterii sacri Specus bona, quae possidet in agro oppidi Cerreti nuncupati, quae afferunt annuatim fructum scutatorum bis centum sexaginta, et alia praedia seu prata vulgo nuncupata « *l' alboreto di Pietro* » et aliud » *la foresta* » ex quibus manare possunt fructus scutatorum viginti quinque, quae insimul juncta efficiunt in totum scutata biscentum octuaginta quinque; ubi addantur alia scutata quindecim, quae supersunt ex summa scutatorum quingentorum sexaginta pretii frumenti mensae abbatialis supra memorati, aequabunt exacte scutata tercenta. Pro reliqua autem summa scutatorum quadrigentorum triginta quatuor, et obulorum septuaginta duorum, quae deficiunt ad perficiendam summam integram scutatorum septingentorum triginta quatuor, et obulorum septuaginta duorum, necessarium ducis, ut quoniam monasterium s. Petri Perusiae debitor existit congregationis generalis Cassinensis pro fructibus censuum novorum, et veterum, in diminutionem, et excomputationem istius debiti memoratam deficientem summam persolvere cogatur praedicto monasterio s. Specus, quod ita perciperet integrum fructum census in summa scutatorum septingentorum triginta quatuor, et obulorum septuaginta duorum, quem solvere deberet congregatio generalis Cassinensis per memoratam permutationem juris unius ad alterum monasterium. Haec ad optatum finem opportune confluere censes, et hujus s. Sedis auctoritate, et praesidio muniri, et confirmari summo-

pere desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur votis tuis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attentis praenarratis circumstantiis monasterii sacri Specus, circumspectioni tuae facultates necessarias, et opportunas, quarum vigore tu tanquam administrator a Nobis legitime deputatus monasteriorum praedictorum sacri Specus, et s. Scolasticae, redditus memoratos juxta modum, et formam praedictam constituere, aequare, ac permutare incipiendo a summa scutatorum quingentorum sexaginta provenientium ex mensa tua abbatiali Sublacensi, quam ad praesens possides, ita quidem, ut in posterum dicta mensa, et pro ea abbates Sublacenses pro tempore, nunc, et futuris temporibus persolvere teneantur summam scutatorum quingentorum sexaginta, valorem scilicet rubrorum octoginta frumenti monasterio sacri Specus, loco alterius s. Scolasticae, in correspectivitatem scutatorum quingentorum quadraginta quinque, quae quotannis persolvere teneretur praedictum monasterium s. Scolasticae, ad formam memoratae constitutionis Clementis pp. XII. praedecessoris Nostri, et dicta summa etiamsi directe non solvatur a mensa abbatiali monasterio praedicto s. Scolasticae habeatur tamquam soluta, et plenarie satisfacta juxta tenorem obligationis; ita pariter, ut ad effectum aequiparandi summam scutatorum septingentorum triginta quatuor, et obulorum septuaginta duorum, quam congregatio generalis Cassinensis praedicta monasterio sacri Specus titulo fructuum census supra memorati deberet, alias summas favore ut supra sacri Specus transferre, quae sunt bona, scilicet sive praedia ad monasterium s. Scolasticae pertinentia, et in oppido Cerreti existentia, et alia stabilia « *l' alboretto di Pietro, e la foresta* nuncupata « ex quibus praediis insimul sumptis proveniunt annui redditus, sive fructus scutatorum circiter biscentum octoginta quinque, quibus adjuncta sunt scutata quindecim, quae supersunt ex summa praedicta frumenti mensae abbatialis, in totum efficiunt scutata tercenta, quae monasterium s. Scolasticae deberet annuatim congregationi generali Cassinensi; ita tandem ut onus, seu obligationem monasterio s. Petri Perusiae imponere, et pro eo celerario pro tempore etiam facultate quam tibi auctoritate Nostra apostolica specialiter concedimus, illum ab officio suspendendi in casu contumaciae, quotannis anticipate de sex in sex menses persolvendi summam scutatorum quadrigentorum triginta quatuor, et obulorum septuaginta duorum monasterio sacri Specus, quam annuatim pariter deberet congregationi Cassinensi pro aequali summa fructuum novorum, et veterum censuum, quae quidem summae etiamsi indirecte solvuntur, tanquam directe solutae habeantur, ita, ut tam monasterium s. Scolasticae relate ad scutata tercenta pro quibus cedit bona praedicta, quam monasterium s. Petri Perusiae relate ad aliam summam scutatorum 434. 72. liberentur ab onere illas persolvendi congregationi Cassinensi, et sic respective vigore talis cessionis congregatio praedicta non amplius teneatur persolvere fructus praedicti census monasterio sacri Specus, libere, et licite possis, et valeas, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Mandantes propterea tibi, et successoribus tuis, nec non dilectis filiis abbatibus, et monachis dictorum monasteriorum, ut praemissa juxta tenorem praesentium in perpetuum observent, atque insuper decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque ju-

dices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum monasteriorum, et dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima novembris millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXXXVIII.

Dat. die 23 novembris 1815 anno XVI.

Assignatio bonorum pro dote accademiae militaris Matriti erectae a rege catholico facta cum suppressione nonnullarum praebendarum canonicalium praedicti regni Hispaniarum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. Circumspecta Romani pontificis providentia illustrium catholicorum regum vota ad publicam eorum subditorum utilitatem tendentia benigno favore prosequitur, et dum conspicit pro hujusmodi effectu applicationis ecclesiasticorum bonorum medium convenire bona ipsa locis quibusvis applicare non dedignatur, ut optatum finem facilius consequantur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus per dilectum etiam filium equitem Antonium Vargas y Laguna praefati regis apud Sedem apostolicam administrum plenipotentiarium, quod cum ipse Ferdinandus rex quoddam in civitate Toletana statuerit aedificium pro accademia militari, aliisque operibus suis regalibus exercitibus perutilibus, ad hoc ut filiis illorum suorum subditorum in omnibus ejus provinciis, qui diversa munera exercentes transactis belli temporibus ex hac vita migrarunt, et in posterum migrabunt auxilium, et subsidium afferri queat, quodque ut decenti stabilique praefatae accademiae, aliorumque operum praefatorum subsistentiae provideatur ipse Ferdinandus rex plurimum cupiat omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones et emolumenta quaecumque unius canonicatus, et praebendae cujuslibet ex metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis regnorum Hispaniarum primo loco vacaturorum accademiae et operibus praefatis perpetuo applicari, et idcirco pro parte dicti Ferdinandi regis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in-

praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsius Ferdinandi regis votis publicam utilitatem respicientibus quantum cum Domino possumus obsecundando, considerantes quod hujusmodi pium opus praecipue respicit orphanorum et pauperum levamen, eorumque in pietate, ac bonis artibus educationem, quodque licet unus canonicatus, et praebenda cujuslibet ex metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis praefatis ad effectum illorum respective fructus, redditus, et proventus praefatos, ac emolumenta quaecumque accademiae, et operibus praefatis perpetuo applicandi perpetuo quoque supprimantur, nullum proinde divino cultui, et dictarum ecclasiarum servitio, attento quod earumdem ecclesiarum respectiva capitula canonicis, aliisque ecclesiasticis ministris abundant, praejudicium infertur, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, unum canonicatum, et praedendam cujuslibet ex metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis regnorum praefatorum, ex nunc prout ex tunc, et e contra cum primum illos ex personis canonicatum, et praebendam praefatos nunc respective obtinentium, quovis modo primo loco vacare contigerit, illorumque respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam, ita quod illi, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, collativi esse desinant, et de caetero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illis quomodolibet disponi nequeat, et si de illis quovis modo disponi contigerit, quaevis dispositiones hujusmodi, nullae et invalidae nulliusque roboris, vel momenti existant, nullisque suffragentur apostolica auctoritate, perpetuo supprimimus, et extinguimus, illisque sic suppressis, et extinctis, omnia, et singula dictorum canonicatus, et praebendae primo loco, ut praefertur, vacaturorum, et ut praefertur suppressorum, et extinctorum respective bona, res, proprietates, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta universa ad illos quomodolibet respective spectantia, et pertinentia accademiae, et aliis operibus praefatis, ita quod liceat pro tempore existentibus illius, et illorum praesidi, seu praesidibus, aut alias quocumque nomine nuncupato seu nuncupatis statim ac casus vacationis dictorum canonicatus et praebendae respective evenerit, et non alias, nec antea per se, vel alium, se alios ejusdem accademiae, et operum praefatorum nomine omnium, et singulorum dictorum canonicatus, ut praebendae primo loco, ut praefertur vacaturorum, et ut praefertur suppressorum, et extinctorum fructuum, reddituum, et proventuum, et bonorum, proprietatum, jurium, obventionum, ac emolumentorum quorumcumque praefatorum veram, realem, actualem et corporalem possessionem, certioratis tamen prius ordinario, et capitulo, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, omnes quoque, et singulos illorum fructus, redditus et proventus praefatos quomodolibet, et undecumque ex eisdem canonicatibus, et praebendis, ut praefertur, suppressis, et extinctis respective provenientes, et in quacumque re consistentes percipere, exigere, levare, ac satisfactis tamen prius per praesidem, seu praesides, aut alios quocumque nomine nuncupatum, seu nuncupatos pro tempore existentes eorumdem canonicatuum, et praebendarum, omnibus et singulis, si quae sint, respectivis oneribus in dictae accademiae et operum praefatorum usus, et utilitatem convertere, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo applicamus, et appropriamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quopiam alio quantumvis magno substantiali, inexco-

gitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod nec aliquis ad id fuerit vacatus, et auditus, nec in praemissis solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes et dignitate fulgentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executorum apostolicorum

§. 5. Ac praeterea venerabiles fratres Nostros modernos, et pro tempore existentes regnorum Hispaniarum archiepiscopos, et episcopos, seu eorumdem regnorum sedibus archiepiscopalibus, et episcopalibus pro tempore vacantibus, dilectos filios modernos, et pro tempore existentes respective officiales in executores earumdem praesentium quoad illarum observantiam dumtaxat dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium deputamus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae praedictae regula de applicationibus ad partes committendis, et de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis concilii novissime celebrati applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri, nec non ab ecclesiis membra dividi prohibentis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, generalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque metropolitanarum, et cathedralium ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis autem etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si essent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, decreti, deputationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum, ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinto, decimo nono kalendas decembris, pontificatus Nostri anno sexto decimo.

Dat. die 24 novembris 1815 anno XVI.

DCXXXIX.

Erectio conservatorii muliebris pro puellis instruendis in civitate Ferentini.

Venerabili fratri
Lucae episcopo Ferentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni publici repraesentantes istius Ferentinae civitatis, quod per Nostras in simili forma brevis die xxx. septembris MDCCCIII. expeditas literas auctoritate Nostra apostolica confirmaverimus annua pecuniaria subsidia in perpetuum a confraternitatibus Spiritus Sancti, itemque s. Antonii, sanctissimi Sacramenti, et beatae Mariae virginis de Monte Carmelo respective solvenda, ac aliam summam scutorum viginti monetae Romanae ex redditibus publicarum scholarum ejusdem civitatis annuatim detrahendam, in totum centum viginti quinque scutorum pro schola puellarum praesertim pauperum aperienda, ac alias prout ex dictis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, scholae hujusmodi magistrae superiorum temporum procellis dispersae fuerint, nuncad eas melius comparandas, ac firmiore charitatis vinculo inter se devinciendas muliebre conservatorium perpetuum pro puellis instruendis erigi cum votis, vel simplicibus, vel solemnibus posse cupiunt, idque eo magis exoptant, quia bo: me: canonicus Ricci ad promovendum tam salutare opus in ultimis suis testamentariis tabulis domum suae habitationis cum horto contiguo legavit favore conservatorii, si intra certum non adhuc elapsum tempus cum votis erigeretur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratorum veritate, conservatorium hujusmodi perpetuum scholae piae charitatis sub invocatione b. Mariae virginis, et s. Catharinae Senensis, vel alterius sancti, aut sanctae, adsignatis illi in dotem memoratis pecuniariis summis, domo, et horto, cum votis simplicibus etiam instruendi puellas praedictas gratis in doctrina Christiana, et foemineis operibus, et cum regulis ad instar aliarum similium scholarum in civitatibus Anagnina, et Alatrina erectarum, iis tamen immutatis, quae pro data tibi a Domino prudentia immutanda, addenda, aut detrahenda esse duxeris, itemque cum missarum oneribus a dicto canonico praescriptis, auctoritate Nostra apostolica erigas, addita clausula, et expressa conditione, ut si in posterum conservatorium a te sic erectum quandocumque etiam post saecula extingui, et durare cessaverit, ejusdem canonici domus, et hortus ad haeredum descendentes sine ulla prorsus contradictione revertantur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in memoratis Nostris literis non obstare voluimus, caeterisque in contrarium quibuscum-

que. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima quarta novembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXL.

Dat die 5 decembris 1815 anno XVI.

Concessio usus mozzetae pro archipresbyteris ecclesiae plebanae Cenesellorum dioecesis Ferrariensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes peculiaria indumenta interdum deferenda concedimus ecclesiasticis illis viris, qui in amplioribus templis Deo ministrant, ut ipsi externis etiam vestibus excitati internas virtutes magis colere studeant, populique devotio cum divino cultu augeatur.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur, sicut dilectus filius Nicolaus Lolli archipresbyter pervetustae ecclesiae plebanae Cenesellorum Ferrariensis dioecesis exponi Nobis nuper fecit, ecclesia ipsa templi magnitudine, et populi Christiani frequentia, ac sufficienti sacerdotum numero, et probitate satis floreat, multum ornamenti ad ipsam accederet, si dictus archipresbyter novis per Nos insigniis decoretur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos eumdem exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibusquomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Nicolao archipresbytero, ejusque successoribus in perpetuum in regimine dictae ecclesiae, ut ipse, et ipsi mozzetam nigram supra rocchetum in quibusvis processionibus, functionibus et actibus publicis gestare, dictisque insigniis uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictumque archipresbyterum, ejusque successores desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ejusdem ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta decembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 5 decembris 1815 anno XVI.

DCXLI.

Concessio usus collaris violacei, et fasciolae sericae ejusdem coloris in pileo pro canonicis ecclesiae cathedralis Aquaependiensis

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticis viris, qui in templis magis conspicuis Altissimo inserviunt, peculiaria ornamenta interdum deferre concedimus, ut hinc excitati internarum virtutum splendore elucere ipsi magis, magisque conentur.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam igitur ex parte dilectorum filiorum dignitatum et canonicorum cathedralis ecclesiae Aquaependiensis expositum Nobis nuper fuit, quod ipsi, ad majorem Dei gloriam, ac etiam ut perenne Nostri ad ipsam ecclesiam accessus ex eo tempore, quo divina providentia in urbem reducebamur, extet monumentum, peculiari aliqua praerogativa, et ornamento frui, praeter insignia choralia, quae gestare solent.

Tenor concessionis

§. 3. Nos, attentis desuper enixis commendationibus venerabilis fratris Floridi episcopi Aquaependiensis, ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dignitatibus et canonicis cathedralis praedictae nunc, et pro tempore in perpetuum existentibus, ut ipsi collare violaceum, non tamen holoserico rubro subsutum, ac fasciolam sericam ejusdem violacei coloris pileo obvolutam cum uno lloeculo simili tam in dicta civitate, quam alibi, ac etiam in urbe Nostra gestare libere, et licite possint et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque dignitates et canonicos desuper a quoquam impediri, et perturbari nullatenus posse; ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta decembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

Dat. die 7 decembris 1815. anno XVI.

DCXLII.

Extensio concessionis de recitatione missae, et officii proprii sacratissimi cordis Jesu ad universum Portugalliae regnum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi VII. Hispaniarum regis catholici, quod ipse ad magis magisque confovendam, augendamque devotionem erga sanctissimam passionem Domini Nostri Jesu Christi officium cum missa sacratissimi cordis Jesu jam alias approbatas pro regnis Portugalliae, et Algarbiorum recitandum, et respective celebrandam feria sexta post octavam sanctissimi corporis Christi ab universo clero tam saeculari, quam regulari ritu duplici secundae classis extendi ad omnia regna et ditiones praedictae majestatis suae summopere desiderat. Nobis propterea ejusdem majestatis suae nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis majestatis suae votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et omnes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Sala secretario coadiutore congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum, officium cum missa sacratissimi cordis Jesu jam alias approbata pro regnis Portugalliae, et Algarbiorum recitandum, et respective celebranda feria vi. post octavam sanctissimi corporis Christi ab universo clero tam saeculari, quam regulari ritu duplici secundae classis, ad omnia regna, et ditiones Hispaniarum majestati suae subjectas, auctoritate apostolica, tenore praesentium extendimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima decembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXLIII.

Dat. die 15 decembris 1815. anno XVI.

Commutatio in commendam beneficii simplicis sub invocatione sancti Josephi, et Antonii Patavini, de jurepatronatus laicorum facta in dioecesi Casalensi ad formam constitutionis Benedictinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Memoratur privilegium militibus concessum a s. m. Benedicto XIV

§. 1. Dudum recolendae memoriae Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster per suam perpetuo valituram constitutionem, quae incipit «*Fructuosa militiarum equestrium*» editam sub datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae MDCCXLIV. decimo kalendas septembris pontificatus sui anno quinto, precibus sibi pro parte clarae memoriae Caroli Emmanuelis, dum vixit, Sardiniae regis illustris, ac Sabaudiae ducis, et militiae sanctorum Mauritii, et Lazari magni magistri oblatis obsecundans, inter caetera, ut ejusdem militiae incrementis, et commodis consuleret, constituit, ut quoties laici ad formam constitutionis felicis recordationis s. Pii pp. V. praedecessoris itidem Nostri, quae incipit «*Sicut bonus agricola*» beneficia ecclesiastica simplicia de eorum jurepatronatus in praeceptorias, seu commendas, cappellas, aut ecclesias dictae militiae per magnum illius magistrum erigi, seu institui desiderassent de eorum juribus eis ex fundatione, et dotatione competentibus per publica documenta, non autem per alia probationum genera coram Sedis apostolicae nuncio apud Sabaudiae ducem, et magnum dictae militiae magistrum pro tempore existentem commorante, eoque absente, coram pro tempore existente archiepiscopo Taurinensi, quibus deficientibus, coram episcopo viciniore docere, et constare facere libere, ac licite possent, et valerent, reservata tamen praemissorum omnium ad formam memoratae constitutionis Pianae Sedis apostolicae confirmatione intra certum tempus obtinenda, prout in dictis Benedicti praedecessoris literis latius, et uberius continetur.

Preces porrectae a senatore Pulciano pro obtinenda commutatione sui beneficii in commendam.

§. 2. Cum itaque dilectus filius senator Petrus, Paulus, Aloisius Pulciano Casalensis, seu alterius civitatis, vel dioecesis, prout Nobis nuper exponi fecit, beneficium simplex nomine canonicatus nuncupatum sub invocatione sanctorum Josephi, et Antonii Patavini in memorata Casalensi dioecesi erectum quod ex fundatione, et erectione est de jurepatronatus laicorum, ac nullum personale servitium requirit, in praeceptoriam, seu commendam dictae militiae sanctorum Mauritii, et Lazari per carissimum in Christo filium Nostrum Victorium Emmanuelem Sardiniae regem illustrem, ac Sabaudiae ducem, et magnum ejusdem militiae magistrum, adimpletis prius omnibus, et singulis conditionibus in memorata constitutione Benedictina expressis, erigi obtinuerit. Nunc vero ut institutio, vel erectio hujusmodi suum sortiatur effectum, illam per Nos confirmari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictum Petrum, Paulum, Aloisium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, dummodo adamussim per dictum exponentem adimpletae sint omnes, et singulae conditiones in dicta constitutione Benedicti praedecessoris Nostri expressae et appositae, et praecipue si constare fecerit per publica documenta, non autem per alia probationum genera de suo jure ad dictum beneficium simplex ei ex fundatione, et dotatione proveniente, et competente coram quibus de jure, et in praedicta constitutione designatis memoratam simplicis beneficii canonicatus nuncupati sub invocatione sanctorum Josephi, et Antonii Patavini in dicta Casalensi dioecesi erecti, in praeceptoriam, seu commendam militiae sanctorum Mauritii, et Lazari institutionem, et erectionem, ut praefertur, factam auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, eisque ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae militiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaquinta decembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 19 decembris 1815 anno XVI.

DCXLIV.

Confirmatio decreti editi ab auditore sanctissimi pro concessione subsidii favore orphanotrophii erecti in civitate Lauretana a canonico Cristianopulo.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit nomine dilecti filii Petri Antonii Cristianopulo presbyteri canonici cathedralis Lauretanae, et directoris pro tempore cujusdam orphanotrophii in dicta civitate Lauretana ejus opera erecti, quod dudum Nos usque a prima die septembris elapsi anni MDCCCXIV. audita relatione Nostri viceauditoris, acceptoque voto episcopi Lauretani super precibus a praedicto canonico Nobis humiliter porrectis, in subsidium, et subventionem memorati orphanotrophii, de cujus utilitate, et necessitate Nobis indubia testimonia perhibentur, annuam pensionem scutatorum quingentorum sexaginta super fructibus, redditibus, et proventibus patrimonii almae domus Lauretanae assignavimus vigore Nostri rescripti supplici libello praedicto super praemissis appositi, tenoris sequentis.

Beatissimo Padre

Tenor libelli

§. 2. Onorato il sacerdote Pietro Antonio Cristianopulo nel 1800. dalla Santità Vostra della nomina ad un canonicato nella sagrosanta cattedrale basilica di Loreto, corrispondendo egli alle paterne sollecite cure di Vostra Santità espresse nell' enciclica a tutti i vescovi della s. Chiesa cattolica, datata da s. Giorgio di Venezia per l' educazione della gioventù, non seppe meglio impiegare le sue prime premure, ed il debole suo zelo, che nel procurare in Loreto una risorsa appunto alla educazione cristiana, e civile di quella gioventù, che mancava colà d'ogni istituzione utile.

Quindi sin dall' anno 1802. nel giorno della santissima Annunziata fu aperto in Loreto dal canonico Pietro Antonio Cristianopulo suddetto, e dalla vedova Antonia di lui sorella un conservatorio per le povere orfane, ed una pia scuola per le fanciulle tutte della città sotto il titolo di orfanotrofio e pia scuola della santissima Annunziata, e de' santi Gaetano, e Girolamo Emiliani. Sostenne egli questa doppia utilissima istituzione sino all' anno 1808. con quelle elemosine, che incessantemente raccoglieva, specialmente nell' estate dalle molte, e molto ben provvedute case religiose. Ma nel momento disgraziatissimo dell'ingiusta invasione della provincia della Marca, vennero allora a mancargli ad un tratto tali risorse. La divina provvidenza per altro non volle abbandonare quella nascente casa, già canonicamente eretta con decreto della beata memoria di monsignor vescovo Paoli sin dalli 10. gennajo 1803. ed il governo Italico sebbene non molto amico della santissima religione, assegnò non ostante li 28. luglio 1808. all'orfanotrofio, e pia scuola un annuo sussidio di lire tremila, ossiano scudi cinquecento sessanta circa su i beni di s. casa. Autorizzato di già dalla santità Vostra l' attual vescovo di Loreto monsignor Bellini di accettare dall' illegittimo governo qualunque fondo ecclesiastico in favore di detto orfanotrofio, potè il canonico rettore godere dell' indicato sussidio specialmente dopo il benigno oracolo in particolare implorato dalla Santità Vostra, e comunicato al canonico dall' eminentissimo signor cardinale De Pietro, come dall' unita copia 18. novembre 1808.

Sebbene questo soccorso non corrisponda alla spesa per detta comunità di oltre quaranta persone per cui vi abbisognano annui scudi 1300 circa, pure con la questua, che si è incessantemente continuata dalla pietà de' fedeli, come risulta dall'unita autorizzazione di monsignor vescovo, e con quel poco, che hanno potuto somministrare del proprio il canonico, e la sorella hanno essi sostenuto il laborioso impegno: e la detta pia casa non ostante le calamitose vicende di quei paesi, continua a formare un oggetto di conforto a tutta la città, e diocesi di Maria. Mentre ad ogni momento come tutti i popoli della Marca, così il canoni-

co e sorella supplicanti attendono ansiosi di ritornare sotto il felice dominio di Vostra Santità, e della santa Sede apostolica, il canonico medesimo, che adesso si trova in Roma, chiamatovi dall'eminentissimo signor cardinale vicario per le sante missioni, implora con la più profonda umiltà e rispettosa confidenza, che sin da adesso la Santità Vostra degnisi di fissare stabilmente a sì santa istituzione l' indicato annuo soccorso di scudi 560; non solo per il prezioso oggetto cui è destinato, ma ad onore altresì di Maria santissima Annunziata, nel qual memorando giorno Vostra Santità venne prodigiosamente liberata dalla sofferta crudelissima schiavitù. Un tale sussidio non è certo incompatibile alle forze economiche del santuario Lauretano, che molto più assai elargiva in passato in elemosine di grano, vino ec. e di fatti ha potuto fin qui pagarlo senza alcuna alterazione quantunque gravato di scudi dodicimila e duecento circa annui per la così detta dativa reale.

Daltronde senza di questa Sovrana beneficenza della Santità Vostra preveggono li supplicanti impossibile il mantenimento di tal pia famiglia, giacchè per le circostanze di quei poveri paesi già esausti, ed ormai esterminati, così nella publica, che privata economia, nulla potrebbero calcolare sulla risorsa della questua di una volta. Quindi per tutto ciò pieni di fiducia osano sperare benigno esaudimento dalla Santità Vostra, di cui eterna sarà la memoria tra le orfane e nella città, e diocesi tutta, per implorare da Dio vero padre degli orfani, e dalla comune madre Maria Santissima sulla di lei sagra persona la corrispondente generosissima retribuzione così pel tempo come per l'eternità. Che della grazia ec.

Alla santità di Nostro signore papa Pio Settimo felicemente regnante

Per il venerabile conservatorio delle orfane, e pia scuola della santissima Annunziata, e de' santi Gaetano, e Girolamo Emiliani di Loreto.

Die prima septembris 1814

Tenor rescripti.

§. 3. Audita super precibus institutoris, et rectoris orphanotrophij et piae scholae civitatis Laureti relatione Nostri vice auditoris, acceptoque voto episcopi quoad hodiernum statum tum reddituum, tum onerum patrimonii almae domus Lauretanae, atque in animum revocata maxima ejusdem orphanotrophii utilitate Nostri ipsius testimonio, ac judicio agnita, probataque quum nuper ad urbem redeuntes triduo apud aedem illam sacram consteterimus; annuam ex nunc in aevum adsignamus eidem pio loco pensionem scutorum quingentum sexaginta ex dictis redditibus persolvendam, nullaque ex causa retardandam, quousque integra fuerit, servataque dicti orphanotrophij, dictaeque piae scholae institutio, et ita cuicumque almae domus administratori exequi mandamus; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Pius PP. VII.

Confirmatio apostolica.

§. 4. Ut itaque memoratum rescriptum firmius subsistat, dictus exponens illud, et omnia in eo contenta per apostolicas Nostras literas in forma brevis roborari, confirmarique vehementer desiderat, enixisque precibus a Nobis efflagitat. Nos igitur dictum exponentem, ac singulares personas, quas Nostrae praesentes literae respiciunt, quibusque favent specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praedictum rescriptum quoad assignationem, et constitutionem praedictae pensionis annuae scutatorum quingentorum sexaginta monetae Romanae super fructibus, redditibus, et proventibus patrimonii almae domus Lauretanae praedictae favore memorati orphanotrophii praefatae civitatis, et omnia in dicto rescripto contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, et quatenus opus sit, de novo concedimus, et assignamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse conti-

gerit, plenarie sanamus, atque supplemus.

Tenor concessionis. §. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel: rec: Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona decembris millesimo octingentesimo decimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXLV.

Dat. die 9 januarii 1816 anno XVI

Confirmatio resolutionis captae a capitulo ecclesiae cathedralis Anagninae super erectione cappellae ad moderandos sacros concentus in eadem ecclesia.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Ex parte dilectorum filiorum praepositi, et canonicorum ecclesiae cathedralis Anagninae expositum Nobis nuper fuit, quod cum ipsi in capitularibus comitiis die quinta augusti habitis per secreta suffragia unanimiter constituerint concessionem et decurationem tituli magistri cappellae ad moderandos sacros concentus in ejusdem ecclesia favore dilecti filii Francisci Tondi beneficiati cantoris, et organistae ipsius cathedralis, ejusque in beneficio hujusmodi successorum pro tempore in perpetuum existentium, cumque cupiant resolutionem praedictam inter constitutiones capitulares haberi, iidem canonici resolutionem eamdem auctoritate apostolica muniri desiderant, quo etiam firmius subsistat, et servetur exactius.

Tenor apostolicae confirmationis. §. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, vel quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratam capitularem resolutionem praesentibus de verbo ad verbum praeinsertam habentes magistralem titulum praedictum, ac omnia, et singula in ipsa resolutione contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas, firmas, validas, et effica-

ces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis apostolicae nuncios, ac S. Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, ipsius cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona januarii millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto

DCXLVI.

Dat. die 9 januarii 1816 anno XVI.

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, canonicis, et beneficiatis ecclesiae collegiatae sancti Andreae terrae de Vallerano dioecesis Civitatis Castellanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui almae Sionis aemuli divinas laudes in sacris templis quotidie concinunt, peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificas vestes excitati internarum quoque virtutum splendore elucere conentur in aula Domini.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis exponi fecerunt dilecti filii archipresbyter, et canonici insignis (ut asseritur) collegiatae s. Andreae apostoli terrae de Vallerano dioecesis Civitatis Castellanae divinus cultus, populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem collegiatae canonici novis insigniis per Nos et hanc apostolicam Sedem ornentur.

Tenor concessionis §. 3. Nos ipsos exponentes ob eorum in adversis probatam firmitatem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, ac praeposito, et canonicis dictae collegiatae, ut archipresbyter, et praepositus loco mozzetae, quam adhuc cum canonicis deferre consueverunt, mantellettam nigram supra rocchetum, quolibet anni tempore, ad instar abbatis alterius collegiatae Vignanelli, canonici vero rocchetum cum cotta tempore dumtaxat aestivo, ac sine ullo antianitatis reliquarum collegiatarum praejudicio, tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus,

aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, et respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque praepositum, archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non (quatenus opus sit) dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die noua januarij millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

---

dat. die 19 januarii 1816. anno XVI

DCXLVII.

Extinctio nonnullarum cappellaniarum de jurepatronatus capituli ecclesiae cathedralis Cordubensis, et incorporatio bonorum ad praedictas cappellanias spectantium cum massa communi ejusdem capituli.

Venerabili fratri episcopo Cordubensi

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Salutem et apostolicam benedictionem

Expositio precum

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum capituli, decani, et canonicorum istius cathedralis ecclesiae Cordubensis, quod nonnullae ecclesiasticae cappellaniae, seu pia legata in dicta cathedrali erecta, quorum nominatio, ac collatio ad dictum capitulum legitime, prout asseritur, ad praesens spectant, majore bonorum, seu redituum parte, quae tractu temporis deperiit, actu carent, ita ut multi ex cappellanis ob deficientiam congruae, seu praebendae ad residentiam choralem, aliaque respectiva onera ex lege fundationis sustinenda compelli minime possint; ideoque ad Dei cultum in dicta cathedrali ecclesia promovendum, et ad removendos obices illi oppositos, expedire censent ex dictis cappellaniis, legatis, aliisque piis fundationibus in dicta cathedrali existentibus de jurepatronatus et collatione capituli, massam communem efformare, cujus administratio penes capitulum esse debeat, et illorum redditibus sufficientem numerum cantorum, aliasque personas servitio ecclesiae mancipatas de sufficienti congrua providere. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur dictum capitulum, decanos, ac canonicos, et singulares personas quibus Nostrae literae favent specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae quatenus vera sint exposita, et id in Domino expedire censueris, omnia pia legata, et cappellanias, seu pias fundationes quocumque titulo nuncupatas, ne exceptis quidem illis, quae musicali choro, seu musicae dictae ecclesiae assignatae sunt, dummodo illorum seu illarum patronatus, et collatio ad capitulum praedictum jure, ac rite pertineat, nec non si illorum, seu illarum possessores pro tempore, dummodo non sint amovibiles, expresse ad id consentiant, ac servatis de jure servandis, sine praejudicio aliorum patronorum, si qui sint, ac firma remanente obligatione onerum unicuique dictorum beneficiorum ex lege fundationis impositorum, in massam communem redigendi, ita, ut penes praedictum capitulum sit administratio bonorum hujusmodi, ac determinato prius per te numero cantorum, qui horas diurnas, ac nocturnas ad armoniam ca-

nentes choro, aliisque ecclesiae functionibus interesse habeant, et aliorum ministrorum, qui ad divinum cultum necessarii sunt, de redditibus bonorum praedictae massae communis ut supra efficiendae certum ac determinatum stipendium oneribus sustinendis accommodatum unicuique eorum statuatur, facultates necessarias et opportunas auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae cathedralis ecclesiae, et respectivae fundationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ac expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Ceterum per praesentes non intendimus praedictum juspatronatus in aliquo approbare. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona januarii millesimo octingentesimo decimosexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCXLVIII.

Dat. die 20 januarii 1816. anno XVI.

Reintegratio jurisdictionis privativae in causis agendis de rebus, ac juribus militum hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Dilecto filio Andreae de Joanne locumtenenti hospitalis s. Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, nonnullos irrepsisse abusus inter fratres milites istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, qui ejusdem statuta, seu stabilimenta auctoritate apostolica confirmata, quorum observantiam juramento firmarunt, obliterantes, ausi sunt causas inter ipsos fratres, et religionem, ac commune ipsius aerarium obortas ad forum laicum devolvere post contrariam sententiam dilectorum filiorum consilii hospitalis praedicti; etiamsi statutis praedictis sancitum sit, causas hujusmodi post sententiam memorati consilii, a quo examinandae sunt in prima instantia, ad nullum aliud in gradu appellationis tribunal remitti posse, nisi ad hanc s. Sedem.

Statuuntur poenae infligendae adversus milites, qui privativam jurisdictionem fraudare pertentant.

§. 2. Cum res tanti momenti sit, ut pastoralis Nostra sollicitudo praeterire minime possit valida ea remedia, quae penitus extinguant mala praedicta religioni, bono regimini, fratrum ipsorum dignitati perniciosa; hinc est, quod Nos tibi committimus, et mandamus, ut, veris existentibus praenarratis, omnes et singulos istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani fratres ad accuratam statutorum, seu stabilimentorum auctoritate apostolica confirmatorum observantiam, praecipue circa ea, quae in causis cujuscumque generis, vel fratres ipsos, vel religionem, aut commune aerarium respiciunt, ita, ut forum in illis discutiendis tam in prima, quam in gradu appellationis sit semper illud, quod per statuta, seu stabilimenta hospitalis praedicti praescriptum, et a non-

nullis constitutionibus aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum signanter felicis recordationis Benedicti pp. XIV. confirmatum approbatumque fuit, revocare cures, non solum contumaces, et rebelles poenis a statutis, et constitutionibus praedictis comminatis multando, sed ut omnibus, et singulis dicti hospitalis fratribus edicas, ac nomine Nostro declares, quod inobedientes, et contumaces contra fori observantiam, si commendatores sint, commenda ipso facto carebunt, et trium annorum spatio illius fructus in utilitatem communis aerarii hospitalis praedicti erogari debeant, et si commendam non possideant, tribus antianitatis annis orbati remaneant, et per triennium pariter tam primi, quam secundi generis fratres privationi vocis activae, et passivae subiiciantur, et pro hujusmodi effectu tibi, ac futuro magno magistro pro tempore facultates necessarias, et opportunas auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea dilectis filiis bajulivis, commendatariis, aliisque fratribus hospitalis memorati, ut in virtute sanctae obedientiae legibus praedictis pareant, et juxta praemissa exequantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima januarii millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCII.

Dat. die 23 januarii 1816 anno XVI.

Commutatio beneficii ecclesiastici de jurepatronatus familiae Petrignani Civitatis Castelli in pium legatum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Petrignani Evangelisti civitatis, vel dioecesis Civitatis Castelli, quod, cum quaedam ecclesiastica cappellania bon: mem: archipresbytero Josepho Sensi fundata, et sub invocatione sancti Josephi in plebania de Canoscia nuncupata memoratae dioecesis erecta cum onere celebrandi, seu celebrari faciendi centum, et quatuor missas juxta mentem fundatoris ad praesens pertineat ad patronatum laicalem passivum, uti asseritur, ejus familiae, et ad activum seu jus nominandi presbyterorum saecularium congregationis oratorii sancti Philippi Nerii Civitatis Castelli praedictae, dictus exponens, qui transactis miserrimis temporibus multa mala in bonis fortunae pertulit, ut ad praesens suae numerosae familiae necessitatibus consulere valeat praedictam cappellaniam quam in praesentiarum legittime, ut etiam asseritur, possidet ejus filius Antonius de ejusdem consensu, ac presbyterorum saecularium congregationis praedictae, in per-

petuum legatum pium per Nos converti, et commutari vehementer desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis sibi opportune providere, et ut in praesentiarum indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audito super praemissis venerabili fratre episcopo Civitatis Castelli, ut supradicta cappellania, quam actu possidet memoratus Antonius filius Petrignani Evangelisti praedicti dummodo idem possessor pro tempore ad id expresse consentiat, ac juri acquisito coram episcopo praedicto renuntiet, nec non si superior pro tempore nomine congregationis oratorii s. Philippi Nerii praedicti servatis servandis coram ordinario memorato patronatum activum, seu jus nominandi a fundatore concessum libere ac expresse pariter dimiserit cum facultate exigendi quotannis favore congregationis praedictae pro lata cessione libras duas cerae elaboratae titulo canonis, et in agnitionem antiqui juris, deinceps tamquam legatum pium tam ab ipso Patrignano quoad vixerit, quam ab aliis qui vi patronatus cujus jura in primaeva illius fundatione disposita relinqui volumus salva et illaesa ad illum successerint eorum vita durante, haberi, retineri, et administrari, ejusdemque cappellaniae fructus, redditus et proventus exigi, percipi, atque in suos usus, et utilitatem converti libere, et licite possit, et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac eamdem cappellaniam in pium legatum perpetuum convertimus, et commutamus, ea tamen sub lege, ut ab ipso Petrignano praeter generalem ipothecam omnium bonorum ad dictam cappellaniam spectantium semper in suo robore permansuram, expresse designetur fundus liber cum approbatione ordinarii praedicti, cujus annui redditus, judicio peritorum sufficere plenarie possint pro omnium et singulorum onerum satisfactione juxta legem fundationis, de quorum adimplemento quotannis in curia ejusdem ordinarij documenta exhibere teneatur, dictusque fundus sub speciali ipotheca dicti pii legati perpetuis futuris temporibus duratura assignari debeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac eidem Patrignano, ejusque successoribus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel: rec: Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non praedictae cappellaniae fundationis lege, cui ad praemissum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, caeterum per praesentes non intendimus dictum jus-patronatus in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia januarii millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimosexto.

Dat. die 30 januarii 1816 anno XVI.

DCL.

Ampliatio privilegiorum concessorum congregationi Centum Presbyterorum, et viginti clericorum in ecclesia sanctorum Michaelis Archangeli, et Magni in burgo Sancti Spiritus de urbe

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Cum alias felicis recordationis Urbanus pp. VIII. praedecessor Noster in simili forma brevis die decima sexta januarii MDCXXXII. expeditas literas confraternitati, seu congregationi Centum Presbyterorum, et viginti clericorum sub titulo Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae in ecclesia sanctorum Michaelis Archangeli, et Magni sita in burgo s. Spiritus in Sassia de urbe, canonice erectae, seu institutae, deinde vero ad ecclesiam s. Francisci collegii ecclesiastici, et valetudinarii nuncupati presbyterorum urbis canonice pariter translatae, ejusque confratribus nonnullas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes sub certis modo, et forma tunc expressis perpetuo concesserit, et alias prout in eisdem literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus fusius continetur. Quoniam vero sicut pro parte dilectorum filiorum marchionis Philippi Filonardi praepositi, et officialium dictae confraternitatis, seu congregationis Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi confraternitatem, seu congregationem hujusmodi archiconfraternitatis titulo per Nos decorari plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, confraternitatem, seu congregationem praedictam in archiconfraternitatem cum omnibus, et singulis praerogativis, juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis, et consuetis auctoritate apostolica tenore praesentium sine cujusque praejudicio perpetuo erigimus, et instituimus; ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae praeposito, et officialibus praesentibus, et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates, seu congregationes ejusdem instituti extra almam urbem Nostram ubique locorum existentes eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris itidem Nostri desuper editae, aggregare; et illius omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi confraternitati, seu congregationi sic per Nos in archiconfraternitatem erectae per memoratum Urbanum VIII, aliosque Romanos pontifices praedecessores Nostros, ac etiam per Nos concessas, communicare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate et tenore praedictis similiter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae confraternitatis, seu congregationis in archiconfraternitatem erectae etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam dero-

gatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima januarii millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 8 februarii 1816. anno XVI.

DCLI.

Perantiquum oppidum Trejense, jam a felicis recordationis Pio pp VI. ad titulum civitatis restitutum, praevia illius ex nonnullarum villarum ejus territorium constituentium ab archidioecesi Camerinensi perpetua dismembratione, civitatis episcopalis honore decoratur, ibique episcopatus ejusdem nominis in insigni nempe collegiata ecclesia Annunciationis beatae Mariae Virginis dictae civitatis itidem perpetuo erigitur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Procemium.

§. 1. Pervetustam locorum originem, ac pervulgatam de eximia eorum celebritate formam justas ut plurimum fuisse causas, quae Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum operosam excitarunt sollicitudinem, ut ipsi istiusmodi loca aliquando mere honorifico civitatum titulo, quandoque vero (praevia illorum, a quibus prius suberant praesulibus perpetua segregatione) episcopalium quoque sedum honore, ac dignitate apostolica dignarentur auctoritate condecorare, compertum satis, et pluribus eorumdem praedecessorum testatum habemus literis. Hoc sane Nos quoque more utentes, et instituto, nec minori, qua ipsi tunc erant, sollicitudine affecti, ad nonnulla dictionis Nostrae oppida, quae hoc ipso civitatum titulo a Sede apostolica insignita fore noscuntur, Nostrae considerationis aciem convertentes, operae praetium ducimus, et meliori quidem jure, novas illic pastorum locare sedes, et tabernacula plantare, ut oppida ipsa exoptatum illud, quod eis deerat, decoris, et insignitatis complementum, cum spirituali populorum utilitate, et Nostra, Sedisque praedictae benignitate, plenarie consequantur.

Memorantur privilegia a Pio VI. concessa.

§. 2. Alias siquidem felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster Trejae oppidum, in archidioecesi Cameriuensi ad praesens consistens, et ordinariae pro tempore existentis archiepiscopi Camerinensis jurisdictioni subjectum, quod olim vetus Romanorum municipium, indeque civitas episcopali cathedra insignita etiam fuisse dicitur, quodque, post eversam barbarorum feritate antiquam hanc civitatem, in amoeni ac perjucundi proximi collis supercilio mille circiter passuum ab ea distantis, quo Trejenses profugi cives sese receperant, spectatur excitatum, locatis inibi eorum sedibus, inditoque illi forsan in ipsius novae constructionis primordio, ad novissima haec usque tempora retento, Montechii nomine, et de cujus redintegratione in civitatem tunc existentes communitas et homines praedicti oppidi, ad recuperandum obliteratum per tot saecula vetus nomen, et labefactata injuria temporum primaeva eorum jura, et privilegia, jamdiu consilium coeperant, admotis hac super re eidem Pio praedecessori cum humilitate precibus, per suas literas apostolicas, sub datum videlicet sexto nonas julii, pontificatus sui anno sextodecimo expeditas, praevia posterioris illius, catenus habitae, Montechii denominationis perpetua abolitione, Trejam ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus ad omnes juris, et facti effectus perpetuo itidem denominari, et inscribi voluit, atque decrevit: ipsumque oppidum sic denominandum ad primaevum civitatis gradum, et honorem, cum omnibus,

et singulis privilegiis, indultis, praeeminentiis, gratiis, immunitatibusque suis apostolica auctoritate restituit, atque redintegravit: et (quatenus opus esset) illud in civitatem de novo dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque erexit, et instituit: eique civitatis titulum, et denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, et decorationibus, quae caeteris omnibus status Nostri ecclesiastici civitatibus competere dignoscuntur, perpetuo etiam tribuit, atque concessit; civium nomine itidem, et titulo decoratis illius incolis, et magistratui consuetis honoribus, et insigniis, quibus aliarum ejusdem ecclesiastici status civitatum magistratus de jure, usu, ac consuetudine gaudere possunt, aeque gaudendi facta potestate, ac alias, prout in praedictis literis latius continetur.

Laudes civitatis.

§. 3. Neque id sane, nisi provido, sapientique dicti Pii praedecessoris judicio, praemissaque rerum omnium discussione, factum: oppidum enim istud, praeter memoratam pervetustam ejus originem, quam antiquae civitatis Trejae etiamnum superextantia rudera, ac templorum, et thermarum vestigia, inscriptiones, statuae, numismata aurea, argentea, et aenea cujusque moduli, gemmae, sarcophagi, anaglypha, tessellata pavimenta, caeteraque e terrae sinu jam effossa pretiosa antiquitatis monumenta satis, superque testantur, ac pervulgatam itidem famam, plures ex illo ortum duxisse viros, tum literis, armisque, tum pietate, et religione, ac etiam sanctitate (qua inter alios beatus potissimum Petrus Trejensis nuncupatus mirum in modum emicuit) et variis per eos exactis praecipuis ecclesiae muneribus de patria, deque christiana republica praeclare admodum meritos perhonorifice commemorantem, quae quidem omnia de promeriti hujusce honoris gratia commendabilem vel maxime rationem videntur perhibere, frequenti etiam populi numero, in quo plures generis nobilitate, aliisque fortunae bonis pollentes habentur familiae, refertum existit, cum octo circiter animarum millia complectatur. Amoenus itidem, et jucundus illius ager est, et soli favente ubertate, et sedula industrium colonorum cura omni frugum genere abundans, cuique per plura millia passuum fines suos protendenti, plures etiam populosae non ita multo ab se distantes villae venustatis speciem adjiciunt, et pulchritudinem. In eo aedes quamplurimae sunt, et pergrandia edificia elegantis formae, et praesertim palatium, ubi magistratus pro generalibus habendis comitiis residet, quatuor spectatae probitatis viris ex nobilium ejusdem oppidi familiarum praefatarum coetu desumptis compositus, distinctisque vestibus, et peculiaribus insigniis a Nobis nuperrime decoratus; cui olim potestas facta etiam fuit jura dicendi in causis de damno-dato, ac privativae inspectioni abundantiae rerum ad humanum victum spectantium praesidenti; ac tres videlicet urbanae (praeter alias quatuor rurales extra illud consistentes) enumerantur ecclesiae, quarum respective animarum dilectorum filiorum parochianorum cura ab earum respective rectoribus laudabiliter exercetur; ac quatuor itidem regulares domus, et alia presbyterorum oratorii sancti Philippi Nerii, duo monialium monasteria, septem laicorum sodalitia ad quamplurima pietatis, charitatis, et misericordiae opera exercenda laudabiliter incumbentia, canonice respective instituta. Viget ulterius in illo eadem ipsa, quae in provincia est cultus humanitas, summa pietas, atque religio, et peculiaris omnium incolarum, praesertim ecclesiasticorum erga Sedem apostolicam praedictam devotio, suorum majorum institutis accepta, et peculiari studio ad haec usque tempora ab eis fideliter servata.

Descriptio universitatum artium, et opificiorum.

§. 4. Ad haec insuper omnia illud honoris quoque, ac decoris accedit, quod variae in eo artium universitates, et opificia, nonnullae publicae literarum scholae pro adolescentibus, cum ad bonas artes, tum in primis ad omnem virtutem et religionem optime informandis, duo medicinae professores, totidem chirurgiae, praetor urbanus, georgica itidem societas, cui alienos ultra montes etiam degentes constat dedisse nomen, necnon peregrinorum, infirmorum, et expositorum xenodochia, mons Pietatis, aliique plures frumentarii, binaque aedificia ad coercendam alterum maleferiatorum hominum li-

centiam, alterum vero in pauperum lavamen a Pio praedecessore praedicto provide excitata ditissimeque dotata, duae peditum, et altera equitum centuriae reperiantur.

Descriptio ecclesiarum

§. 5. Jam vero inter memoratas, et forsan alias in dicto oppido consistentes ecclesias (quas inter silentio praetereunda non est praefata sanctissimi Crucifixi, cujus amplissimum adhuc extat vetus templum, quod olim cathedrale virgini in coelum assumptae dicatum fuisse fama est, nunc vero eidem sanctissimo Crucifixo sacrum factum, miraculisque etiam famosum, ubi ad quintodecimum usque saeculum unicus baptismalis fons extitisse dicitur, ad novam intra moenia inde extructam ecclesiam canonice translatus) princeps adest collegiata ecclesia, nunc virgini ab angelo salutatae sacra ante duodecimum vulgaris aerae saeculum, ut fertur, fundata, quae etiam parochialis esse dignoscitur, et in cujus privilegiis, dioecesanam in ea synodum de anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto habitam fuisse, commemoratur, noviter a fundamentis excitata, ac in pergrandem, splendidamque formam eleganti, concinnaque partium omnium compositione redacta, cui sumptuosa campanaria turris cum quatuor campanis impendet, ac canonicales adhaerent aedes, et episcopale palatium in quo Camerinenses praesules non raro commorari consueverunt.

De praestantia ecclesiae collegiatae.

§. 6. In ipsa autem collegiata ecclesia, quae sacris supellectilibus, aliisque ad divinum cultum necessariis rebus satis, superque instructa dignoscitur, et in qua sancti Justini corpus, et sancti Juliani respective martyrum caput, aliorumque plurium sanctorum pretiosae servantur exuviae, non minori nunc laude florescit praesens illius capitulum, ex cujus gremio anteactis temporibus plures doctrina insignes prodiisse viros, qui non christianae modo, sed civili etiam reipublicae maximo et ornamento, et usui fuere, communi acceptum fama est. Illud enim uno archipresbytero unum archipresbyteratum principalem, et unicam inibi dignitatem existentem, cuique dilectorum etiam filiorum parochianorum dictae collegiatae, quae etiam parochialis, ut praefertur, existit, ecclesiae cura imminet animarum, ac tresdecim canonicis, quorum septem de antiquori massa vocantur, reliqui vero recentioris fundationis existunt, tot canonicatus, totidemque praebendas, quas inter altera poenitentiaria, theologalis altera adnumerantur, respective obtinentibus, ac mozzetae violacei coloris, et roccheti usu ex indulto apostolico gaudentibus componitur; qui una cum nonnullis beneficiatis, et clericis vel ratione suorum beneficiorum, quae inibi ut infra obtinent, vel quocumque alio titulo diversis ecclesiasticis officiis, et ministeriis eidem collegiatae addictis, ad debitas Altissimo persolvendas laudes, et quaecumque alia collegialia, et parochialia obeunda munera, et officia, cum spirituali fructu, et permagna populi aedificatione alacriter incumbunt. Ita quod tam praedictum oppidum, Trejensis civitatis titulo jam a dicto Pio praedecessore, ut praefertur, donatum ad verae civitatis episcopalis gradum et honorem, quam ipsa collegiata ecclesia ad cathedralis ecclesiae statum, et dignitatem evehantur respective digna, et accommoda reputentur.

Dismembratio civitatis a sua dioecesi.

§. 7. Hinc Nos inspectis tam insignibus illius, dictaeque collegiatae ecclesiae praerogativis, caeteris aliis praetermissis honoribus, privilegiis, et decorationibus plurium Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum liberalitate, et praecipue recolendae memoriae Innocentii IV., Alexandri etiam IV., ac Clementis itidem IV. et Nicolai quoque IV., Gregorii XI., ac Bonifacii IX., et Innocentii VII., ac Eugenii etiam IV., et Nicolai V., ac Calixti III., ex Sixti similiter IV., nec non Julii II., et Leonis X., ac Pauli etiam V., et Clementis pariter X. eis omni tempore collatis, quae utrique eorum summae etiam laudi optimo duci possunt jure, et respective ex relatione venerabilis fratris Nostri moderni episcopi Athenarum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium rebus consistorialibus praepositae a secretis desuper Nobis facta novi hujus episcopatus erectionis pro meliori populi spirituali gubernio utilitate recognita, quam Sixtum pp. V. praedecessorem quoque No-

strum jam tum suspicere in animo habuisse, ad Nos delata monumenta testantur; votis, ac supplicationibus dilectorum etiam filiorum communitatis, et hominum, clerique praefati oppidi civitatis, ut praefertur, nuncupati obsecundare cupientes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictum oppidum civitatis titulo, ut praefertur, donatum, una cum praefatis villis territorium constituentibus, et in eis respective consistentibus parochialibus, aliisque ecclesiis, monasteriis (non tamen exemptis), locisque piis, et beneficiis ecclesiasticis quibuslibet cum cura, et sine cura, saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus, et in eis pariter respective existentibus respective utriusque sexus personis, habitatoribus, et incolis tam laicis, quam clericis, presbyteris, beneficiatis, et religiosis quibuscumque ab archidioecesi Camerinensi, cujus archiepiscopalis sedes, ut accepimus, adhuc vacare dignoscitur, et in qua ad praesens comprehenditur, apostolica auctoritate praefata perpetuo dismembramus, ac respective disjungimus, et separamus.

Erectio novi episcopatus. §. 8. Dictumque oppidum, civitatem, ut praefertur, mere nuncupatum, in civitatem vere, et realiter episcopalem, Trejensem ut antea nuncupandam, cum suis seminario, curia episcopali, ac omnibus juribus, honoribus, et praerogativis, quibus caeterae civitates pontificali sede insignitae, earumque cives utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum; dictam vero collegiatam, et parochialem ecclesiam sub titulo Annunciationis ejusdem beatae Mariae virginis (praevia in ea collegialitatis tantum perpetua suppressione, et extinctione) in cathedralem ecclesiam Trejensem etiam nuncupandam, sub praedicto Annunciationis beatae Mariae virginis titulo, seu pari invocatione, ac etiam parochialem, ut antea, extituram; atque in ea sedem, cathedram, et dignitatem episcopalem ab uno eodemque pro tempore existente archiepiscopo Camerinensi, qui simul et episcopalis ecclesiae Trejensis perpetuus administrator existat, gubernandam: ita, ut, dum utramque ecclesiam pro tempore vacare contigerit, de metropolitana Camerinensi videlicet in titulum, de altera vero Trejensi, ut infra erigenda, respective ecclesiis hujusmodi in administrationem, unico contextu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes provideri debeat; quique eidem ecclesiae, civitati, et territorio Trejensi, illiusque clero, et populo praesit; abbates, si qui sint, aliasque saeculares, et regulares personas ad synodum convocet; ac omnia et singula jura, officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis infrascripto capitulo, arca, sigillo, mensa episcopali ut infra constituenda, caeterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, jurisdictionibus, et praerogativis, quibus caeterae cathedrales ecclesiae status ecclesiastici praedicti, earumque praesules, et administratores quomodolibet (non tamen titulo oneroso, aut ex indulto seu privilegio particulari) gaudent, et gaudere possunt quomodolibet in futurum; ita tamen, ut ipse futurus pro tempore existens archiepiscopus Camerinensis, simulque Trejensis ecclesiae administrator, qui hoc copulativo nomine in omnibus suis actibus appellabitur, singulis annis in dicta civitate Trejensi per aliquam anni partem ad sui libitum personaliter residere, ibique pontificalia, aliaque pastoralia munia, et officia exercere teneatur ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, Deiparaeque virginis Mariae honorem, et catholicae fidei exaltationem, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus apostolica auctoritate praefata perpetuo quoque erigimus, et instituimus.

Erectio cathedralis. §. 9. Capitulum vero collegiatae ecclesiae praedictae (in qua collegialitas tantum suppressa, et extincta remanebit, ut praefertur) in capitulum sic erectae cathedralis Trejensis; ac respective archipresbyteratum dignitatem inibi hactenus principalem, unicam, et curatam, in majorem, et unicam pariter post pontificalem hujusmodi deinceps dignitatem extituram, cui animarum cura, quae per vicarium perpetuum inibi institutum exerceri solet, principaliter, ut antea, immineat; ac eosdem tresdecim canonicatus, totidemque praebendas, inter quas poeni-

tentiaria, et theologalis jam superius memoratae recensentur, nec non quatuor mansionariatus in ea pariter institutos, illiusque, et illorum actu nunc, et pro tempore existentes possessores in archipresbyterum, et totidem canonicos, et mansionarios ipsius noviter sic erectae cathedralis ecclesiae Trejensis eadem apostolica auctoritate perpetuo itidem substituimus, et subrogamus, salvis tamen, ac firmis remanentibus in ea tam quoad illius, et illorum collationem reservationibus et affectionibus apostolicis, tum etiam favore illius capituli sic subrogati privilegiis, indultis, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, indulgentiis, aliisque gratiis quibuscumque tam spiritualibus, quam temporalibus, et mixtis eidem capitulo apostolica, vel alia quavis (legitima tamen) auctoritate concessis, ac etiam de jure, vel consuetudine, aut alias competentibus, dummodo tamen sint in usu, nec revocata existant, in omnibus, et per omnia, perinde ac si status collegialitatis in ipsa sic erecta cathedrali ecclesia minime immutatus fuisset.

Concessio novarum vestium magis insignium pro dignitatibus, et canonicis.

§. 10. Et nihilominus Nos attendentes, complemento decoris dictae cathedralis ecclesiae sic erectae maxime profuturum, si praedictum capitulum splendidioribus insigniis ad instar aliorum capitulorum cathedralium ecclesiarum illarum partium quoque eniteret; hinc tam dilectis filiis modernis, quam futuris, et pro tempore existentibus archipresbytero, et canonicis, ac mansionariis dictae cathedralis ecclesiae sic, ut praefertur, erectae, ut archipresbyter, et canonici videlicet praeter mozzetam, et rocchetum praefatos, quibus hactenus gravisi sunt, cappam magnam sericam violacei coloris armellinis pellibus subsutam hyemali tempore; mansionarii vero praefati similem cappam magnam, cum pellibus tamen cineracei coloris tantum itidem subsutam tam in dicta cathedrali ecclesia, ut praefertur, erecta, quam extra eam, ac tam in processionibus, quam aliis actibus, et functionibus quibuscumque publicis, et privatis, etiam extra civitatem Trejensem praedictam, ac ubique locorum, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, ac etiam in praesentia praefatorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium etiam de latere legatorum, archiepiscoporum, episcoporum, et aliorum quorumcumque quibusvis anni temporibus, ac diebus respective deferre, et gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Privilegia capitulo, et canonicis concessa.

§. 11. Ac praeterea eisdem capitulo, et canonicis ipsius cathedralis ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi capitulariter congregati (quatenus tamen immutatio status collegialitatis id requirat) pro novo ejusdem sic erectae cathedralis ecclesiae, illiusque chori, earumque rerum, et jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, guberoio, et directione, nec non onerum eis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, et divisione, ac poenarum per absentes, ac divinis officiis suis loco et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, ac singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in dicta sic erecta cathedrali ecclesia, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus hujusmodi servandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa praemissa quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini minime adadversantia, ac per futurum pro tempore archiepiscopum Camerinensem, seu donec, et quousque praedicta metropolitana ecclesia Camerinensis proprii pastoris, et respective perpetui Trejensis itidem ecclesiae administratoris solatio destituta, ut praefertur, remanserit, per infrascriptum episcopum exequutorem, per Nos ut infra deputandum prius examinanda, et approbanda edere, atque

edita declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, et reformare, seu alia de novo ex integro, eisdem tamen sacris canonibus, praefatisque constitutionibus, et decretis concilii Tridentini praedicti non contraria, et, ut praefertur, per futurum archiepiscopum, et respective administratorem praefatum, seu eumdem infrascriptum episcopum exequutorem similiter examinanda, et approbanda, ac per eos, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, et pertinebit observanda sub poenis in contrafacientes statuendis, quoque edere libere, et licite possint, et valeant, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus, et impertimur: decernentes tamen quoad vicarii capitularis electionem, sedis archiepiscopalis Camerinensis, et episcopalis Trejensis vacatione quovis modo pro tempore occurrente, faciendam, ut jus eligendi vicarium capitularem soli capitulo dictae metropolitanae ecclesiae Camerinensis, quod etiam in Trejensem ecclesiam officium hujusmodi intuitu illius perpetuae administrationis archiepiscopo concreditae libere valeat exercere, perpetuo quoque spectare et pertinere debeat.

Praefinitur territorium novae erectae dioecesis.

§. 12. Ac insuper, ut dioecesis eidem episcopali ecclesiae Trejensi, noviter, ut praefertur, erectae, illiusque futuro praesuli perpetuo administratori praedicto constitui possit, praefatum oppidum, una cum praedictis villis illius territorium in praesens, ut praefertur, constituentibus, et in eis respective consistentes parochiales, aliasque ecclesias, monasteria (non tamen exempta), locaque, pia, et alia quaelibet beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura saecularia, et quorumvis ordinum regularia, et eorum pariter respective utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos presbyteros, beneficiatos et religiosos quoscumque cujusvis status, gradus, ordinis, et conditionis, ut praefertur, existant, novae ecclesiae episcopali Trejensi praedictae, illiusque administratori pro tempore existenti praefato pro suis civitate, territorio, et dioecesi, ac clero, et populo motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus perpetuo quoque concedimus, et assignamus, ac ordinariae jurisdictioni, potestati, et superioritati pro tempore existentis archiepiscopi Camerinensis, uti administratoris praefatae ecclesiae Trejensis (quo quidem titulo ac nomine persona dictae metropolitanae ecclesiae Camerinensis, ad praesens, ut praefertur, pastoris solatio destitutae in archiepiscopum praeficienda, Trejensis quoque ecclesiae, a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, ut praefertur, vacantis statim administrator facta per se, vel alium, seu alios veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in ipsa, per Nos, ut praefertur, erecta, civitate Trejensi, ac in omnibus aliis superius memoratis villis propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere debeat), cujusvis licentia desuper minime requisita, pari apostolica auctoritate perpetuo itidem subponimus, atque subjicimus.

Dotatio mensae.

§. 13. Jam vero ut episcopali mensae novae cathedralis ecclesiae Trejensis decenter, firmiterque provideatur, Nos plene instructi, quod dilecti etiam filii communitas, et homines praefatae civitatis Trejensis, ad quos illius dotationem in tot bonis stabilibus ab omni onere liberis, et exemptis, annuum redditum quingentorum scutorum monetae Romanae efformantibus, constituendi onus, et obligatio incumbebat, ad praesens ob adversas retroactorum temporum vicissitudines bonis hujusmodi prorsus destituti existunt, ac propterea cum Nobis relatum, expositumque fuerit, in ipsa civitate Trejensi parochialem esse ecclesiam praeposituram nuncupatam sancti Michaelis Archangeli, quae liberae collationis esse dignoscitur, et quam dilectus quoque filius Franciscus Gasparri presbyter, ut accepimus, ad praesens obtinet, ac cujus annui redditus certi, ex tot scilicet bonis stabilibus ad ipsam parochialem ecclesiam legitime spectantibus, valoris, in proprietate sexmillium sexcentorum sexaginta unius scutorum monetae Romanae, et obulorum octoginta quatuor cum dimidio alterius obuli paris juxta peritorum aestimationem provenientes

ad summam quingentorum quadraginta octo scutorum monetae praefatae, et obulorum octoginta octo monetae praefatae annuatim ascendunt, qui infrascriptis oneribus, videlicet solvendi singulis annis duo scuta monetae praefatae, et obulos quadraginta quinque monetae paris pro fructibus cujusdam exigui census in sorte quadraginta novem scutorum monetae praedictae, super illis alias canonice impositi, ac alia quinque scuta monetae praefatae pro fructibus alterius census in sorte centum scutorum ejusdem monetae, quoties constiterit de ejus vera, reali, et canonica impositione super bonis ad dictam parochialem ecclesiam spectantibus, respective, ut similiter accepimus, gravati existunt, et super quibus pensio annua antiqua viginti scutorum monetae hujusmodi venerabili fratri Nostro Carolo Andreae Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Pelagallo nuncupato, et ex concessione, ac dispensatione apostolicis moderno episcopo Auximano, illam annuatim percipienti, dicta apostolica auctoritate, ut quoque accepimus, reservata reperitur. Hinc Nos ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum scilicet parochialem ecclesiam sancti Michaelis praedictam per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, seu religionis ingressum, et professionis in ea emissionem dicti Francisci, aut alias quovis modo, etiam apud Sedem apostolicam praefatam, etiam ex quocumque decreto vacationis, seu cessionis juris in provisionibus de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis eidem Francisco dicta apostolica auctoritate faciendis apponendo, seu tunc apposito, vel alias etiamsi ipsa parochialis ecclesia ex praefati Francisci, illam nunc, ut praefertur, obtinentis persona dispositioni apostolicae ad praesens specialiter reservata; vel affecta existat, aut aliqua alia reservatio, vel affectio hactenus inducta, vel inposterum inducenda sit, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, Sedique praefatae per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, aut alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus etiam per constitutiones, et regulas easdem, seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et inposterum concedenda competentibus vacare contigerit, omnia, et singula bona praedicta quovis nomine nuncupata, et ad eamdem parochialem ecclesiam sancti Michaelis, ut praefertur, legitime spectantia, et pertinentia, quorum respective nomina, situationes, confinia, qualitates, et quantitates praesentibus haberi volumus pro expressis (excepto tamen infrascripto annuo canone), ab ipsa parochiali ecclesia sancti Michaelis dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus.

§. 14. Illaque sic dismembrata, divisa, et separata eidem episcopali mensae Trejensi, in superius expressum tamen vacationis eventum, pro illius dotatione, ac pro tempore existentis archiepiscopi Camerinensis decenti congrua, qua utrumque munus commodius, atque facilius exequi, suamque melius dignitatem tueri valeat, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, et appropriamus: volentes insuper, et expresse praecipientes, sumptibus communitatis et hominum praefatorum in dicta civitate Trejensi palatium episcopale, nec non seminarium puerorum ecclesiasticum ad tramites decretorum concilii Tridentini elevari, ac construi, ac intra triennium ex nunc proximum utriusque aedificii opus omnino absolvi; proviso interim de ipsius seminarii congrua dotatione pro alumnorum inibi excipiendorum educatione, et alimonia: dictumque palatium, perfecto illius constructionis opere, eidem pro tempore existenti archiepiscopo Camerinensi, uti administratori episcopalis ecclesiae Trejensis praedictae pro sui commoda habitatione dicta apostolica auctoritate perpetuo itidem concedimus, et assignamus. Praeceptum de erigendo palatio episcopali.

§. 15. Interim vero donec hujusmodi bonorum stabilium ultimo dictae parochialis ecclesiae applicatio per ipsius Francisci moderni illius rectoris obitum, aut alias quovis modo ex illius persona sortita non fuerit effectum, ne idem futurus Trejensis administrator sua, ut supra, Temporanea provisio pro administratore Trejensi.

statuta congrua destitutus remaneat, attendentes quoque Nos in dicta civitate Trejensi (sicut fideliter etiam Nobis fuit expositum) nonnulla reperiri missarum legata piis correctionis, et rei-operariae respective domibus ejusdem civitatis alias a quibusdam benefactoribus pro mille septingentarum nonaginta trium missarum celebratione, per deputatos, sive administratores domorum hujusmodi satisfacienda relicta annui redditus ducentorum quindecim scutorum praefatae monetae; hinc, praevia dictorum piorum legatorum perpetua suppressione, ac infrascripta dictarum missarum reductione, et respectiva dilectorum quoque filiorum modernorum, et pro tempore existentium deputatorum, sive administratorum domorum hujusmodi absolutione, exemptione, et liberatione a praedictae satisfactionis onere, dictam summam praefatorum ducentorum quindecim scutorum monetae praefatae, ex eisdem legatis piis sic suppressis, et extinctis provenientem supradictae mensae episcopali Trejensi dicta apostolica auctoritate perpetuo concedimus, et attribuimus: decernentes propterea modernos, et pro tempore existentes deputatos, seu administratores praedictos ad integram solutionem dictorum ducentorum quindecim scutorum monetae praefatae eidem mensae episcopali Trejensi singulis annis durante praefati Francisci ultimodictae parochialis ecclesiae rectoris vita, seu quoad ipse illam obtinuerit exacte, ac fideliter faciendam teneri, et ad id etiam per viam juris compelli posse: communitatem vero, et homines praefatae civitatis annuae solutioni trecentorum scutorum monetae praedictae, jam ab ipsis pro hujusmodi cathedralis ecclesiae erectionis effectu antea designatae, favore ejusdem mensae episcopalis Trejensis tribuendae, donec idem Franciscus rector vixerit, dictamque parochialem ecclesiam obtinuerit, itidem adstrictos, atque obnoxios existere. Nihil autem prorsus innovari volumus a communitate, et hominibus praefatis quoad congrua honoraria, et decentes habitationes, quae alias in erectione civitatis Trejensis a Pio praedecessore praedicto in superius relatis literis pro vicario, et notario foraneo inibi existentibus fuere tunc constituta, atque disposita; ita ut eadem pontificis mandata pro vicario generali, ac notario, sive cancellario novi episcopatus Trejensis adimpleri, et observari omnino debeant.

§. 16. Declarantes insuper in supradicta piorum legatorum suppressione minime comprehendi, sed omnino excipi debere quaedam alia pia legata pro annua itidem celebratione aliorum trecentarum sexaginta sex missarum in praedicta correctionis domo pro inibi detentorum commodo relicta, quae firma remaneant; et per eosdem deputatos, seu administratores annuatim etiam debeant satisfieri. *Reservatio specialis.*

§. 17 Quo vero ad praefatas mille septingentas nonaginta tres missas ad priora pia, ut praefertur, suppressa legata spectantes, illas ad numerum duodecim anniversariorum in ipsa cathedrali ecclesia Trejensi singulis annis celebrandorum dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo redigimus, et moderamur; et respective onus celebrationis hujusmodi singulis mensibus in animarum testatorum suffragium collegialiter adimplendum capitulo, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae pro tempore existentibus praedictis eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque injungimus, atque imponimus. *Reductio legatorum piorum.*

§. 18. Ac demum, quod sequuta per dicti Francisci, ut praefertur, moderni dictae parochialis ecclesiae rectoris obitum, aut alias quovis modo ex illius persona, ut praefertur, ejusdem parochialis ecclesiae vacatione, et per vacationem hujusmodi illius bonorum stabilium, ut praefertur, ab ipsa dismembratorum applicationi favore praefatae mensae episcopalis Trejensis loco facto, temporanea memoratae summae ducentorum quindecim scutorum praedictae monetae ex eisdem prioribus legatis, ut praefertur, suppressis provenientis applicatio mensae episcopali Trejensi praedictae superius facta, dissoluta, et ad eamdem parochialem ecclesiam s. Michaelis translata, illique pro nova supplenda donatione illiusque futuri pro tempore existentis rectoris congrua substentatione per viam subrogationis simili apostolica auctoritate perpetuo itidem unita, et appropriata remaneat eo ipso; *Dotatio ecclesiae parochialis.*

ita tamen ut fructus, redditus, et proventus certi dictae parochialis ecclesiae s. Michaelis, comprehenso certo annuo canone septuaginta scutorum praefatae monetae super quibusdam aliis terrenis, et fundis ad ipsam parochialem ecclesiam spectantibus in emphyteusim perpetuam apostolica auctoritate praefata concessis annuatim dictae parochialis ecclesiae rectori debito, ad ducenta quinque scuta ejusdem monetae, praeter incerta ex stolae axercitio provenientia, ac redditus nonnullorum hortorum eidem parochiali ecclesiae adnexorum, quos etiam faciet suos, annuatim ascendant, dicta apostolica auctoritate statuimus, et ordinamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 19. Ac easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter, et inviolabiliter observari debere; ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quolibet alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, ac tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse: neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae praefatae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et Romanorum pontificum successorum Nostrorum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas, et inposterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse, et fore; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem sanctae Romanae ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus quoque decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 20. Non obstantibus dictorum piorum legatorum, et quibusvis aliis fundationibus, ultimisque testatorum voluntatibus praemissis forsan repugnantibus, ac Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jurequaesito non tollendo, et Lateranensis concilii novissime celebrati, dismembrationes, et uniones perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, necnon quoad infrascriptam exequutoris deputationem felicis recordationis Bonifacii papae VIII. etiam praedecessoris Nostri, qua cavetur expresse, ne quis ultra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis inibi expressis, et exceptis casibus, et in illis non ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad judicium evocetur., seu ne judices a Sede apostolica praefata deputati extra civitatem, vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu praesumant, et in concilio generali edita de duabus diaetis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque metropolitanae ecclesiae Camerinensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, necnon opportune, et valide, hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio exequutoris apostolici.

§. 21. Nos enim desiderantes, ut praemissa omnia sic, ut praefertur, disposita ad suum feliciter perducantur effectum, et ea, quae nonnunquam in similibus suscitari solent quaestiones, controversiae, ac obstacula dirimantur, venerabilem etiam fratrem Nostrum modernum Maceratensis, et Tolentinae invicem perpetuo canonice unitarum ecclesiarum episcopum in exequutorem pro exequutione tantum earumdem praesentium dicta apostolica auctoritate constituimus, et deputamus.

Facultas exequutori data subdelegandi alium.

§. 22. Eidemque episcopo facultatem, ut ipse quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam pro hujusmodi exequutionis effectu subdelegare, ac super quacumque oppositione, in illius actu quomodolibet oritura, servatis tamen de jure servandis, definitive pronunciare libere, et licite valeat, eadem apostolica auctoritate concedimus, et impertimur.

Praeceptum de inscribendis fructibus mensae in libris camerae apostolicae.

§. 23. Volumus autem, quod ecclesia cathedralis Trejensis per Nos, ut praefertur, erecta praedicta juxta illius redditus de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat: quodque earumdem praesentium transumptis, et exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus literis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat has paginas Nostrarum dismembrationis, disjunctionis, separationis, erectionis, institutionis, substitutionis, subrogationis, concessionis, indulti, facultatis, concessionis, impartitionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, posterioris dismembrationis, divisionis, separationis, applicationis, appropriationis, voluntatis, praecepti, posterioris itidem concessionis, assignationis, suppressionis, absolutionis, exemptionis, liberationis, attributio-

nis, posterioris voluntatis declarationis, reductionis, moderationis, injunctionis, impositionis, statuti, ordinationis, decreti, posterioris facultatis impartitionis, derogationis, constitutionis, deputationis, concessionis impartitionis, et voluntatis infringere, vel eis ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto decimo, sexto idus februarii, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

DCLII.

Dat. die 9 februarii 1816. anno XVI.

Ampliatio facultatis gestandi funiculum cum flocculo viridis coloris in pileo, et zonam et tibialia rubri coloris pro archipresbytero, et ejus successoribus capituli ecclesiae metropolitanae Bracharensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Sequeira, qui (ut asserit) archipresbyter, et una ex dignitatibus metropolitanae ecclesiae Bracharensis existit, quod cum per alias in simili forma brevis die xv. maij MDCCLXXXIX. expeditas literas dilectis filiis dignitatibus, et canonicis praebendatis dictae metropolitanae auctoritate apostolica indultum fuerit sub certis modo, et forma tunc expressis, ut ipsi funiculum cum flocculo viridis coloris in pileo, itemque zonam, seu fasciam, et tibialia rubri coloris gestare possent, et valerent, ac alias, prout ex indicatis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus fusius asseritur contineri, ipse Antonius, vel alius tunc temporis possessor ejusdem dignitatis in hujusmodi apostolico indulto comprehensus minime remansit, eo quod praebendam obtinet ab aliis capitularibus praebendis penitus separatam, residentiamque habet personalem, liberam, et spontaneam sine obligatione. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, sedem propriam eodem in choro tenet fixam a cornu evangelii tertiam, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut pro majore Dei cultu, et meliore cum aliis dignitatibus, et canonicis publice servanda conformitate sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur ipsum Antonium ejusque nunc, et pro tempore existentem legitimum coadjutorem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, insignia et singulas decorationes in memoratis apostolicis literis pro dignitatibus, et canonicis metropolitanae ecclesiae Bracharensis, ut praefertur, concessas, et expressas ad eumdem Antonium, ejusque in dignitate hujusmodi coadiutorem, et successores in perpetuum auctoritate apostolica, tenore praesentium extendimus, et ampliamus, easdemque per ipsum, ejusque coadiutorem, respectivosque successores suos palam gestari libere, et licite posse concedimus, et indulgemus, ipsosque desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae metropolitanae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacis-

simis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona februarii millesimo octingentesimo decimosexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 13 februarii 1816, anno XVI

DCLIII.

Confirmatio impositionis annuae pensionis factae super bonis ecclesiasticis a rege utriusque Siciliae pro substentatione seminarii Panormitani.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus constituti consulere debemus, ne ecclesiastica seminaria, quae religionis praesidio, et incremento provide instituta sunt, temporum procellis obruantur.

Expositio precum.

§. 2. Ex parte dilecti filii presbyteri Francisci Chiarchiaro rectoris seminarii Graeco-Albanensis in civitate Panormitana erecti expositum Nobis nuper fuit, quod cum ab anno MDCCCIX. res familiares dicti seminarii ob temporum injurias ita collapsae remanserint, ut diutius stare nequiret, Nobis tunc armato milite circumdatis, ad carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandum utriusque Siciliae regem confugit orans, ut pro suo perspecto religionis zelo conservationi dicti seminarii consuleret, qui, cum ex regio aerario subvenire minime valeret jam ob publicas calamitates fere exhausto per aliquam pensionem annuam super redditibus ecclesiasticis opitulandum fore censuit, si id Nobis postquam in libertatem restituti essemus, et huic s. Sedi placuisset, Nobis propterea dictus rector asserens maximam seminarii necessitatem humiliter supplicari fecit, ut eidem seminario in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, favore dicti seminarii, ejusque alumnorum nunc, et pro tempore in perpetuum existentium pensionem annuam ducentarum unciarum aurearum monetae Siculae super redditibus, et proventibus abbatiae de Roccadja, et super fructibus bonorum stabilium ecclesiasticorum ipsius regni Siciliae tertiam partem pensionabilem habentium per respectivos locorum ordinarios statuendam et exequendam (quibus per praesentes speciales ad id, et necessarias facultates ex nunc, prout ex tunc, et e contra tribuimus) servatis alias servandis, de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium ex nunc pariter, prout ex tunc reservamus, constituimus, et in perpetuum adsignamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et sy-

nodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae abbatiae, et aliarum ecclesiarum fundationum, aut beneficiorum hujusmodi pensionabilium etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia februarii millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 25 februarii 1816 anno XVI.

DCLIV.

Erectio episcopatus de Chilapa in America

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Universi Dominici gregis cura adeo cor Nostrum excitat, ut ea quae a catholicis regibus ad animarum populorum eis subditorum salutem tendentia a Nobis expostulantur benigno prosequi favore non dubitemus, et praesertim si de catholica servanda et propaganda fide in quibusvis regionibus agatur adjutrices porrigamus manus prout conspicimus in Domino salubriter convenire.

Hispaniarum rex preces porrexit pro nova erectione sedis de Chilapa.

§. 2. Cum itaque, sicut per dilectum filium equitem Antonium Vargas y Laguna carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici apud Sedem apostolicam administrum plenipotentiarium accepimus, praefatus Ferdinandus rex, ex eo quod habitatores Americanae regionis ex parte regni Mexicani, quae latus ad Oceanum Suri nuncupatum in summa spiritualis pabuli necessitate versantur, itinerum enim longinquitas, atque asperitas, quominus episcopi illarum dioecesium ad eas accedant partes impediunt, ex quo fit, ut oves illis in locis degentes, nec oratione, nec exemplo ad catholicae religionis cultum, et disciplinam exacte observandam facile excitentur; quapropter fides apud habitatores illos magis, magisque in dies languet, immo etiam vitia augentur quotidie perniciosiora, et nisi remedia praesto sint, omnes animas penitus sint occupatura, etiam pro eo quod parochi, et vicarii quemquam enixe suo fungi munere laborent, non tamen pravis moribus auferendis, mentibusque evangelica doctrina imbuendis per se sufficiunt opportune consultum esse existimet, si in regione praedicta ad litus maris Suri, atque Acapulci novus episcopus constituatur ex dismembratione partim archiepiscopatus Mexicani, partim episcopatuum Mechoacani, et Hascalensis, vulgo Pueblo de los Angelos, et Chilapae locus ob aeris salubritatem, et situs opportunitatem aptissimus in episcopatum apostolica auctoritate infrascriptis modo et forma erigeretur.

Erectio loci in civitatem, et ecclesiae in cathedralem.

§. 5. Nos omnibus mature perpensis praedicti Ferdinandi regis votis clementer annuere, eosdem Christi fideles quantum in Domino possumus specialibus favoribus et gratiis prosequi, eorumque spirituali bono consulere volentes, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictum Chilapae locum a dioecesi, cui ad praesens subest, penitus et perpetuo dicta apostolica auctoritate tenore praesentium dividimus et separamus, ipsumque locum Chilapae sic divisum, et separatum juxta canonicas sanctiones episcopalis civitatis titulo et honore apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo decoramus, et ampliorem, di-

gnoremque ecclesiam in eodem Chilapae loco per Nos civitatis titulo, ut praefertur, decorato existentem ab infrascripto praesentium Nostrarum literarum exequutore designandam de apostolicae potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem de Chilapa nuncupandam pro uno episcopo de Chilapa, qui inibi de more resideat, quique omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, et praerogativis eisdem modo et forma quibus caeteri episcopi praesertim in praedicti catholici regis Americae ditionibus perfruuntur, et gaudent cum omnimoda episcopali jurisdictione in civitate Chilapae, ejusque dioecesi, ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat atque in eadem ecclesia in cathedralem erigenda ex nunc pro tunc cum primum fieri poterit, dignitates, canonicatus, et beneficia pro totidem presbyteris, seu clericis, adeo ut capitulum dictae ecclesiae, ut praefertur, designandae, atque in ecclesiam cathedralem, ut praefertur, erigendae tot individuis, quot necessarii erunt sit compositum de simili apostolicae potestatis plenitudine etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

Assignatio dioecesis

§. 4. Eidemque futuro et pro tempore existenti episcopo de Chilapa pro sua dioecesi tam Chilapae civitatem, cum suis pertinentiis, quam partes dismembrandas ab archiepiscopatu Mexicano, ab episcopalibus Hascalensi vulgo Pueblo de los Angelos, et Mechoacani, respectivis tamen ab eorum ordinariis reportatis antea consensibus, nec non latus Suri, qui ab amne Quaxisolano usque ad Oceanum mare protenditur per praesentes assignamus, et ex hujusmodi territorio novam de Chilapa dioecesim efformatam volumus, statuimus, et declaramus.

Constitutio dotis ecclesiae.

§. 5. Quoniam vero ob rerum perturbationes, quibus America concussa nuper, atque exhausta fuit, novae huic ecclesiae de Chilapa minime conferri nunc potest dos illa, quam memoratus Ferdinandus rex constituere de more voluisset ad summam scilicet ponderum decem millium, conflando illam ex quatuor ponderum millibus a cumulo decimarum archiepiscopatus Mexicani decerptis aliis quatuor ponderum millibus ab episcopatu Hascalensi vulgo Pueblo de los Angelos, reliquis autem binis ponderum millibus ab episcopatu Mechoacano; hinc Nos ob praememoratas causas supra recensitam dotationem, ejusque adsignationem, usque dum per rerum et temporum circumstantias id exequi poterit, differimus, et ad hoc ut ab illius praesule episcopalis dignitas decenter tueatur, eam dotem quam rerum status in praesentiarum permittit, quam prout etiam illam, quae ad meliora tempora reservanda est secundum canonicas sanctiones, jura, et leges, quae per Americae incolas legitimae vigent adsignatam volumus donec, et quousque ut supra provideatur, eadem apostolica auctoritate modo constituimus et assignamus.

Reservatio juris nominandi favore regis catholici.

§. 6. Et insuper favore ejusdem Ferdinandi regis, suisque in regnis successoribus regiis, jus nominandi seu praesentandi, infra tempus a jure praefixum Nobis et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam episcopalem ecclesiam de Chilapa per Nos, ut praefertur, erectam a primaeva illius erectione vacantem, tam pro prima vice, quam etiam in posterum in futuris illius vacationibus pari prorsus modo quoad nominationem, seu praesentationem eamdem episcopi aliarum ecclesiarum in praefatis regnis existentium a Sede apostolica praedicta praefici consueverunt, cum hoc tamen, quod episcopus cathedralis ecclesiae de Chilapa per Nos, ut praefertur, erectae ordinariae jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi Mexicani, uti ejus metropolitani subjectus esse debeat apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo reseramus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 7. Ut denique omnia praesentibus Nostris literis disposita, et ordinata observentur, et ipsius Ferdinandi regis vota ad optatum exitum perducantur idoneam personam episcopali caracthere insignitam, vel in alia ecclesiastica dignitate constitutam a laudato rege pro ipsius arbitrio et prudentia eligendam in earumdem praesentium literarum Nostrarum exequutorem deputamus, ut ipsa certioratis venerabilibus fratribus archiepiscopo Mexicano, ac Hascalensi, vulgo Pueblo de los Angelos, et Mechoacano episcopis, eorumdemque consensibus prius requisitis, et acceptis, novam cathedralem eccle-

siam de Chilapa erigat, respectivarum dioecesum limites assignet, ac statuat, nec non congruam annuam dotem episcopatui de Chilapa, quae in praesens adsignari poterit constituat, et capitulum, quod in cathedrali ecclesia de Chilapa esset instituendum, quodque ob actuales difficiles circumstantias differtur, et ad opportuniorem rerum statum reservatur cum primum id in posterum fieri poterit cum congrua assignatione instituere curet, omniaque alia, opportunis modo, et forma exequi studeat ad quem effectum ei omnes necessarias, et opportunas tribuimus facultates.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 8. Praesentes autem Nostras apostolicas literas, et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore ex quacumque etiam legitima causa de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios, quavis auctoritate fungentes suspendi, revocari, restringi, limitari, aut alias etiam motu pari concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus unquam posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, et quosvis alios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et potestate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non quatenus opus sit Lateranensis concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque Mexicanae, Ilascalensis, et Mechoacanae respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas et causas etiam quantumvis pias, et privilegiatas etiam praesentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, et expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse nec non opportune et valide hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse harum quoque serie derogamus, et sufficienter derogatum esse, et censeri etiam decernimus, contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae apostolicae.

§. 10. Volumus autem, quod cathedralis ecclesia de Chilapa per Nos ut praefertur erecta ad florenos triginta tres cum uno tertio taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Praeterea etiam volumus hujusmodi Nostrarum literarum exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae divisionis, separationis, unionis, incorporationis, reservationis, facultatis, impartitionis, decreti, deroga-

tionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo decimo sexto, quinto kalendas martii, pontificatus Nostri anno sextodecimo.

DCLV.

Dat. die 1 martii 1816 anno XVI

Concessio usus palmaris vulgo «bugia» et collaris violacei pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis sancti Miniatis, cum parva cruce gestanda in pectore.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. In apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti ecclesiasticis viris illis, qui almae veluti Sionis aemuli, divinas laudes in augustioribus templis quotidie concinunt, peculiares honorificentias interdum concedimus, ut ipsi per externa quoque signa excitati internarum virtutum splendore magis, magisque in dies elucere studeant in domo Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut ex parte dilectorum filiorum dignitatum, et canonicorum cathedralis ecclesiae s. Miniatis expositum Nobis nuper fuit, ecclesia ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, clerique probitate, et scientia satis floreat, cumque in nuperrimis procellis ejusdem cathedralis capitulares adeo strenue una cum venerabili fratre Petro ejusdem civitatis episcopo contra vehementem tempestatem restiterint, ut eorum unus vel exilium per octodecim menses patienter toleraverit, multum splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora incrementa susciperet, si ejus dignitates, et canonici novis per Nos, et hanc sanctam Sedem decorationibus ornentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, dignitatibus et canonicis nunc, et pro tempore in perpetuum existentibus praedictae cathedralis ecclesiae s. Miniatis, ut ipsi palmari vulgo «bugia» ad instar dignitatum, et canonicorum alterius cathedralis ecclesiae Pistoriensis in sacris privatim, et solemniter faciendis, atque in aliis quibusvis presbyteralibus functionibus uti, ac etiam ubicumque locorum collarem violaceum, non tamen olorico serico rubro subsutum, nec non parvam crucem auream non solum magnitudine, sed etiam forma ab episcopali cruce prorsus discrepantem ante pectus ex catenula simili, vel ex flocco nigro, et vitta serica talari, et succinctae vesti (non tamen externae vesti chorali) appensam palam gestare libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat auctoritate apostolica concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Ipsasque dignitates, et canonicos desuper a quoquam quovis praetextu, causa, vel occasione molestari, perturbari, aut impediri nullatenus unquam posse; sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 5. Nonobstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutioni-

bus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima martii millesimooctingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 8 martii 1816. anno XVI.

DCLVI.

Commutatio beneficii erecti in ecclesia sanctae Mariae de Fide sub invocatione sanctorum Joannis, et Vitalis, in beneficium cum cura animarum in terra Montis Florum Firmanae dioecesis.

Venerabili fratri
Archiepiscopo Firmano

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam
benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Brignole presbyter istius Firmanae dioecesis, quod ipse qui rector legitimus, uti asseritur, ad praesens existit cujusdam beneficii simplicis sub invocatione sanctorum Joannis, et Vitalis in loco Montefiore nuncupato erecti, pietate, et probitate commotus erga incolas, et colonos illius loci ubi extat quaedum ecclesia s. Mariae de Fide nuncupata, qui utpote a parochiali ecclesia distantes et ob praeruptas vias carent precipue hyemali tempore infirmi spiritualibus auxiliis usque ab anno 1807 consentiit beneficium praedictum a se retentum in parochialem praebendam cum cura animarum in dicta rurali ecclesia pro populi opportunitate erigendum commutari, impetratis, uti asseritur, apostolicis facultatibus per alias Nostras in simili forma brevis expeditas literas quae cum miserrimis transactis perturbationibus deperiissent commutatio praedicta suum non habuit effectum, nunc vero persistentibus iisdem causis, eademque urgente necessitate praedictam commutationem, seu erectionem confirmari, vel denuo concedi vehementer desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum Josephum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et si id in Domino expedire censueris, memoratum beneficium simplex, quod actu possidet dictus Josephus Brignole, accedente ad id expresse ejus consensu, et sine praejudicio omnium eidem beneficio adnexorum, ac servatis de jure servandis in parochialem praebendam in dicta ecclesia s. Mariae de Fide istius dioecesis stabiliendam, et perpetuis futuris temporibus duraturam cum cura animarum iisdem legibus, juribus, privilegiis, ac praerogativis quibus aliae parochiales ecclesiae utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possit in posterum, auctoritate Nostra apostolica erigas, atque convertas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti papae XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava martii millesimo octingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Dat. die 15 martii 1816 anno XVI.

DCLVII.

Erectio Montis Pietatis in civitate Partannae dioecesis Mazariensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Pro pastorali officio humilitati Nostrae divinitus commisso illud in primis curandum, ut Christianae charitatis opera, quae Salvator Noster fidelibus suis maxime commendavit, ubique locorum promoveantur, et promota in perpetuum serventur.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam igitur, sicut ex parte dilecti filii Stephani Sanfilippo presbyteri oppidi civitatis nuncupati Partannae Mazariensis dioecesis expositum Nobis nuper fuit, superioribus calamitosissimis temporibus ob annonae caritatem cum nimia foeneratorum usura conjunctam tria fere oppidanorum millia ibi inedia perierunt, duoque millia ad victum sibi comparandum alio demigrarunt, ipse Stephanus pro ea, qua flagrat in pauperes praesertim charitate, aggerem quemdam huic usurariae pravitati objicere volens montem Pietatis in egenorum levamen instituere decrevit, atque ex duobus millibus scutorum monetae, quas in promptu habet, et ex aliis quatuor millibus septingentis colligendis montem hujusmodi erigere cupit cum sequentibus legibus, scilicet.

Leges imponendae in erectione.

§. 3. I. Ut fructus mutuatae pecuniae eidem monti annuatim solvantur in ratione sex unciarum pro quolibet centenario II. Annui fructus partim pro mercedibus ministris montis solvendis, partim pro ejus fundatoribus opitulandis erogentur III. Hisce fundatoribus vita functis succedant in eorum portione accipienda personae ab ipso Stephano nominandae. IV. His quoque vita migratis, pars eadem ad convictrices pro tempore degentes in dicti oppidi collegio, quae puellas rudimenta fidei, et muliebra opera edocere debeant, devolvatur in perpetuum. V. Facultas perpetuo sit monti recipiendi majores pecuniarias summas a quibuscumque Christifidelibus, qui ibi eas deponere velint etiam cum conditione percipiendi annuos fructus in ratione unciarum septem pro quolibet centenario, quarum unciae duae pro montis ministris, et reliquae quinque pro deponentibus erogentur, ad ipsorum vitam tantum, prout concessum asseritur per felicem recordationem Pauli pp. III. praedecessoris Nostri pro alio pietatis monte in civitate Panormitana dudum erecto. Quum autem, sicut in eadem expositione additum erat, dictus Stephanus, et aliae piae personae cupiant, praemissa pro eorum firmiore subsistentia, apostolicae auctoritatis munimine fieri, et roborari, Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut montis erectioni, et ordinationibus praedictis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos sperantes ex pia institutione hujusmodi non parum utilitatis etiam spiritualis Christifideles confecturos fore, dictumque Stephanum, aliosque sibi similes probos in tanta re socios viros in suo laudabili proposito confovere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, auditis desuper relationibus dilecti filii vicarii capitularis ecclesiae Mazariensis, institutionem, et erectionem dicti montis cum omnibus, et singulis praemissis legibus, aliisque honestis, et proficuis conditionibus factam auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui forte intervenerint, supplemus, et sanamus; si autem hujusmodi erectio nondum fuerit effecta, plenam, et omnimodam facultatem eidem Stephano, ejusque sociis illum taliter erigendi auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Tenor concessionis.

§. 5. Atque ut ejusdem montis proventus in eas pro quibus ordinantur causas provide distribuantur, omnibus et singulis dicti montis officialibus pro tempore existentibus cujuscumque gradus, ordinis, status, Poenae adversus eos qui disperdere, vel eripere pertentaverint pecuniam et proventus ejusdem montis.

et conditionis auctoritate, et tenore similibus, sub excommunicationis latae sententiae poena a qua nonnisi a Romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi posse districtius praecipientes inhibemus, ne montis pecuniam, et proventus in totum, vel in partem in alias causas, quam illas, ad quas deputati sunt, quovis modo convertere, aut de illis quidquam disponere, seu circa illos fraudem, vel dolum committere, aut illos, qui proventus ipsos augere, et eidem monti de facultatibus suis subministrare intendant, quominus id faciant, impedire, seu retrahere directe, vel indirecte praesumant, et nihilominus duplum ejus, quod expositum, aut fraudatum, seu ne illi erogaretur, persuasum fuerit, eidem monti restituere teneatur. In reliquis autem, ut opus hujusmodi citius coalescat, et augeatur, servari ea volumus, quae dicto alio monte Panormitano, aliisque similibus sapienter constituta reperiuntur.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, et in posterum concedendis: etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta martii millesimooctingentesimo decimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo sexto.

FINIS TOMI TERTII DECIMI

INDEX

PRAECIPUARUM MATERIARUM

QUAE

IN DECIMO TERTIO HOC VOLUMINE CONTINENTUR

PII VII.

A

ADMINISTRATIO

A

ALLOCUTIO

A

APPLICATIO

B

BEATIFICATIO

B

BENEFICIUM

C

CANONIZATIO

C

CONFRATERNITAS

C

CONFIRMATIO

D

DAMNATIO

DISPENSATIO

DISMEMBRATIO

E

ELECTIO

ERECTIO

F

FACULTAS

FESTUM

I

INDULGENTIA

JUS PRIVATIVUM

JURISDICTIO

L

LANIFICIUM

M

MISSA

N

NUNDINAE

O

OFFICIUM

P

PARAMENTA

PERMUTATIO

PRIVILEGIUM

SUPPRESSIO

T

TRIBUNAL

U

UNIO

INDEX TITULORUM

OMNIUM MATERIARUM

QUAE

IN GENERALI INDICE HUJUS VOLUMINIS CONTINENTUR

PII VII.

IMPRIMATUR

Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Joseph Canali Patr. Constant:
Vicesg.